Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

N. 2

N 1.

IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1
Estante 22
Plúteo 2

Certeles
celeres

22 Q 4

Ex Libris
J. A. D. L'ange
Amelliensis Sac.
1729
Bondiae

Universidad de Deusto
Biblioteca

ILLVSTRIVM MIRACVLORVM, ET, HISTORIARVM MEMORABILIVM LIB. XII.

Ante annos ferè CCCC. à CAESARIO HEISTERBACHENSI, *ordinis Cisterciensis, Coloniensis diocœsis, viro venerandæ pietatis & reconditæ doctrinæ, de ijs, quæ sua ætate memoratu digna contigerunt, accuratè conscripti:*

Ab omnibus quidem Orthodoxæ religionis & veræ pietatis amantibus, propter euidentem vtilitatem & iucunditatem diu desiderati:

Nunc ab innumeris mendis, quibus incuria veterum scriptorum & Chalcographorum scatebant, diligenter repurgati, & recens in lucem editi.

COLONIAE AGRIPPINAE
In Officina Birckmannica, sumptibus Arnoldi Mylij.
Anno M. D. XCIX.
Cum gratia & Priuilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ADMODVM REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. IOANNI RODERO,

insignis Monasterij Hemmenrodensis sacri Ordinis Cistertiensis Abbati Religiosissimo, Domino ac Patrono suo, Iacobus Fischerus Harlemius salutem in Christo veram exoptat.

PRAECLARE de Republica Literaria mereri illos, qui magno studio ac labore comparatam varia rum rerum notitiam, non sibi solis seruare, sed alijs quoq;, transmissis ad posteros doctissimis libris, eandem communicare student, Reuerende Domine, notius est, quàm vt fusius me id comprobare necesse sit. Quanquam enim non desint fortè, quibus minus probetur, tam multa ac varia quotidiè, vtilia licèt, prodire noua volumina, quibus & ingenia obrui, & nimijs sumptibus liberalium artium & scientiarũ studiosos grauari existimant: qui tamen rectiùs iudicant, Beati potius Augustini, scio, sententiam comprobabunt; qui etiam de ijsdem quæstionibus ac rebus, plures à plùribus conscribi libros, diuerso stylo, non diuersa fide, vtile sensset; non solùm, quod difficile sit in omnium manus, quæ Lib. 1. de Trinit. c. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſcribuntur à ſingulis, venire: verùm etiam, quod qui vel minus intelligit, minorq̃ cum voluptate legit vnum, fortè melius aſſecuturus ſit, libentiusq̃ lecturus alterum, rem eandem alijs verbis, aliaq̃ methodo explicãtem. Nam quod in cibis, quibus hoc corpus ſuſtentatur, euenit, vt vnus idemq̃, vni eidemq̃ homini placeat & diſpliceat, variè conditus & apparatus; idem quoque in ſcriptis illis, quibus mẽs noſtra paſcitur, accidere certum eſt. Nonnulli ſiquidem res multis verbis explicari, aly breuiter proponi; quidam non niſi ornata dictione delectantur; alij ſimplicem amant. Vt ergo omnibus fiat ſatis, cupit B. Auguſtinus, à diuerſis etiam eãdem rem variè pertractari, eosq̃ cenſet laude dignos, qui ſuam in eo operam ſtudiumq̃ ponũt. Sed non ij ſoli commune bonum quærunt, qui proprijs ſcriptis in lucem edendis, aliorum vtilitati conſulunt, verùm etiam illi, qui veterum ſcripta, quæ vel in obſcuro latent, & à tineis, ipſaq̃ vetuſtate ſenſim abſumuntur, primùm in lucem & publicum proferunt; vel, ſi iam lucem aſpexerunt, ab erroribus, quibus partim ſcriptorum, partim calcographorum vitio plerumq̃ ſcatent, expurgant: quorum labor eò cenſeri ſolet vtilior, quò libri ipſi plus commodi Dei Eccleſiæ adferunt. In quo genere vt libenter primas partes deferimus

ijs,

ijs, qui diuinitus inſpiratis ſacris vtriuſq̃ Teſtamenti libris nitori ſuo reſtituẽdis incumbunt; ſic non poſtremas cenſemus ijs deberi, qui veterum catholicorum Theologorum ſcripta curant quàm emendatiſſimè euulgari. Nouimus veriſſimum eſſe quod B. Auguſtinus tradit ad D. Hieronymum & Fortunatianum ſcribens, nullis etiam Catholiciſſimorum hominum ſcriptis eum deferendum honorem ac timorem, quem Canonicis diuinarum Scripturarum libris; quorum cùm DEVM ſolum authorem ſciamus, nullam quoque omninò falſitatem in ijs reperiri poſſe profitemur: imò, cum B. Baſilio grandem iudicamus blaſphemiam, vel verbum vnum dicere otioſum in ijs eſſe. Interim poſt diuinitùs inſpiratas ſacras literas, & Oecumenicorum Conciliorum decreta, magno ſemper in honore apud Catholicos fuerunt veterum Theologorum ſcripta, quos meritò lumina ciuitatis DEI cum B. Auguſtino vocare poſſumus. Vnde & vtilem nauare operam iudicati ſunt hactenus, qui horum libris ab interitu & erroribus vindicandis ſtudent. Ex quorum numero fuiſſe Reuerendum & Eximium S. Theologiæ Doctorem, & ad D. Gereonem Coloniæ, dum viueret, Canonicum D. Tilmannum Bredenbachium, cum alia eius ſtudio & labore edita veterum

Epiſt. 19. & 111.

Homil. 10. in Hexameron.

Lib. 1. contra Iulianum cap. 2. & lib. 2. ante finẽ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

scriptorum monumenta testantur, tũ hi ipsi Cæsarij Heisterbacensis Ordinis Cisterciensis Religiosi Dialogorum Libri abundè satis cõprobant, in quibus ille recognoscendis, expurgandis, atq; cum varijs exemplaribus cõferendis, multum sanè laboris posuerat, sed cùm iam penè ad calcem peruenisset, DEVS illum ad eam vitam, vt speramus, euocauit, in qua neq; labor, neq; luctus; sed pro labore Christi nomine suscepto, sempiterna quies, et gaudium nunquam finiendum tribuitur. Ne verò tanti viri pia studia perirẽt, sedulò curatum est, vt quod deerat his libris recognoscẽdis & illustrandis, ab ijs qui non tam priuata sua, quàm Reipublicæ commoda quærunt, haud minori industria suppleretur. Licèt enim minus ornata sit dictio Cæsarij, magnum tamen hæc eius scripta ad permouẽdas mentes catholicorum, eorum præsertim, qui pietatis atq; virtutis studio flagrant, momẽtum habent; quia varijs exemplis ac miraculis, tam ea quæ ad fidẽ Catholicam pertinẽt, quàm quæ ad conformandos fidelium mores voluntati diuinæ, sedulò inculcat. Neq; parua scriptoris censeri debet authoritas, quã non solũ antiquitate, quippè qui ante quadringẽtos penè annos vixit; sed & eruditione apud Orthodoxos oẽs optimo iure obtinebit. Verũ pluribus, R. D. te non distinebo, quod & alijs implicitum arduis negotijs sciam; & quæ de authore, eiusq; his scriptis adferri possent, fusè satis in ea, quæ ad lectorem subijcitur, epistola, cõmemorentur. Quod verò hunc Cæsarium ad te mittendum putarim, fecit primùm virtus illa eximia, qua tui ordinis tam Prælatis, quàm subditis, egregiè præluces, de qua plura me scribere voletem modestia, & animi tui submissio prohibet. Deindè ipse Cæsarius, qui vestrum hoc Hemmenrodense, cui cum laude præsides, monasteriũ mirificè prædicat, & tanquam parentem Heisterbacensis sui cœnobij impẽsè veneratur, virtutes Religiosorum eius prolixè persequens. Denique, ni ingrati animi turpissimam notam inuri mihi velim, opus hoc, meum in ius translatũ, ad alium destinare non potui, quàm ad eum, cuius tanta in me, hominem peregrinum, extant merita, quanta vix à sanguine mihi cõiunctissimis sperare licuisset. Nam integro penè decennio, dum à dulcissima patria exulo, quod & bellis sæuissimis externa, & hæresibus immanissimis animarum eius vastentur bona, non tantùm suauissimum mihi hospitium liberalissimè concedis, ac fouere peramanter pergis; verùm etiam, quò ornares quoq; ad Doctoratus in Theologia gradum euexisti: pro quibus sanè beneficijs, cùm gratiam referre nequeam, saltem animum be-

neficiorum memorem declarare debeo, quod dum vixero, DEO adiuuante, facere non intermittam. Accipe itaque dignissime Domine Abbas hoc Cæsarij monumentum, pignus non modò obseruantiæ ac amoris in me tui; sed & testimonium grauissimum antiquitatis, & religiosæ disciplinæ Monasterij huius, cuius non minori cum fructu, quàm laude, gubernacula tenes; & si quando à curis grauioribus quid supersit temporis, eius te lectione vtiliter oblecta, tuisq; subditis, vt ex eodem fructus vberes percipiant, legendum trade. DEVM oro, vt R.T. quàm diutissimè huic suæ Religiosæ familiæ, adeoq; toti Ecclesiæ seruare dignetur incolumem, ad diuini nominis sui immortalem gloriam, multorumq; afflictorum consolationem, ac salutem sempiternam. Hemmenrodij, à partu gloriosissimæ Virginis, anno millesimo, quingentesimo, nonagesimo, Mensis Octobris die vicesimo primo.

AD

Universidad de Deusto Biblioteca

AD CATHOLICVM VIRTVTIS STVDIOSVM LECTOREM.

PRODIT denuo, non semel quidem olim typis euulgatus Cæsarius, sed postrema, vt videtur, editio in annum à Christo seruatore nostro nato 1481. incidit: cuius cùm iam vix pauca, eaque non nisi in peruetustis bibliothecis reperirentur exempla, Reuerendus & eximius sacræ Theologiæ Doctor D. Tilmannus Bredenbachius insignis Collegij Coloniæ ad D. Gereonem, dum viueret, Canonicus, non minus virtutibus, quam literis clarus, parentis sui viri optimi & doctissimi exemplum secutus, totum se communi reipubl. Christianæ bono consecrans, cùm ad alios scriptores, tum ad hunc Cæsarium recognoscendum animum adiecit; non solùm quod ipse miraculorum, & exemplorum lectione mirificè delectaretur, sicut eius sacrarum collationum libri testantur; verùm etiam quod magnam his vim inesse censeret ad excitandam fouendamque in animis fidelium, hac mundi senecta penè

extinctam, pietatem; quo etiam nomine hos libros magnoperè à plurimis eruditione & virtute conspicuis viris expeti sciebat. Quem ille laborem cùm iã ad finem vsque perduxisset, ac de euulgãdo opere cum Typographo tractare cœpisset, immatura ecce mors, non sine multorum dolore, reipub. Christianę, cui eius opera vtilissima adhuc fuisset, eum sustulit. Ne verò labor tam fructuosus intercideret, simulque virtutis studiosi hoc libro diutius carerent, data est sedulò opera; & Cæsarius ipse denuò, non tantùm diligenter relectus, sed etiam ex quodam manu scripto codice, licèt nec vetustissimo, nec correctissimo, non vno loco emendatus. Dominus quidem Bredẽbachius hinc inde, modicè tamen, stylum mutârat, aut verius paucula verba latiniora nõnullis locis substituerat; verùm quod hoc alijs minus in auctore veteri probaretur, relicta sunt vbiq; ipsius Cæsarij verba, etiam barbara, & minus latina, quæ prudentem lectorem haud offendent, si & temporis illius, & finis quo ab autore liber cõscriptus est, rationem aliquã habuerit. Nam vt hac ætate nullus à populo Italiæ, aut Græciæ iure postularet

sermo-

sermonem Latinum vel Græcum; sic neq; à scriptoribus, qui in ea inciderunt tempora, quibus politiores literæ ex scholis, harum maximè partium, si nõ penitus exulabant, dominante certè barbariè vix apparebant, ornatam dictionem qui requireret, iure reprehendendus esset. Quod cùm vniuersè de quibusuis authoribus illorũ temporũ & locorum statuendum sit, maximè tamen in illis obseruãdum venit, quibus non fuit propositum verba sectari, sed res explicare; non linguam aut sermonem legẽtium perpolire, sed mores vitamq; formare & ornare: quod vt Cęsario, hos dialogorũ libros illa ætate scribẽti, sic & Domino Bredẽbachio p. m. eosdem recognoscenti, & reliquis editionem hanc vrgentibus & promouentibus, propositum fuit, vt nimirũ hinc lectores & vitia fugiendi, & virtutes consectãdi, & auitam maiorum fidem pietatemque maiori studio conseruandi, incitamenta caperent: ad quod sicut verborum elegantia parum, ita sanè viua exempla, etiam simplici dictione nudeque proposita, plurimùm valere omnis & antiquitas testatur, & optima rerum magistra, quotidiana ex-

perientia

perientia nos edocet. Quare vt Theologi, Legum, Canonumque doctores, Medici item & Philosophi suarum facultatum authores & interpretes, quantumuis inculta dictione vtantur, quod rerum vtilium scientiam inde hauriant, assiduè & diurna & nocturna lectione versant; sic quoque minimè conuenit Christianæ philosophiæ studiosos, eos aspernari libros, quorum lectio, etsi ornatè dicendi facultatem non suppeditet, benè tamen recteque viuendi rationem edocet: indignum siquidem esset, id quod à prudentissimis hominibus solius scientiæ comparandæ gratia fit, quæ absque caritate possessoribus suis haud raro pernitiem adfert; id in ijs quæ salutem nostram, & quidem sempiternã propius attingunt, à nobis non præstari. Sicut ergo illi sciunt, à rerum magistris non postulandam dictionem ornatã, sed ab ijs quorum ea professio est, vt circa verborum delectum versentur; sic ab his, qui moribus Christianorum formandis insistunt, id petere haud æquum est. Etsi enim optabilius foret, vt res etiam istæ per se excellentes, grauissima politaque oratione explicarentur, non tamen si quan-

quando hæc desit, res simul vtilissimæ abijciendæ veniunt. Quod verò ad res his libris pertractatas attinet, sunt illæ non tantum ob varietatem iucundæ, sed etiam vtilissimæ; recenset siquidem autor multiplices historias suæ ætatis, easque non confusas, sed in certum ordinem digestas. Bona autem optimaq; fide eum vsum esse, prudens acrisque iudicij lector facilè aduertet. Scio non defuturos qui hæc velut leuia, quin etiam tanquam vana aspernabuntur; ex quibus ij qui à salutis fundamento exciderunt, & iam olim damnatas hæreses sectantur, non magnopere Catholicum Ecclesiæ filium remorabuntur; quippe cùm non ignoret astutiam fraudesque sathanæ, per electa sua organa id studiosè agentis, vt non solum credẽtium fidem, sine qua salus vera obtineri nequit, subuertat; sed per eosdem quoque, mores illorum, quorum fidem altiores egisse radices cernit, quàm vt tã leui vẽto deijci possit, corrumpat: cùm sine probatis moribus, fides, sana licet & integra, salutẽ fideli afferre nequeat. Hoc callidus ille serpens, & humani generis hostis acerrimus non ignorans, ea omnia præsidia, quæ magnum habẽt ad cor-

Universidad de Deusto Biblioteca

ad corrigendos formandosque mores momentum, eripere studet. Nihil proinde mouebit Catholicum lectorem, illa hominis Zuingliani iniqua censura, dum scribit in his dialogis omnia fabularum plena esse. quid enim aliud iudicaret de Cæsarij libris quibus tam apertè confirmatur doctrina Ecclesiæ Catholicæ, à qua ipse deficiens, hereses, quæ ijsdem libris refelluntur, consectatur, vt nisi pro fabulis hæc habeat, se nõ veritati fidei, sed reprobatis erroribus adhærescere confiteri cogatur? Laudare scripta hæc Cæsarij non potuit, nisi simul laudaret dogma catholica de veritate Eucharistiæ, Missæ sacrificio, Sacramentis Pœnitentiæ, extremæ vnctionis, & sacræ ordinationis, efficacia baptismi aquæ, sanctorũ inuocatione, igne purgationis siue emendationis, statu, votis, professione monachorum ac religiosorum hominũ, & alia sexcenta id genus: quæ si approbet, se, gregemque suum damnet necesse erit. At non vidit miser, etiam exploso Cæsario, superesse innumeros alios, neque eruditione, neque sanctitate, aut autoritate inferiores, qui eadem omninò suis scriptis confirment. Certè ipse quo-

Iodunes Iacobus Frisius in additione ad Simleri bibliothecã.

quoque Cæsarius, si viueret, gloriosum sibi duceret, cum vetustissimis ac sanctissimis Ecclesiæ Patribus, qui hanc Orthodoxam & catholicam fidẽ, grauissimis sententijs, firmissimis rationibus, certissimis atque euidentissimis miraculorum, exemplorumque testimonijs comprobârunt, ab hæretico homine damnari: cùm præsertim hos ipse duces secutus sit in hoc opere conscribendo, quorum aliquot paulò post recensebimus. Nôrunt siquidem Catholici, gloriosum esse ab hostibus fidei vituperari, quibus familiare est, verę pietatis & religionis exercitijs, nomẽ superstitionis & impietatis falsò imponere: sicut improbi & vitijs dediti, virtutum nominibus cohonestare actiones suas student. Quare si hi soli huius generis scripta contemnerent, haud magnoperè nocerent veræ fidei assertoribus: sed quod nonnulli etiã qui Catholici videri diciq; volunt, sic affecti sint, vt non magnũ pondus libri hi Cæsarij apud eos habituri videantur, tum quod istiusmodi res flocci faciãt, tum quod scriptorum taliũ fidem suspectam habeant, id fortè nonnullis maiorẽ difficultatem adferet. Verũ qui ita sentiunt, videant

videant qua ratione inducti ijs, qui verum Deum norunt & colunt, credere renuant, cùm ethnicis & idolorum ac dæmonum cultoribus historias scribẽtibus, tam facilè assentiantur. A ratione etenim planè est alienum, viri non solũ prudentis ac eruditi, sed probi & religiosi, qui, ne quid committeret quo Deus iudex, vindexq; malorum offendi possit, à multis, quibus alioqui licitè perfrui poterat, voluptatibus abstinens, asperam atq; austeram viuendi rationem sectatus est, fidem suspectam habere, cũ mentiendi caussam habuerit nullam; ne verò quid confingeret, timore diuino meritò cohiberi debuerit. Nouerat Cæsarius, quem libri & vita testantur religiosum Dei cultorem fuisse, scriptũ esse, Os quod mẽtitur occidit animam; non ignorabat Deum, nostro mendacio, quod execratur, minimè egere: sciebat causam bonam, quam tractandam susceperat, mendacijs non promoueri aut stabiliri, sed potius euerti. quæ etiã caussa illum compulit, statim initio libri protestari, Deumque testem inuocare, nihil omnino à se confictum in hos libros relatum esse: quin & profitetur libro 3. cap. 33. Satius se iudicasse etiam vera subticere, quàm falsa scribere. quod illo quoq; tacente, res ipsa loquitur, dũ non tantùm quid gestum sit, sed etiam à quo, loco, quoq; tempore, & à quibus demùm illud acceperit, tam accuratè recenset; idq; oratione simplici, absque omni verborum fuco, nullis non solũ hyperbolis, sed nec amplificationibus, nuda scilicet apertaq; dictione veritatis amica vtens. Quòd si coram æquo iudice omni priuato affectu seposito in medium cõtrouersia hæc proponatur, quis non videt illum pro Cæsario sentẽtiam pronunciaturum, dicturumq; potius credendum tam probo illorum tẽporum scriptori, bona fide referẽti, quæ sua ætate gesta acceperat, quàm cuiuis alteri, post tot sęcula in dubium eadem vocanti, non aliam ob caussam, quàm quòd sibi videantur ea non ita, vt Cæsarius commemorat, accidisse? Et quia cũ Christianis nobis agendum, considerẽt illi quàm alienum sit, & à caritate, quæ malum non cogitat, sed omnia credit; & à Christi Domini nostri institutione, tam sedulò monentis, Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite cõdemnare, & non condemnabimini; huiusmodi non solùm dicere, sed vel cogitare de

Sapient. 1.

1. Cor. 13.

Luc. 6.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

proximis, ijs præsertim, qui tot iam sæculis viri boni & eruditi habiti sunt. Videant ne eius criminis, quod alteri imponunt, se reos cōprobent: qualis enim quisq; est tales etiam alios iudicat: nam libidinibus deditus, omnes ijsdem deseruire existimat, imò impossibile censet quemquam castè viuere: sic arrogās, quidquid ab alijs fit, ex eadē radice profectum putat. Id Sapiens aduertens dicebat, In via, stultus ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. At qui submisso est animo, qui continentiæ cultor, qui amans virtutis, ad bene sentiendum de alijs propensior est. Nec est cur quispiam miretur, si etiam modò in ordine ecclesiasticorum nonnulli subinde inueniantur, quibus huiusmodi scripta, quæ pietatem spirant, & legentium deuotionem promouēt, sint insipida: cùm initio nascentis ecclesiæ non defuerint fideles, in quos caderet illud B. Pauli; Animalis homo, nō percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere; quia spiritualiter examinatur. Quorū enim vita & mores alieni sunt à moribus & vita iustorum, his neq; dicta, neq; facta Sanctorum, sed illorum qui mundi hu-

Eccl. 10.

1. Cor. 2.

di huius amatores sunt placent & arridet. Notabat id B. Ioannes dicens; Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquūtur, & mundus eos audit. Nos ex Deo sumus. Qui nouit Deum, audit nos; qui nō est ex Deo, non audit nos. Quod Christus Dominus iā ante Apostolis, omnibusq; suis sectatoribus euenturum prædixit; Si de mundo fuissetis, mūdus quod suū erat diligeret, quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Sicut enim similitudo est caussa amoris; ita vbi dissimilia sunt, imò contraria studia, ibi cōciliatio vnioq; animorum rara. Quemadmodum etiam tractāt fabrilia fabri, & vt, Nauita de ventis, de bobus narrat Arator, sic quæ quisq; impensè amat, & assiduè tractat, de ijs quoq; magna cum voluptate crebrò sermonē miscet, continenterq; cogitat. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum, Seruator dicebat; quare neq; illud absurdè dicitur, animum magis esse vbi amat, quàm vbi animat. Hinc non rarò cernimus ita affectos homines, magna auiditate legere & audire absque vllo fastidio, etiam prolixas de rebus vel amatorijs, vel vanis confictas historias, ex illisq; insigne

1. Epist. 4.

Io. 15.

Matth. 6.

voluptatem capere; apud quos si probatam sancti alicuius vitam, aut breuem, vnde ad virtutem incitentur auditores, narrationem instituas, nullo sensu delectationis afficientur, sed dicentem sibi molestum esse, & vultu, & gestu, si nõ etiam verbis, asserent. Neq; mirum hoc accidere in rebus gestis piorum, cum ex ipso etiam verbo Dei, nõ rarò molestiã capiant. Quibus illud Salomonis inculcandum esset; Vsq; quò paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibũt scientiam? Neq; ex alio fonte hoc malum manat, quàm quòd spiritum Dei nõ habeant, qui, quos inhabitat, à vanitate ad veritatem, à vitijs ad virtutem, à terrenis ad cœlestia, à caducis ad sempiterna, & deniq; ab ijs, quę sensibus subijciũtur, ad ea quæ mente tãtùm percipi possunt, pertrahit. Siquidem pij omnes magno studio huiusmodi scripta solent euoluere, cupidè audire, diligenter perueſtigare: quod cùm spiritu Dei agãtur, ea quæ idem spiritus in sanctis iustisque operatus est, quæque eodem impulsore conscripta sunt, diligant, & complectãtur, nec contemnendum fructum inde colligant. Quæ etiam causa impulit vitæ san-

Prouerb. 1.

tæ sanctimonia & doctrina illustres Ecclesiæ, tam Græcos, quàm Latinos, Patres, vt si quid tale alicubi sua ætate accidisse intelligerent, studiosè annotarẽt: testatur id B. Theodoreti Cyri Episcopi Dei amantium historia, Palladij Lausiaca, Ioannis Euirati, siue Sophronij Hierosolymitani antistitis, Pratũ Spirituale, Simeonis Metaphrastæ ingentia illa de sanctis conscripta & collecta volumina; Petri Abbatis Cluniacẽsis miraculorum libri, Bedæ Venerabilis gentis Anglorum & diuersorum Sanctorũ historiæ; id B. Gregorij Turonensis de gloria Martyrum & Cõfessorum libri; hoc S. Gregorij Magni Dialogi, & homiliæ; B. Euodij Vzalensis de miraculis Protomartyris Stephani cõmentarius, B. Augustini de eodem, & B. Ambrosij de alijs martyribus conscripta miracula, Seueri Sulpitij Dialogi, B. Hieronymi multorum Sanctorum descriptę vitę; quorum aliorumq; exemplo prouocatus, non infęliciter hoc opus aggressus est Cæsarius. Quod verò ad visiones & reuelationes quę multæ his libris cõtinentur, attinet, quia & illæ quibusdã, qui sibi sapientes videntur, minus arrident, sciat Catholicus lector, vt pruden

tiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiæ est non temerè quibusuis reuelationibus fidem adhibere; ita iure reprehendi, damnariq; eos, qui omnes proteruè reijciunt, & velut confictas, aut delirantium somnia dãnant. Qui si sciant quo loco illæ à grauissimis Ecclesiæ doctoribus habeantur, impudẽtes sunt, quod tantorum virorum iudicio accerrimo, suum præferant; si ignorant, temerarij, vt qui de rebus minus sibi perspectis tã inconsideratè iudicent. Quanti autem visiones ac reuelationes fidelibus ostensas fecerint beatissimi olim Patres, discant ex B. Ioannis Chrysostomi libro de Sacerdotio sexto; B. Gregorij Nisseni commentario de B. Macrina; Sanctiss. Christi martyre & Episcopo Cypriano epist. 8. 10. 34. 54. libro item de mortalitate; à quo etiam sentient se perstringi in fine epist. 69. Deniq;, ne nimius sim, Tertul. libr. de Idololatria cap. 15. visionem nocturnam cuidam fidelium factam, non veretur diuinam appellare autoritatem: & libr. de spectaculis cap. 26. & de velandis virginibus cap. vlt. non erubuit mulieribus factas reuelationes, ad probationem eius quod tractabat adducere: quæ, aliaque plura, si temerarij hi censores expendant, discẽt mo-

modestius de his similibusque rebus & sentire & loqui; scientque illos, qui Dei spiritum habent, multo & acutius acriusque videre, & rectius deiudicare ea, quæ idem spiritus infidelibus operatur, quàm qui de studio acquisita prophana scientia gloriantur. Sed de his satis; tu verò Christiane lector, vtere his libris Cæsarij, ex quibus fructum non cõtemnendum, si velis, percipies; ad cuius lectionem aditum tibi faciat B. Bernardus, cuius ætate Cæsarius vixit, cuiusq; verbis & prædicta comprobantur, & quæ ab eo breui sermone explicari non poterant, ab ipso Cæsario fusius pertractantur; is autem sermone primo de dedicatione sic ait; Mirabilis Deus in Sanctis suis, non modò in cœlestibus, sed etiam in terrenis. Vtrobique Sanctos habet, & in vtrisque mirabilis est; illos quidem beatificans, istos sanctificans. An experimentum quæritis eius de qua loquimur sanctitatis, & sanctorum vobis istorum miracula desideratis ostendi? Multi certè ex vobis (fratres suos religiosos alloquitur) à peccatis & vitijs, in quibus computruerant tanquã iumenta in stercore suo, exiêre viriliter; & quotidie impugnantibus eis potentes

Universidad de Deusto Biblioteca

Hebr.11. renter resistunt, iuxta Apostolum, qui de Sanctis loquens vtique, Conualuerunt, inquit, de infirmitate, fortes facti sunt in bello. Quid mirabilius, quando is qui vix per biduũ poterat à luxuria, crapula & comessationibus, & ebrietatibus, à cubilibus & impudicitijs, cæterisq; similibus & dissimilibus vitijs continere, nunc ab eis continet multis annis, tota vtiq; vita sua? Quod maius miraculum quando tot iuuenes, tot adolescentes, tot nobiles, vniuersi denique quos hic video, velut in carcere aperto tenentur sine vinculis, solo Dei timore confixi, quod in tanta perseuerant afflictione pœnitentiæ vltra virtutem humanam, supra naturam, contra consuetudinem? Ipsi credo videtis, quanta iam possemus inuenire miracula, si perscrutari sigillatim liceret singulorum exitũ de AEgypto, & deserti viam, id est, abrenunciationem sæculi, introitum monasterij, in monasterio conuersationẽ. Hæc S. Bernardus, quæ non inconcinnè videntur seruire libro primo Cæsarij, qui agit de conuersione sæcularium ad religionem.

VITA

VITA CAESARII
EX HIS DIALOGORVM LIBRIS COLLECTA.

COLONIAE Agrippinæ, si non natus, quod tamen probabile est, certè à puero in scholis educatus fuit, & quidem in ludo literario (A) ecclesiæ Collegiatæ S. Andreæ Apostoli: vbi cum puer literis imbueretur, & in grauem incidisset infirmitatem, diuinitus curatus est hac (B) ratione Matertera Cæsarij puellam paganam decem annorum suo ære emerat, quę dum sacro baptismi lauacro regeneratur, piorum hominum cohortatione, Cæsarij mater infirmum filiolum linteo adhuc madido, quo puella tecta baptisterium egressa fuerat, inuoluit, & simul atque sacra aqua infirmum attigit, erumpente sudore conualuit. Anno Domini Millesimo centesimo octuagesimo octauo, à Clemente III. Pontifice Maximo. Imperante Friderico I. in Germaniam missus fuit Henricus Cardinalis, Episcopus Albanensis ordinis Cistertiensis, ad prædicandam crucem contra Saracenos, quem se puerum in Ecclesia S. Petri Coloniæ concionantem audiuisse (C) testatur. Quo tempore autem Rex Philippus cum Othone de imperio certans primò vastauit ditionem Coloniensem, contigit Cæsarium ex monte S. VValpurgis (monasterio ordinis Cistertiensis, olim monialium, nunc monachorum; quod trium circiter horarum itinere distat Colonia propè Bruelam) Coloniam proficisci cum D. Geuardo

(A) lib. 6. cap. 4.

(B) lib. 10. cap. 44.

(C) lib. 4. cap. 79.

secundo Abbate monasterij eiusdẽ ordinis vallis S. Petri Heisterbacensis; quod ex opposito ciuitatis Bonnensis, non ita longè à Rheno situm, inchoatum fuit circa annum Domini Millesimum centesimum decimum octauum, autore (D) Philippo Archiepiscopo Coloniensi in monte primò Stromberg; verùm quarto post anno constitutum in ipsa valle, deducta (E) eò Colonia religiosorum ex monasterio Hemmenrode diocœsis Treuirensis. In hac profectione dictus Abbas Gerardus Cæsarium hortatus est, vt seculo valedicens, eiusdem ordinis regulam in suo Heisterbacensi monasterio profiteretur; ad quod faciendum vt eum induceret, narrauit insignem illam visionem in Clarauallé diuinitus circa fratres laborantes ostensam, cuius etiam in his libris (F) mentionem facit; qua cohortatione permotus, promisit Abbati, se, si quando diuinitus ad mutandum vitæ genus incitaretur, non ad aliud, quàm ipsius monasterium venturum. Remorabatur illum eo tempore maximè votum peregrinationis ad S. Mariam Rupis Saluatoris, quo trium mensium spacio (G) completo, nullo amicorum suorum conscio, Diuina gratia impellente, seculo renuncians, ad Heisterbacense monasterium venit. Incidit autem hæc eius conuersio, & monastici habitus ac instituti susceptio in annum (H) Domini millesimum centesimum nonagesimum nonum. Fuisse autem eo tempore virum, non tantum pium ac religiosum, sed etiam prudentem & doctum, inde facilè colligere est: quod cùm ad idem monasterium eodem tempore venisset conuersionis caussa D. Godefridus Scholasticus collegij Canonicorum S. Andreæ Coloniæ, vir decrepitę ętatis, & anno probationis primo varijs, grauibusque tentationibus

(D) lib. 4. cap. 64.

(E) lib. 5. ca. 1.

(F) li. 1. c. 17.

(G) Ibidem.

(H) lib. 2. cap 10.

agitatus, multum fluctuaret, à (I) Cæsario, itidem tunc nouitio, prudentissimè directus, & vt in proposito suscepto persisteret, confirmatus fuerit. perseuerauit Cæsarius in ordine, & in fratrum institutione vtilem operam posuit: pro quibus homilias morales de infantia Saluatoris, quarum non semel in hoc opere mentionem facit, scripsit: in quorũ etiam potissimum gratiam, hos dialogorum libros conscripsit tempore (K) Honorij III. Anno Domini (L) Millesimo ducentesimo vigesimo secundo, qui (M) fuit Cæsario annus vicesimus secundus à suscepto habitu, & regula monasticæ professionis.

(I) lib 4. cap. 49.

(K) lib. 5. cap. 21.

(L) lib. 10. cap 48.

(M) lib. 2. cap 10.

VITA

Universidad de Deusto
Biblioteca

VITA EIVSDEM EX IOANNIS TRITHEMII Abbatis Spanheimensis libro de Scriptoribus Ecclesiasticis.

CAESARIVS, monachus in Heisterbach, ordinis Cistertiensis, natione Theutonicus, Coloniensis Agrippinæ diocæsis, vir deuotus, & in regulari disciplina præcipuus, atq; in diuinis scripturis longa exercitatione studiosus, cõposuit ad instructionem nouitiorum quorum instructor erat, simplici & aperto sermone nonnulla opuscula, quorum lectio deuotis, & simplicioribus fratribus, non est spernenda de quibus ego tantùm reperi subiecta.

Opus prolixum de miraculis & visionibus diuersis suo tempore factis in Germania, quod ad imitationem S. Gregorij Papæ prænotauit.

Dialogorum de varijs lib. XII. Colligite fragmenta ne.

In Euangelijs Dominicalibus lib. II. Botrus Cypri dilectus.

In Euangelijs de Sanctis lib. I. Dominus ac Saluator noster Iesus.

Sermones ad nouitios lib. I.

Alia insuper complura edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt.

Extant item in to. 6. de vitis Sanctorum R. P. Laurentij Surij, de vita S. Engelberti Archiepiscopi Cololoniensis lib. II.

Item Commentariorum in Ecclesiasticum lib. IX. reperiuntur Coloniæ M. S.

CAE-

CAESARIVS PRAEFATIONE IN HOS LIBROS Dialogorum.

TESTIS est mihi Dominus, nec vnum quidẽ capitulum in hoc dialogo me finxisse; quod si aliqua fortè aliter sunt gesta, quàm à me scripta, magis videtur imputandum esse, à quibus mihi sunt relata.

IDEM LIBRO III. DIALOG. CAP. XXXIII.

SVnt adhuc alia multa & magna huius Conuersi (Simonis de Alna) opera, quæ ad meam notitiam non peruenerunt, ex quibus tamen quædam audiui, quæ scribere nolui, eò, quod relata minus benè retinuerim. Satius duxi etiam vera subticere, quàm falsa scribere.

VOCA

Universidad de Deusto
Biblioteca

VOCABVLORVM NONNVLLORVM APVD CAESARIVM significatio, quæ lectorem remorari possent.

ALlodium siue Alaudium, prædium liberum.
Alueus porcorum, linter.
Ambo, suggestus vel pulpitum.
Analogium, suggestus.
Anchorarij lapides, fortè, angulares, vel pro fundamento.
Boti & Cothurni, calceamenti genus.
Braxare, Cereuisiam coquere.
Braxatrix, quæ coquit cereuisiam.
Burgensis, Ciuis, vel burgi siue castri aut oppidi incola.
Calceitaccunati, refecti
Campanarius, custos campanarũ, qui eas etiã pulsare solet.
Campanile, turris in qua suspẽsæ sunt campanæ.
Carena.
Carnifex, lanio.
Carrota, biga.
Caumo, Calor.
Chorisare, saltare, choreas ducere.
Claustrum, sæpe accipit pro monasterio Hemmenrodensi diœcesis Treuerensis, ordinis Cistertiensis.
Conuersi sunt in monasterijs illi religiosi, qui non choro deputãtur laboribus & officijs laicorum.
Cruselinus vas paruulũ fictile, ex quo vinum bibitur.
Curialis, elegans, venustus.
Damnificare, damnum inferre.
Decretista, peritus decretorum siue iuris canonici.
Depauperare, spoliare, ad paupertatem redigere.
Dextrarius, equus militaris.
Disciplinatus, bene institutus, probis moribus prædius.
Equaritia, grex equarum.
Ejotes, siue Ejox, piscis, lax.
Exemplificare, exemplis docere vel probare
Exfestucare, abrenunciare vel abiurare.
Firmacula, seræ vel repagula, quibus ostia clauduntur.
Fœderatus, suffultus, ad vestes pertinet.
Fotrum, capsa vel instrumentũ, in quo scyphi feruntur.
Garciones, pueri vel adolescentes.
Grangia, prædium siue villa.
Grangiarius, religiosus qui præest villæ.
Grossus, Crassus.
Grutillare, Ciconiarum est strepitum edentium
Hæreditare, locupletare hæreditare.
Homagium, astrictio seruitutis facta Domino per pactionem, promittente homine libero fidelitatem, seque constituente hominem vel vasallum illius.

Illiteratura, ignorantia, insciẽtia & imperitia Scientiarũ.
Infirmitorium, domus vel habitatio infirmorum.
Iniuriari, iniuriam inferre.
Innotescere, notum facere.
Latinista, peritus linguæ latinæ, vel ea vtens.
Leccator, nequam, scurra.
Legista, peritus legum.
Licentiare, dimittere à se, vel potestatem facere.
Matta, storea.
Miles, videtur accipi pro equite aurato, quem constituit nobili inferiorem. (gem.
Minare, agere, vel ducere gre-
Minuere, venæ sectione sanguinem elicere.
Minuti, quibus vena secta est.
Mussus vel mussum, fascis lignorum vel herbarum, nisi fortè dicere voluerit, Muscus, herbam seu lanuginem arborum & locorum palustrium.
Nonnus, Monachus.
Ositium, edulium ex carnibus, & fortè caput ipsum porcinũ.
Ordo nigrorum, Benedictinorũ monachorum ordo.
Ordo viatorum, peregrinantes siue viatores.
Palefredus, equus instructus, siue ornatus.
Pasculum, pratum.
Pauperari, vel depauperari, ad inopiam redigi.
Pausare, quiescere.
Pitantia, vel Pittantia, portio lautior, vel ferculum extraordinarium.
Piperamentum, vocat ius spissum ex pipere.
Placitare, lites agere.
Plagare, affligere plagas inferre.
Poledrus, pullus equinus.
Populare, coire, coagmentari, congregari.
Presbyterium, locus presbyterorum in Choro.
Proclamare, in religiosorum capitulo se vel aliũ accusare.
Quæstionari, quæstiões mouere.
Recidiuare, relabi.
Regratiare, gratias agere.
Regirare, iterum in gyrum aut circulum agere.
Rhombus, piscis genus.
Repatriare, repetere patriam.
Repedare, regredi, redire.
Resignare, signis respondere loquenti per signa.
Ruita, vel Rotta manipulus vel collectio prædonum.
Sarcinare, sarcinas componere.
Scandilia, gradus in schala.
Scapulare, monachorum amictus, quem patientiam nonnulli vocant.
Scarlatum, Coccineum.
Sclauinia, vestis peregrinarum.
Sellare, ephippium iumẽto imponere.
Sententiare, iudicare, vel sententiam vt index pronunciare.

Sen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Serum originarium, Verna, siue serum origine.
Signare, signis loqui.
Solemnizare, solennitatem agere.
Stallum, locus in choro vel Capitulo cuiusque clerici aut religiosi.
Stiualia, ocreæ.
Strata, platea.
Subsellium, fortè humilem sedem stramineam, aut etiam stragulum aliquod vocat.
Torneamenta, nundinæ seu feriæ (vt loquitur cap. 1 de Torneamentis) in quibus milites ex condicto conuenire solent, & ad ostẽtationem virium suarum, & audaciæ, temerè congredi.
Trufa, fraus, nequitia.
Trufare, decipere, ridere.
Trufator, deceptor.
Trutanus, verbis alios in fraudem impellens & decipiens.

Veniæ, sunt inclinationes, vel genu flexiones religiosorum, reuerentiæ, vel satisfactionis causa factæ.

Enim pro autem frequenter vsurpatur, vt & alijs huiusmodi particulis non rarò impropriè vtitur.

PRO-

PROLOGVS CAESARII CISTERCIENSIS MONACHI IN HEISTERBACHO IN LIBROS miraculorum.

COILIGITE fragmenta ne pereant. Cùm ex debito iniunctæ solicitudinis, aliqua ex his quæ in ordine nostro, nostris tẽporibus miraculosè gesta sunt & quotidie fiunt, recitarem nouitijs, rogatus sum à quibusdam cum instantia multa, ea dem scripto perpetuare. Dicebant enim irrecuperabile fore damnum, si ea perirent per obliuionem, quæ posteris esse poterant ad ædificationem. Cùm ad hoc minus essem paratus, cùm propter latini sermonis inopiam, tum propter inuidorum detractionem, accessit abbatis mei imperium, nec non & abbatis loci sanctæ Mariæ consilium, quibus contradicere licitum non est. Memor etiam prædictæ sententiæ Saluatoris, alijs panes integros turbis frangentibus, id est, fortes scripturarum quæstiones exponentibus, siue excellentiora moderni temporis acta scribentibus, ego micas decidentes colligens, propter inopes, non gratia, sed litteratura, duodecim ex eis sportellas impleui: totidem enim distinctionibus omne opus diuisi. Prima distinctio agit de conuersione; Secunda de contritione; Tertia de confessione;

Ioan. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quarta de tentatione ; Quinta de dæmonibus, Sexta de virtute ſimplicitatis ; Septima de beata virgine Maria ; Octaua de diuerſis viſionibus; Nona de ſacramẽto corporis & ſanguinis Chriſti; Decima de miraculis; Vndecima de morientibus; Duodecima de pœna & gloria mortuorũ. Vt autem competentius exempla ordinarem, more dialogi duas induxi perſonas, Nouitij videlicet interrogantis, & Monachi reſpondentis: quia dum dictantis nomen pagina ſupprimit, detrahentis lingua citius deficit, & areſcit. Attamẽ qui nomen eius ſcire deſiderat, prima diſtinctionũ elementa compingat. Plurima etiam inſerui, quæ extra ordinem contigerunt, eò quod eſſent ædificatoria, & à viris religioſis, ſicut & reliqua, mihi recitata. Teſtis eſt mihi Dominus, nec vnũ quidem capitulum in [illegible] dialogo me finxiſſe. Quod ſi aliqua fortè aliter ſunt geſta, quàm à me ſcripta, magis his videtur imputandum eſſe, à quibus mihi ſunt relata. Et quia cõuerti quis poteſt exterius ſine contritione, prima diſtinctio loquitur de cõuerſione. Item quia conuerſio inutilis eſt ſine contritione in peccatore, ſecũdum locum tenet diſtinctio contritionis. Item quia contritio in ſe areſcit, niſi ſubſequatur confeſſioris, rectè ei ſubiungitur diſtinctio confeſſionis. Item quia confeſſio rarò ſufficit ad delendam peccati pœnam, bene ei continuatur ſatisfactionis diſtinctio, quam tentationem eſſe probaui. Item quia dæmones tentationum auctores ſunt, ſiue incentores, ſequens de eis diſtinctio ſubiungitur. Item, quia ſimplicitas magnum eſt antidotum cõtra tentationem, diſtinctioni dæmonum, diſtinctio ſubnectitur ſimplicitatis. Sex iſtæ diſtinctiones pertinent ad meritum, reliquæ ſex ad præ-

Eadem impreſſus in poſterioribus libris habebat Apollonium & Cæſarium, quod etiam in prioribus ſermandum duximus.

ad præmium. Vt autem ſic ordinentur, etiam ratio numeri requirit. Sicut vnitas radix eſt omnium numerorum, ita & conuerſio ſignũ eſt, omnium iuſtificationum. Binario congruit contritio, quæ duplex eſt, cordis per dolorem, & corporis per afflictionem. Ternario confeſſio, quæ triplex eſt, laudis, fidei, criminis. Quaternario tentatio, quia quatuor quæ nos tentant, Deus, diabolus, caro, & mundus. Quinarius congruit diabolo, eò quod numerus ſit apoſtaticus. Senarius, qui perfectus eſt, ſimplicitati, quæ totum corpus lucidum reddit. In principijs verò diſtinctionum, tam de iſtis, quàm de cęteris, quæ ſequuntur diſtinctionibus, ratio ordinationis plenius aſſignata eſt, quia Chriſti benedictiõe collecta fragmenta in tantum multiplicata ſunt, vt panibus integris in quantitate comparentur, ad inſtar duodecim panum propoſitionum, in duobus codicibus illa poſui, ſex † diſtinctionibus in vno, & ſex in altero ordinatis.

Matth. 6.

Leuit. 24.

† Ingratiam lectoris nomen diſtinctionis in libri mutatum, ſicque totum opus in libros XII. diſtributum eſt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPITA LIBRI primi.

De institutione Ordinis Cisterciensis ca. primũ.
Quid sit conuersio, vnde dicatur, & de speciebus eius cap. 2.
De priore Claraualli, qui conuersus vt aliquid raperet, mirabiliter mutatus est cap. 3.
De nouitio in Hemmenrode conuerso, de quo sanctus Dauid dixit, Non est omnibus datum cap. 4.
Quibus occasionibus homines conuertantur cap. 5.
De canonico Leodiensi ad prædicationem sancti Bernardi conuerso, & de Angelo, quem specie monachi vidit confiteri volentis cap. 6.
De Geuardo Abbate, quem dominus Euerhardus plebanus Sancti Iacobi in Colonia, ante conuersionem in cuculla vidit cap. 7.
De conuersione Masselini clerici Episcopi Maguntiæ. cap. 8.
De conuersione magistri Stephani de Vitreio cap. 9.
De conuersione Gosuuini sacerdotis, qui de probatione cum furto fugit cap. 10.
De canonico quodam Coloniensi, qui antequam indueret habitum, resiliuit cap. 11.
De alio iuuene, qui de probatione gratia soluendorũ debitorum extractus, non est reuersus cap. 12.
De conuersione Henrici Abbatis cap. 13.
De miserabili morte Leonij nouitij apostatantis c. 14.
De horrenda morte Benneconis nouicij, & quod non liceat nouitijs redire ad seculum post votum c. 15.
De conuersione Henrici Cõtracti de Clarauallc c. 16.
De conuersione auctoris huius opusculi cap. 17.

De Ger-

De Gerlaco de Dingæ occasione cuiusdam sermonis conuerso cap. 18.
De conuersione Henrici germani regis Franciæ c. 19.
De conuersione cuiusdam, qui alteri ante ostium portæ nocte apparuit in specie infantis cap. 20.
De Theoderico & Bernardo monachis, qui ob visionem vnius veniæ in sepultura mortui, conceperunt conuersionem cap. 21.
De conuersione domini Adolphi Episcopi Osnaburgensis cap. 22.
De conuersione Henrici Camerarij cap. 23.
De conuersione Gerlaci sacerdotis cap. 24.
De Lodeuico milite, propter votum conuersionis sanato cap. 25.
De eo quod Deus aliquando differat peccatorem propter pœnitentiam, & exemplum de Ezechia cap. 26.
De errore Lodeuici Lantgrauij, & de prædestinatione cap. 27.
Quod quidã conuertantur propter paupertatẽ ca. 28.
De canonico ob erubescentiam cuiusdam furti conuerso cap. 29.
De adolescente, cui sanctimonialis, ab ipso impregnata, causa fuit conuersionis cap. 30.
De nobili viro, qui gratia conuersionis capitali sententiæ subtractus est cap. 31.
De conuersione Abbatis Morimundi, qui mortuus fuit, & reuixit cap. 32.
De clerico necromantico mortuo, qui viuenti socio apparens, suasit ordinem intrare cap. 33.
De clerico, q. propter pœnas Lodeuici Lãtgrauij, quas

Universidad de Deusto
Biblioteca

vidit, ad ordinem venit cap. 34.
De conuersione Godefridi monachi Vilariensis, & de reuelationibus eius cap. 35.
De modo & forma conuersionis cap. 36.
De conuersione VValevuani militis, qui armatus ad ordinem venit cap. 37.
De humili conuersione Philippi Abbatis cap. 38.
De eo quod quidam in cõuersione sua ordines sacros celantes, propter humilitatem Conuersi fiant. cap. 39.
De mirabili conuersione beatæ Hildegundis virginis, quæ se virum simulauerat cap. 40.
De vidua Coloniensi, quæ in cappa Conuersi egressa est de ciuitate cap. 41.
De conuersione Methildis magistræ in Fusnich. cap. 42.
De conuersione Helsuuildis Abbatissæ de Porceto. cap. 43.

DE CON-

DE CONVERSIONE LIBRI PRIMI

CAPVT PRIMVM.

CAESARIVS.

CVPIENS loqui de conuersione, illius gratiam inuoco, qui loquitur pacem in plebem suã, & super sanctos suos, & in eos qui cõuertuntur ad cor. Cuius est scribenda inspirare, calamum gubernare, mercedem laboris compensare. Ab ipso enim salutaris est conuersio, quia quos potenter conuertit, ab ipsis misericorditer iram suam auertit. APOLLONIVS. Videtur mihi necessarium, vt priusquam tractes de virtute conuersionis, summatim perstringas, quo in loco, à quibus personis, qua necessitate noster ordo sit institutus, vt sic posito fundamento, super ędifices parietes spirituales ex lapidibus viuis, politis, pretiosis, qui voluuntur super terram. CAESARIVS: In Episcopatu Lingonensi situm est cœnobium, nomine Molismus, fama celeberrimum, religione perspicuum, viris illustribus nobilitatum, possessionibus amplum, virtutibus clarum. Et quia diuitijs virtutibusque diuturna non potest esse societas, viri nimirum sapientes, & virtutum amatores, altius intelligentes, licet honestè in præfato cœnobio viuerent, minus tamen ipsam, quam professi fuerant regulam, quia obseruarent considerantes, habito inter se communi consilio, viginti & vnus monachi, vnà cum patre suo Roparto, vnanimi assen-

Psalm. 84.

De initio cœnobij Cisterciensis.

Universidad de Deusto Biblioteca

assensu, eodem spiritu, venerunt in locum horroris, & vastæ solitudinis nomine Cistertium, ibi viuere cupientes de opere manuum suarum, secũdum regulæ præceptum. Anno igitur Dominicæ incarnationis millesimo nonagesimo octauo, venerabilis Hugonis Lingonensis ecclesię Episcopi, & tunc Sedis Apostolicæ legati, atque religiosi viri Vualteri Cabilonẽsis antistitis, nec non & clarissimi principis Odonis ducis Burgundiæ, consilio & auctoritate roborati, in prædicto loco abbatiam construere cœperunt. Et quia cœnobium, de quo exierunt, constructum fuerat in honore beatæ Dei genitricis Mariæ, tã ipsi, quàm eorum successores, de eodem nouo monasterio propagati, omnes suas ecclesias in honore eiusdem gloriosæ Virginis censuerunt esse dedicandas. Non multò post, cum instantia monachis Molismensibus Abbatem suum requirentibus, iussu secundi Vrbani, consensu Vualteri Cabilonensis Episcopi reducitur, & Albericus vir sanctus ac religiosus eius loco substituitur. Cuius solicitudine, Dei gratia cooperante, non mediocriter vallis illa claruit, & in rebus necessarijs creuit. Quo defuncto, Stephanus vir æquè sanctus, natione Anglicus, successit. Et cùm adhuc essent pauci numero, personis secularibus venerantibus in eis vitę sanctitatẽ, sed abhorrẽtibus austeritatẽ, sanctus Bernardus, anno decimo quinto, cum triginta fermè socijs aduenit, & suaui iugo Christi, ibidem collum submisit. Ex tũc cœpit vinea illa Domini Sabaoth crescere, ac dilatari, atque palmites suos extendere à mari vsque ad mare, & impleta est terra possessione eius. Primæ eius propagines, Firmitas, Pontiniacum,

Psalm. 79.

cum, Clarauallis, Morimundus. Istarum quatuor domorum Abbates, tantæ auctoritatis sunt, vt Abbatem Cisterciensem visitent simul, & singillatim ab eo versa vice visitẽtur. APOLLONIVS: Quid est visitatio? CAESARIVS: Disciplinæ cõseruatio. Duo enim primitiui patres instituerũt ad vitiorum correctionem, & charitatis conseruationem, videlicet, generale capitulum, & singulis annis visitationes domorum. Anno Domini millesimo centesimo, decimo quinto fundata est domus Clarauallis, cuius primus Abbas erat Sanctus Bernardus: * Claustrensis verò, millesimo centesimo tricesimoquarto. Deinde anno millesimo centesimo octogesimo octauo, sextodecimo Kalend. April. conuentus noster exiuit de Claustro cum Abbate suo Hermanno, & vndecimo Kalend. eiusdem mensis venit super montem Stromberg. Posteà quarto anno descendit in vallem, quæ nunc dicitur vallis sancti Petri. APOLLONIVS: Cùm ex his quæ audiui, ordo Nigrorum & noster, eiusdem sint regulæ, miror cur tã disparis sint disciplinæ. CAESARIVS: Noueris Cluniacenses & Cisterciens es vnius quidem esse regulæ, sed dissimilis obseruantiæ: aiunt enim rigorem regulæ à quibusdã sanctis patribus esse temperatum, vt multi in ordine possint saluari. De habitu verò, in quo maxima videtur esse diuersitas, audi quid dicatur; De colore, aut grossitudine, non causentur monachi, sed quales inueniri possunt in prouincia qua habitant, aut quod vilius comparari potest. Hęc de his dicta sufficiant. Hoc autem fixum teneas, ordinis nostri auctorem esse Spiritum sanctum; institutorem sanctum Benedictum; innouatorem verò venerabilem Abbatem Robertũ.

** Hemmenrodense monasterium intelligit.*

S. Benedict. cap. 55. regulæ suæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT II.

APOLLONIVS.

COnsiderans in præfatione tua ordinem prō positæ narrationis, miror contritioni antepositam gratiam conuersionis, cùm videatur prorsus superfluum, vt quis conuertatur, nisi prius de peccatis suis conteratur. CAESAR. Contritio aliquando præcedit conuersionem, aliquādo sequitur. APOLLON. Vellem mihi hoc exemplis probari: prius tamen audire delectat, quid sit conuersio, vnde dicatur, quot sint eius species. seu quibus occasionibus quis conuertatur. CAESAR. Cōuersio est cordis versio, vel de malo in bonum, vel de bono in melius, vel de meliori in optimum. De hac conuersione per Salomonem dicitur: Verte impiū, & non erit; subaudis, peccator, quod prius fuit. Prima versio est ad cor, secunda in corde, tertia de corde. prima conuersionis, secunda deuotionis, tertia contēplationis. Conuersio ad cor, est redire de culpa ad gratiam, de peccato ad iustitiam, de vitio ad virtutem; de hac per Isaiam dicitur: Preuaricatores redite ad cor. Conuersio in corde, est proficere in charitate, ire de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion, id est, in cōtemplatione. de hac per Psalmistam dicitur: Ascensiones in corde suo disposuit &c. Conuersio de corde, est mentis excessus in contemplatione: hac vsa sunt cælestia illa animalia, quæ ibant & reuertebantur. Ibant de corde ad Deum, per contemplationē ascendendo; reuertebantur ad actionē rursum descendendo. Contemplatio supra cor est, vnde excessus mentis in scripturis dicitur.

Prouer. 12.
Isaiæ. 46.
Psalm 83.
Ezech. 1.
Actor. 10. 11.

tur. Dicitur autem conuersio, quasi simul versio, id est, totalis. Secundum hoc, qui vnum vitium deserit, & ab altero non recedit, se quidem vertit, sed non conuertit. Vnde Psalmista orat; Conuerte nos Deus salutaris noster &c. Est & alia species conuersionis, cùm quis locum & habitū mutat, zelo alicuius religionis. Talis conuersio sæpè fit sine contritione. Neque magnum est coram Deo peccatorem mutare locum, & non vitium; mutare vestem, & non mentem. Monstrosa res est, sub vestitu ouium, cor gerere lupinum. APOLLONIVS. Nunquid hoc contingere solet? CAESARIVS Etiam, ecce exemplum.

Psalm. 84.

CAPVT III.

De ijs qui in conuersione habitum & locum, non autem mentem mutant.

REtulit mihi frater Godefridus monachus noster, quondam canonicus sancti Andreæ in Colonia, cùm essemus simul in probatione, rem dignam memoria. Asserebat sibi à quodam monacho Claræuallis bene noto relatum, quendam clericum actu trutanum, quales per diuersas vagari solent prouincias, venisse ad Claramuallem, non quidem zelo ordinis, sed vt aliquid monasterio raperet sub pallio religionis. Factus itaque nouitius, cùm per totum annum probationis suæ insidiaretur ornamentis Ecclesiæ, & propter diligentem custodiam satisfacere nequiuisset cordis sui malitiæ, hæc intra se cogitabat; Cùm factus fuero monachus, & licuerit ministrare, sine nota ac labore ipsos calices subtraham, sicque recedam. Ecce tali intentione legit professionem, promisit obedientiam, induit cucullam. Sed pius Dominus, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, per-

Ezech. 18.

uer-

Universidad de Deusto Biblioteca

versam voluntatem mirabiliter mutauit, & v
nenum in antidotum misericorditer connert
Induto enim habitu monachali, contritus & c
uersus adeò profecit in sancta religione, vt n
multo post propter meritum vitæ, ad dignit
Prioratus ascenderet in Clarauelle, &, vt i
dixi, ipsa eius culpa, alijs facta est medicina:
postea sæpius ista recitare solitus erat nouiti
& plurimũ in eis ædificati sunt. APOLLONIV
Vellem nosse, vnde ei talis, ac tanta fuerit mut
tio. CAESARIVS: Vt æstimo principaliter ex m
sericordia Dei; secundario ex virtute & ben
dictione monachali, vt ait quidam sanctoru
patrum antiquorum, habitus monachi virtute
habet baptismi. Nouerunt Multi Henricum C
uersum de Claustro Hemmenrode, magistru
in Grangia, quæ vocatur Hart, qui testatus e
Spiritum sanctum in specie columbæ super c
put cuiusdam nouitij descendisse, cùm in mon
chum benediceretur ab Abbate. APOLLONIV
Audio in isto quod lætificat, sed quoddã occur
rit memoriæ, quod multum me terret: quosdam
intellexi venisse ad ordinem bona intentione, b
adolescentes magnæ innocentiæ, qui processu t
poris respexerunt retro, & perierunt. CAESAR
Frequẽter audiui talia; dicere solitus erat dom
nus Ioannes Archiepiscopus Treuerẽsis, vir pru
dens, & cui satis erant nota ordinis nostri secre
ta, rarum esse quod pueri, vel iuuenes ad ordin
venientes, quorum conscientias pondus peccat
non grauat, feruentes sint; imò, quod miserabile
est, vel in ordine tepidè, & minus bene viuunt
vel ab ordine prorsus recedunt: quia non est i
eis timor accusatricis conscientiæ, de virtutibus
suis

Hieron. epistol. 25. de obitu Blesillæ.

suis præsumunt, sicque subortis tentationibus minus resistunt. Nosti fratrem, qui infra hunc mensem de Grangia vicina deceptus à muliere recessit? APOLLONIVS: Optimè. CAESARIVS: De isto mihi cõstabat, quod corpore virgo fuit, iuuenis disciplinatus, ita quod neminem inter Conuersos æstimabã eo meliorẽ. APOLLONIVS: Verè Dominus, vt dicit Propheta, terribilis in consilijs super filios hominum. CAESARIVS: Dicam tibi & aliud, quod temporibus seniorum nostrorum contigit in Claustro, matre nostra Hemmenrode, sicut illorum relatione cognoui.

Psalm. 65.

CAPVT IIIII.

Resilientes à susceptio proposito religionis.

VEnit illuc quidam adolescentulus multum deuotè & humiliter petens ingressum; susceptus autem, sine querela conuersatus est. Hunc verò venerabilis sacerdos Dauid, de cuius sanctitate mira dicuntur, specialiter amabat, & ad propositum religionis verbis suis mellifluis frequentius animabat: cui iuuenis idem sequentias, & quæque dulcia cantica de Domina nostra versa vice recitauit, quibus sanctã illius deuotionem sæpius excitauit. Eodem anno flante aquilone, à quo panditur omne malum, cœpit idem nouitius fluctuare, & quia periculosè tẽtaretur, sancto viro indicare; à quo multis sermonibus confortatus, cùm tentatio non cessaret, tandem de perseuerantia desperatus ait; Ecce iam recedo, diutius quod patior sustinere non valeo. Et sanctus; Expecta me, inquit, donec vadam ad ecclesiam, & orem. & promisit. Festinante viro Dei ad oratorium, ille concito cursu redijt ad seculum, timens eius sanctis orationibus

Ierem. 1.

reti-

Universidad de Deusto Biblioteca

retineri. Reuersus venerabilis sacerdos ab oratione, cùm non inuenisset, quem reliquerat in probatione, gemens ait; Nõ est omnibus datum; scilicet vt perseuerẽt in ordine. APOLLONIVS: Stupenda sunt, quæ audio: prior, de quo supra dictum est, Claræuallis, in sua & à sua peruersitate conuertitur; adolescens iste in sua conuersione peruertitur. Quid tibi de his sentiendum videatur, edicito. CAESARIVS: Dico, sicut dixit sanctus; Non est omnibus datum. In illo manifesta Dei misericordia prædicatur; in isto occulti Dei iudicium formidetur. Miserebor, ait, cuius misereor; & misericordiam præstabo cui misereor: Non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. APOLLONIVS: Procede ergo, quia expediri volo, quo instinctu, quibusúe occasionibus homines seculares conuertantur ad ordinem.

Rom. 9.

CAPVT V.

CAESARIVS.

Causæ conuersionis.

MVltæ sunt causæ conuersionis: quidam enim conuerti videntur sola vocatione siue inspiratione Dei: alij solo instinctu spiritus maligni; nonnulli quadam leuitate animi; plurimi etiam per ministerium conuertuntur aliorum, videlicet verbo exhortationis, virtute orationis, exẽplo religionis. Sũt & innumeri, quos trahit ad ordinem multiplex necessitas, id est, infirmitas, paupertas, captiuitas, erubescentia alicuius culpæ, periculum vitæ, timor vel experimẽtum pœnę gehennalis, desiderium patriæ cælestis. Talibus congruit illud Euangelicũ; Cõpellere intrare. APOLLONIVS: Licèt hęc videantur probabilia, minus tamen sufficient, nisi anne-

Luc. 14.

annexa fuerint exẽpla. CAESARIVS. Quod quidam conuertantur sola Dei vocatione, ex hoc, quod nunc subiungam, poteris exemplo dinoscere.

CAPVT VI.

Sola Dei vocatione conuersi.

TEmporibus Conradi regis Romanorum, cùm Sanctus Bernardus prędicaret crucem in Leodio, quidam canonicus maioris ecclesiæ prostratus in oratione ante quoddam altare, vocem huiusmodi cælitùs demissam audiuit; Exi, & audi, euangelium reuixit: qui mox ab oratione surgens exiuit, & virum sanctum crucem contra Saracenos prædicantem inuenit: alios quidem signabat, alios ad ordinem suscipiebat; qui compunctus, & Spiritus sancti vnctione intus instructus, crucem suscepit, non tamen transmarinæ illius expeditionis, sed ordinis, salubrius iudicans longam crucem imprimere menti, quàm breuem zonam ad tempus assuere vesti: legerat Saluatorem dicentem. Qui non tollit crucem suam quotidie, & sequitur me, non est me dignus. Non dixit vno anno, vel duobus, sed quotidie. Multi post peregrinationes deteriores fiunt, & pristinis vitijs amplius se inuoluunt. hi similes sunt canibus reuertentibus ad vomitum, & suibus lotis in volutabro luti sui. Monachorum vita regulariter viuentium, tota crux est, eò quod in singulis membris eos obedientia crucifigat. APOLLONIVS: Videris mihi præferre ordinem peregrinationi. CAESARIVS: Non mea, sed auctoritate ecclesiæ præfertur: habet ordo Cistercienſis à Sede sibi Apostolica indultum, vt cruce signatus, vel voto cuiuslibet alterius peregrinationis obligatus, si transire voluerit ad

Luc. 9. Matth. 10.

2. Petr. 2.

Universidad de Deusto Biblioteca

rit ad ordinem, corã Deo, & facie ecclesiæ, sit absolutus. Quod si istæ duæ cruces, ordinis videlicet & peregrinationis, æquè essent salubres, indifferenter fieret commutatio alterius in alterũ. Monachus ordinem deserens, & crucem suscipiens, vel, quod tolerabilius est, sine præcepto & licentia ordinis, eidem peregrinationi se mancipans, non Christi peregrinus, sed Apostata iudicatur. Nouit successor Petri, cui socialiter com-
Matth. 16. missæ sunt claues regni cælorum, multo fore salubrius intus semper dimicare contra incentiua vitiorum, quàm foris dimicare ad tempus aduersus acies Saracenorum. Quibusdam tamen conuerti volentibus sanctus Bernardus non consensit, sed cruce signari præcepit. APOLLON. Non me pœnitet hanc mouisse quęstionem, quia multum me delectat talem audisse solutionem. CAESARIVS: Secutus est iam fatus clericus sanctum Bernardum cum socio suo Vualtero ad Clarãuallem, factiq́ue sunt ibidem ambo monachi. Contigit per idem tempus, vt conuentus à Claraualle mittendus esset in Alna monasterium fratrum regularium, eò quod ijdem fratres reddere se ordini consensissent; habebat autẽ sæpedictus Leodiensis magnum desiderium eundi cum fratribus ad ipsum locum, sed timuit dicere patri, verens ne fortè deputaret leuitati; conuersusq́; ad Dominum orauit, quatenus sibi reuelaret, quid facere deberet. Et facta est vox ad eũ; Pete quod vis, & fiet tibi. Tunc accedens ad Abbatẽ suum audacter, dixit; Pater si esset voluntas vestra, libenter irem cum fratribus istis: & respõdit; Vade cum eis in nomine Domini. Missusq́ue est tam ipse, quam Vualterus cum nouo conuentu

uentu in Alna. Non multo post factus est Prior in eodem loco. Die quadam cùm ei vnus monachorum de confessione signum faceret, ille, eò quod Sextam Dominæ nostræ psalleret, innuit ei vt modicum expectaret; interim pulsata est Sexta; & intrauit chorum vterque. Stante Priore in stallo suo, angelus Domini, vt postea patuit; in figura & habitu eiusdem monachi quasi facturus confessionẽ ad pedes Prioris se prostrauit; quem cùm leuare vellet, disparuit; & reuersus in se Prior, intellexit angelum fuisse monachi confiteri volentis, & confessionis repulsam sibi quodammodo improperantis. APOLLONIVS: Valdè miror, quod angelus sanctus Domini sic humiliter se pedibus hominis prosternere dignatus est. CAESARIVS: Cùm nobis à prælatis nostris negatur, quod saluti nostræ impendere tenentur, maximè quod ab angelis nobis deputatis vtiliter suggeritur, quasi ipsis in hoc resistitur. Angelus verò homini, tanquã cælum terræ, tanquam aurum luto, se prostrauit, vt ex ipso facto, illius negligẽtiæ exprobraret, & timore percussum, de cætero cautiorem efficeret. Hinc est quod Saluator in Euangelio dicit; Væ qui scandalisat vnum ex pusillis istis: & post pauca; Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in cælis est. Expleta hora canonica, Prior, vocato ad se monacho, dixit ei; Modo fac confessionem tuam; cui cùm ille responderet; Bene expectabo domine vsque in crastinum, in hæc verba prorupit; Hodie non gustabo, nisi audiam confessionẽ tuam: erat enim hora prandij: & acquieuit ille. Ex illa hora Prior Deo promisit, quia nulla eum occupatio, nulla occasio, nõ inceptio Psalmi, nẽ-
Matth. 18.

que

Universidad de Deusto
Biblioteca

que cursus genetricis Dei Mariæ, ab audiendis confessionibus abstraheret, cùm signum confessionis videret. Factus verò grandæuus, cum propter corporis debilitatem ad prioratùm non sufficeret, laborem Marthæ commutauit in quietem Mariæ: vouit enim Deo, vt singulis diebus psalterium ex intego decantaret, sicque virtutibus plenus migrauit ad Dominum, coniunctus cœtibus sanctorum angelorum. Vualterus compatriota eius, qui hæc, quæ dicta sunt, domino Henrico Abbati nostro recitauit, & ipse mihi, cùm cuperet dissolui & esse cum Christo, diceret

Philip. 1. Psal. 41.

que quotidie in oratione: Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? vox illi diuina respondit:

Isaiæ 33.

Regem in decore suo videbũt oculi tui. Qui cùm moreretur, stella lucida de clara super loci migrationis eius apparuit, ita vt in tota illa prouincia videretur. APOLLONIVS: Satis credibile est, quod visio stellæ illius radiantis, meritum designauerit animæ egredientis. CAESARIVS: Rectè moueris. Hoc autem scias, quod rarissime contingit, vt sole existente in superiori hemisphærio, stella aliqua videatur: quod verò super morientem stella visa est signum fuit, quod sancta illa anima in magna virtutũ celeritate Christo soli iusticiæ coniuncta est. APOLLON. Non miror si Deus eos, quos tam euidẽter ad cõuersionẽ vocat, tã excellenter in morte glorificat. CAESARIVS: Dicã tibi adhuc cõuersionẽ vnius monachi, in qua perpẽdere poteris, quia ibi sola operata sit vocatio, siue inspiratio Spiritus sancti.

CAPVT VII.

IN Ecclesia sanctæ Mariæ ad gradus in Colonia, erat quidam canonicus nomine Geuardus,

ætate adhuc floridus, & mundi vanitatibus satis deditus: in quadam solennitate, cùm statio esset ad eandem ecclesiam secundum consuetudinem, affuit & dominus Euerhardus sancti Iacobi plebanus, vir iustus atque religiosus, & propter suam sanctitatem omni ciuitati reuerendus: qui cùm venisset ante ostium chori, & introspexisset, contemplatus est eundem Geuardum in tonsura & habitu monachi Cisterciensis, inter concanonicos suos stantem, & miratus valde, dicebat intra se; O factus est Geuardus monachus? Et cùm intellexisset postea visionem fuisse, hoc de illo in corde suo iudicauit, quod postea rei euentus probauit. Et quia consilium diuinæ dispositionis mutari non potest, omnimodè in illo compleri necesse fuit, quod de eo Deus præostendit. Modico elapso tempore, idem iuuenis, non sine multorum admiratione, valedicens seculo, conuersus est in Claustro, factusque nouicius in eodem cœnobio. Quod cùm cognouisset prædictus sacerdos, Hemmenrode venit, & Geuardum visitauit, & quid de illo viderit, omnibus nouitijs recitauit. Hæc mihi dicta sunt à nonno Frederico monacho, qui tunc præsens fuit, cùm vir sanctus ista perorauit. Idẽ Geuardus postea in tantum profecit, vt domino Hermanno primo vallis sancti Petri Abbati succederet, & non modicum per eum locus ipse, tã in religione, quàm in possessionibus proficeret. Quod si tibi minus suffecerint hæc noua exempla, referam tibi etiam de verbis sancti Bernardi testimonia satis vera. APOLLONIVS: quæ nondum legi, audire delectat.

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT VIII.

CAESARIVS.

DVM ingressus fuisset aliquando regnum Germaniæ sanctus Bernardus Abbas, pacē reformaturus inter Lotharium regem Romanorū, & prædecessoris eius Henrici nepotes, Maguntinorū Episcopus Albertus nomine, clericū suum Masselinum, sic ei nomen erat, obuiā ei misit; qui cùm se missum diceret à domino suo ad seruiendum ei, paulisper eū intuitus vir Dei dixit; Alius Dominus te misit ad seruiēdum sibi. Et cùm ille ad verba sancti expauesceret, se asserens ab Episcopo missum, respondit beatus Bernardus; Falleris, maior dominus misit te Christus. Tunc primùm intelligens, quorsum sermonem vibraret, ait; Putas me monachum velle fieri? absit à me, nec cogitaui, nec ascendit in cor meum. Nihilominus tamen illo renuente, famulus Dei affirmabat omninò fieri debere, non quod ipse de se cogitauerit, sed quod Deus de illo disposuit. Qui in eodem conuersus itinere, valedicens seculo, factus est monachus in Clarauallе. Ecce vbi in isto voluntas conuertendi, in quo sola operata est voluntas Spiritus sancti? APOLLONIVS: Placet quod dicis, sed dic quæso exemplum de hoc, quod quidam è conuerso conuertantur, solo instinctu spiritus maligni. CAESARIVS: exemplum præsto est,

CAPVT IX.

Solo instinctu dæmonis conuersi.

LEgitur in vita iam dicti patris, tempore quodam venisse ad Clarauallem magistrum Stephanum de vitreio, virum magnæ scientiæ, vt putabatur, gratia conuersionis, de cuius aduē-

tu cùm

tu cùm tota vallis exultaret, personam tanti viri considerans, beatus Bernardus in hæc verba prorupit; Diabolus eum adduxit; solus venit, solus reuertetur. Ad hoc enim venerat, vt quosdam nouitios, quos in literatura ipse informauerat, ad sæculum reduceret. Ne sanctus pater scandalizaret pusillanimes, hominem recepit, quem non perseueraturum sciebat, vt nouitius fieret consensit. At spiritus malignus, cùm toto illo anno per os sui mancipij in aure nouitiorum sibilaret, nec proficeret, quem ad illorum ruinam adduxerat, solum, secundum prophetiam viri Dei, cum multa confusione reduxit. Audi & aliud exemplum de vicino.

Vitæ S. Bernardi lib. 1. cap. 13.

CAPVT X.

VEnerunt ad nos duo sacerdotes girouagi, ingressum petentes, de quorum perseuerantia cùm penè nulla esset nobis spes, negatum est eis quod postulabant. Vno discedente, alter, cui nomen erat Gosuuinus, importunitate sua vt reciperetur obtinuit, qui vix per sex hebdomadas in probatione stetit. Et nocte quadam infra matutinas, mandatis eius qui eum adduxerat obediens, cùm furto recessit. APOLLONIVS: Fortè simplici intentione venit. CAESARIVS: Nequaquam: cùm adhuc cum socio suo esset in hospitio, & paterētur difficultatem in recipiendo, dicebat alter ad alterum; Sine, licèt modò nobis sint graues, tamen eos decipiemus. Hoc quidam Conuersorum nostrorum illis ignorantibus audiuit. Nonnullos conuerti ex quadam leuitate animi, sæpius expertus sum.

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT XI.

Leuitates animi conuers.

VEnit ad nos adolescens quidam canonicus in Colonia, magis, vt postea rei exitus probauit, ex quadam leuitate mentis, quàm deuotione conuersionis, qui suum nobis aperiens propositum, iuuenibus nostris maximè, non paruum fecit gaudium. Dominus Geuardus Abbas noster intelligens solam in causa esse leuitatem, eò quod delusisset vestimenta sua, sola quippe tunica indutus venit, cùm tamen satis rogaretur suscipere iuuenem, non consensit: qui mox eadem via, qua venerat, redijt, nec aliquando postea alicuius conuersionis mentionem fecit.

CAPVT XII.

ALius quidam adolescens bene natus, & diuitum filius, ad nos parentibus ignorantibus venit, & vt reciperetur facilè obtinuit; nolo enim nomina tam huius, quàm supradicti exprimere, sperans adhuc eos reuersuros, ne fortè ex hoc patiantur confusionem. Factus itaque nouitius, vix tribus, vel quinque diebus elapsis, venerunt amici eius dolentes, & vt reuerteretur ad seculum, plurimum verbis exhortantes. Nouerant eum quandam summam pecuniæ perdidisse, nescio quo ludo, & magis ex dolore, quàm deuotione conuersum: & cùm non proficerent, suaserũt vt debita sua solueret, & statim rediret: sicque non vi, sed dolo ab amicis extractus, non est reuersus. Et cùm solenne votum fecisset inter manus domini Abbatis, & propter hoc coram clero ab eo tractus fuisset in causam, per literas Legati, alijsq; modis, quibus potuit, se defendit, asserens se conuersum ex quadam leuitate, & turbatione animi. quod si verum non esset, exemplum domini Henrici Abbatis nostri imitatus fuisset. APOLLONIVS: Hoc quid sit audire delectat.

CAPVT XIII.

CAESARIVS.

IN ecclesia Bonnensi idem Henricus canonicus fuit, plures habens redditus; inspirante Deo, fallax seculum occultè deseruit, & desiderio ordinis Cisterciensis accensus, ad domum nostram conuersionis gratia venit. Cùm adhuc esset in hospitio, duo milites fratres eius fugam eius intelligentes, & sicut homines seculares, carnalia spiritualibus, & temporalia æternis præponentes, vnde gaudere debuerant, turbati sunt: & concito gradu venientes, præmiserunt puerum, qui ei quasi ex parte matris loqueretur, vt tali occasione à conuentu abstraheretur: quẽ cùm in locum insidiarum idem puer duxisset, accurrẽtes milites, vi equo iniectum, nolentem & reluctantẽ, cum dolore totius conuẽtus, reduxerunt: nondum enim habitum induerat. Per aliquod tempus cum eis commoratus, cùm iam securi essent de eo, iterum fugit, indutoq; habitu, spem totius reuersionis eius exclusit. Non iste fecit sicut duo superiores, quia non leuitatis vitium, sed virtus constantiæ in conuersione fuit. Hoc exẽplum, & alia quædã, quæ hic ædificationis causa spripturus sum, in homelijs moralibus de infantia Saluatoris posuisse memini. APOLLONIVS: Puto graue esse peccatum, nouitium redire ad seculum. CAESARIVS: Quanta sit culpa, facilè perpenditur ex pœna.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT XIIII.

Redeuntes à religione ad seculum puniti.

PRiusquam venirem ad ordinem, in ecclesia sanctæ Mariæ ad gradus in Colonia, canonicus quidam fuit, qui valedicens seculo, religionis habitum in Hemmenrode suscepit. Nomen iuueni Leonius, & erat mihi bene notus. Habebat hic fratres milites in seculo satis potẽtes, qui cognita eius conuersione, turbati sunt, venientesque ad Claustrum, multis verbis suaserũt, vt rediret ad seculum, ordinis austeritatem ei proponentes: & quia obligatus erat debitis, aiebant hoc rationabile vt rediret, debita solueret, sicque reuertens sine querela Domino seruiret; & promiserunt quia eum reducerent. Quorum verbis miser seductus, exire consensit, inimici laqueos non obseruans. Quod videns Hermannus Abbas ingemuit, & cum multo cordis dolore militibus dixit; Hodie fratrem vestrum eijcientes de paradiso, deponitis in inferno. Reuersus ad præbendam suam, deterior factus est quàm prius, magis operam dans explendis vitijs, quàm soluendis debitis. Post annos aliquot grauiter infirmatus, iusto Dei iudicio ex nimietate infirmatis in furorem versus est; quem cum sui monerent de confessione, & de sacra communione, verba salutis non intendit; sed quasdam mulierculas, cum quibus sanus peccauerat, proprijs nominibus crebrius vocitauit: scissis autem catulis carnes illorum calidas, quasi pro remedio, capiti eius nudo imposuerunt, sed nihil ei profuerunt. Non enim poterant carnes rabidæ, sedare pœnam apostasiæ. Audi & aliud exemplum de alio nouitio.

CAPVT

CAPVT XV.

MIles quidam Benneco nomine, de villa Palmirsdorp oriundus, mecum in probatione nouitius fuit, vir quidem ętate grãdæuus, sed circa propositum religionis minus deuotus, multis modis tentatus, & in tentatione victus, cùm non acquiesceret consilio fratrum, sicut canis ad vomitum, sic miser reuersus est ad seculum. Secunda vice id actitans, præuentus infirmitate, in domo propria, in habitu seculari, diem clausit extremum, nullum pœnitentiæ demonstrans indicium. Qui cùm moreretur, tantus fuit circa domum flatus ventorum, tanta super tectum multitudo coruorum, vt excepta vna vetula, omnes de domo territi fugerent, & morientem desererent. Ecce quali morte moriuntur, qui à Deo recedunt. APOLLONIVS: Puto quia flatus ille vẽtorum, & turba crocitantium coruorum, euidẽs fuerit signum præsentiæ dæmoniorum. CAESARIVS: Planè ita est; ait enim Saluator, Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Miles iste, quia per Apostasiam retro respexit, de culpa non pœnitendo, ministris gehennæ gaudium fecit. APOLLONIVS: Si tãta est culpa nouitio redire ad seculum, quid est quod sanctus Benedictus præcepit, vt perlecta regula, nouitio in hæc verba dicatur; Ecce lex sub qua militare vis; si potes obseruare, ingredere; si non potes, liber discede? CAESARIVS: Mauult sanctus pater inter duo mala nouitium discedere tempore probationis, quàm iam monachum post diẽ professionis, vnde eum liberum vocat à loco, non à

Luce 9.

Universidad de Deusto Biblioteca

voto: vt enim taceam de his, qui iam habitum religionis induerunt, qui semel, ac secundò in facie capituli stabilitatem suam promiserunt: secularibus personis, quæ solo verbo votum fecerunt inter manus Abbatis, nequaquam licitum est vitā secularē sectari, vel matrimonio ligari. Circa nouitiū, in necessitate dominus Papa dispensat, vt ad ordinem transeat mitiorēm: sed nō permittit, vt ad vitam redeat sæcularem. Ex his quæ dicta sunt dinoscere poteris, quosdam conuerti sola vocatione Dei; alios solo instinctu spiritus maligni; nonnullos quadam leuitate animi. Quod autem quidam conuertantur per ministerium aliorum, certum est; quia sicut olim in tabernaculo Dei, cortina traxit cortinam, ita hodie in ecclesia Dei, frater trahit fratrem, & hoc tribus modis, sermone videlicet, oratione, exēplo religionis; Ecce funiculus triplex, qui difficile rumpitur. APOLLONIVS: de his exempla requiro.

Author hic loquitur de nouitijs voto aliquo obligatis.

Eccles. 4.

CAPVT XVI.

CAESARIVS.

Aliorum sermone conuersi.

IN Clarauallе ante hos vndecim annos monachus quidam Henricus nomine defunctus est, vir grandæuus & sanctus; corpore quidem contractus & confractus, sed corde multum diffusus, ac dilatatus. Multas hic habebat à Deo consolationes, plurimas reuelationes, spiritu pollēs prophetiæ, nullius expers spiritualis gratiæ. Venerabilem hunc virum tempore generalis capituli Abbates frequentabant, quos plurimū suis sermonibus ædificabat. Hunc familiares erat dominus Geuardus Abbas noster, cui inter cætera narrauit totum ordinem cōuersionis suæ.

Cùm

Cùm sanctus Bernardus prædicaret crucem in Diocæsi Constantiensi, contigit eūdem Henricū interesse sermoni, qui cum esset homo diues & potens, multa habens castra, & cùm diuitijs infinita cōmina, sermone viri Dei compunctus, ait ad ipsum, Domine, si me non terreret illa consuetudo, quam intellexi esse in ordine vestro, scilicet quod venientes ad vos indifferenter ad diuersas emittitis regiones, ego me vobis reddere in continenti. Cui vir sanctus respondit; Ego sub cōditione te non recipiā, sed hoc tibi promitto, quia si in Clarauallе monachus fueris, ibi morieris. Audito hoc verbo, mox se reddidit, factusq; est interpres Abbatis, eò quod in vtraque lingua, Gallicana videlicet & Teuthonica, multum foret expeditus. Videns hoc quidam balistarius seruus eius, homo crudelis & pronus ad fundendum sanguinem, nimis de domini conuersione turbatus, telum balistæ imposuit, vt sanctū Abbatem feriret, statimque ab angelo Domini percussus, retrorsum cecidit, & expirauit. De cuius tam repentina morte Henricus territus, & maximè de perditione animæ contristatus, sciens Abbatis sanctitatem, & in signis potentiam, ceciдit ad pedes eius, humiliter cum multa instantia supplicans, quatenus miserum de faucibus inferni suscitando liberaret. Compassus vir beatus tam vnius dolori, quàm alterius perditioni, flexis genibus Deum cum lacrymis exorauit, & mortuum celerius suscitauit. Qui suscitatus, ad suscitantis pedes corruit, & vt se in Conuersum susciperet, cum multis suspirijs petiuit: cui vir sanctus respondit: Scio quod naturaliter proteruus sis ac distortus, nec expedit vt sis inter religio-

Universidad de Deusto Biblioteca

gioſos; ſed volo vt crucem ſuſcipias, mare tranſeas, vt cum Saracenis confligendo, citiùs finiaris. Et fecit ſic, crucem ſuſcepit, mare tranſiuit, cum inimicis crucis dimicauit, & in conflictu necatus, ad Deum migrauit. Eodem tempore mulier quædam paralytica clamauit poſt hominem Dei, ſanitatem ab eo poſtulans; & cùm ſequi non valeret, iam enim præceſſerat, miſertus illius Henricus, leuauit eam in equũ ſuum, quam ſancto preſentans, benedictione percepta depoſuit, quæ ſana facta ſtetit, & proprijs pedibus gaudẽs ad propria remeauit. Hęc ab ore domini Geuardi audiui. Iſte eſt Henricus, qui tempore quodam ab eodẽ ſancto patre in partes remotiores miſſus, glacie ſub pedibus eius fracta, longius ſub vnda tractus, mirabiliter eſt illius benedictione reductus. Ecce iſte ſermone conuerſus eſt. Sed quid quæro exempla de remoto, cùm hoc quod de alijs recito, impletum gaudeam in meipſo?

CAPVT XVII.

EO tempore quo rex Philippus primò vaſtauit diœceſim Coloniensẽ, contigit me cum domino Geuardo Abbate, de monte ſanctæ VValburgis ire Coloniam: & cùm me in via cum multa inſtantia hortaretur ad conuerſionem, nec proficeret, retulit mihi viſionem illam glorioſam Claræuallis, in qua legitur, quod quodã tempore meſſis, cùm conuentus in valle meteret, beata Dei genetrix virgo Maria, & ſancta Anna mater eius, ac ſancta Maria Magdalena, de mõte venientes, quodam viro ſancto, qui ſtabat ex aduerſo, aſpiciente, in vallem eandem cum magna claritate deſcẽderunt, monachorum ſudores ter ſe-

terſerunt, flabellis manicarum ſuarum ventum admouerunt, & reliqua quæ ibidem poſita ſunt. Sermone huius viſionis in tantum motus fui, vt Abbati promitterem, me non venturum niſi ad eius domum gratia conuerſionis; ſi tamen Deus mihi inſpiraret voluntatem. Aſtrictus tunc fueram voto peregrinationis ad ſanctam Mariam Rupis Saluatoris, quæ maximè me retinuit: quapermenſes tres expleta, nullo amicorum meorũ ſciente, ſola Dei miſericordia præueniente & promouente, ad vallẽ ſancti Petri veni, & quod ſermone conceperam, nouitius factus, opere oſtendi. Simile penè contigit fratri Gerlaco de Dinge monacho noſtro. APOLLONIVS: Non erit inutile his qui adhuc in ſæculo ſunt, exempli gratia talia audire.

CAPVT XVIII.

CAESARIVS.

ANte hos tres annos dominus Henricus, qui nũc eſt Abbas noſter, dum vice Abbatis de Claraualle viſitaret in Friſia, contigit eum hoſpitari in caſtro cuiuſdam militis nomine Suederi. A quo cùm multũ deuotè ſuſceptus eſſet, vt ei conſuetudinis eſt, recitauit ibi quædam mirifica, quæ in ordine noſtro contigerunt; & cùm adeſſet prædictus Gerlacus filius fratris eius militis, canonicus maioris eccleſiæ in Traiecto, ſicut terra bona, ſemen verbi in agro cordis ſui ſuſcepit, & non multo poſt, fructum ex eo centuplum fecit. Qui, ſicut mihi poſtea in probatione retulit, ex illa hora propter conuerſionem cœpit fluctuare, & qualiter conceptum ardo-

Universidad de Deusto Biblioteca

ardorem extingueret, diligētius cogitare. Nacta igitur occasione, ne notaretur, quasi ad studium Parisios perrexit; vbi cùm modicum fecisset tempus, ad nos diuertit, factusque nouitius, ad spirituale studium se conuertit. Ex his duobus exemplis patet, quosdam sermone conuerti, vt impleatur illud Apoc. Qui audit, dicat, Veni: qui audit vocem Domini se vocantis, per internam inspirationem, iustum est, vt & alios vocare studeat per sermonis exhortationem. APOLLONIVS: Fateor mihi ista sufficere de sermone: nunc procedas obsecro de oratione. CAESARIVS: Sicut multos conuertit exhortatio sermonis, ita plurimos ad ordinem trahit virtus orationis. Vnde Apostolus Iacobus dicit; Orate pro inuicem vt saluemini: Multum enim valet deprecatio iusti assidua. Cuius efficaciam per exempla subiecta plenius agnosces.

Apoc.22.

Iacob.5.

CAPVT XIX.

Conuersi per aliorum orationes.

ACcidit tempore quodam, vt Hēricus germanus regis Franciæ veniret in Clarāuallem, locuturus beato Bernardo super quodam seculari negotio; totum etiam conuentum visitans, illius se orationibus commendauit: cui venerabilis Abbas inter cætera vitæ salutaris monita respondit; Confido in Domino, te non moriturum in eo, in quo nunc es statu, sed velociter experimento probabis, quātum tibi istorū prosit oratio, quos expetisti. Quod eodem die probatum est, non sine multorum admiratione, de tanti iuuenis exultātes conuersione: sui eum lugebant, & tanquam mortuum cernerent, ita inconsolabiliter eiulabant. APOLLONIVS: Non miror, si citò potuit conuerti, qui se habilem

lem exhibuerat conuersione. CAESARIVS: Quod si illius conuersionem magis ascribis eius meritis, quàm orationibus iustorum, audi quid post hæc actum sit. Cùm socij ac tota familia Henricum, vt iam dixi, deplangerent, Andreas quidam Parisiensis, ex nimia impatientia doloris, quasi in furorem versus, dominum suum ebrium, insanum, mentisque impotem vociferabatur, neq; conuitijs, neque blasphemijs parcēs. Et cùm Henricus virum sanctum deprecaretur, vt pro illius conuersione operam daret, respondit. Ne sis pro illo solicitus, anima eius modò in amaritudine est, tuus est ille. Et cùm repeteret audiente Andrea hoc verbum, ille sanctam religionem plurimum abhorrens, talia in corde suo tacitus voluebat, sicut postea confessus est; In hoc te nuntio falsum esse prophetam, de hoc enim certus sum, quod locutus es verbum, & non fiet. Hoc tibi coram Rege, & principibus, in celebri conuentu improperabo, vt falsitas tua omnibus innotescat. Et cùm altera die recederet, mala omnia monasterio imprecans, & vallem funditus subrui desiderans, in ipsa nocte victus, & quasi vinctus, trahente se gratia, & vim faciente spiritu Dei, vix diem expectare potuit, & ad monasterium reuertens, cunctis mirantibus, alterum se exhibendo Saulum, beato viro se reddidit. Vbi quæso in isto fuit conuertendi voluntas, siue conuersionis habilitas? Ecce Andreas iste, quantum in ipso fuit, à gratia se auertit: sed virtus orationis sanctorum, aduersum potenter conuertit. APOLLONIVS: Mira sunt hæc & stupenda, & vt considero, iustorum oratio præcipuè peccatoribus est appetenda.

Actor 9.

CAPVT

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT XX.

CAESARIVS.

IN domo nostra quidam monachus est, qui ad ordinem veniens, germanum suum, quem vnicũ habuit, adhuc conuersioni, propter ætatem minus habilem, in seculo reliquit. Timens eum seculi impedimentis irretiri, eiusque per hoc conuersionem impediri, quotidie Dominũ orauit, maxime tamen beatam eius genitricem, vt illius suis precibus accelerare dignaretur cõuersionem, cuius in sæculo periculosam esse cõsiderauit habitationem: nouerat pueros à suo proposito facilè posse auerti. Attendens pius Dominus, pium monachi circa germanum studium, cordi Abbatis immisit, vt puerum susciperet, quem infra annos, sine officij sui periculo, suscipere non potuit. Ea nocte qua habitum induit, quidam ex sacerdotibus huiusmodi visionem de illo vidit. Videbatur ei quod matrona pulcherrima ante ostium monasterij staret, & puerum pulchrum in brachijs teneret, à quo interrogata, cuius esset puer ille, respondit; Filius illius monachi est, fratrem eius nomine designans, simulque nomen nouitij intrantis exprimens: & sicut ipse intellexit, qui hanc visionem vidit, ipsa matrona pulcherrima, beata Dei genitrix fuit. Secundum Apostolum; Qui alium verbo, vel exemplo, ad bene viuendum informat, hunc profectò tanquã proprium filiũ Christo generat. Quod autem eundem nouitium venerabilis virgo Maria ad ostium monasterij, quasi mater filium, dignata est præsentare, dedit patenter

1. Cor. 4. & ad Philem.

tenter intelligere, eius conuersionem prædictũ monachum suis orationibus per eius magna merita obtinuisse. APOLLONIVS: Satis ex his cognosco virtutem orationis, superest vt cognoscã & virtutem, quę est in exemplo religionis CAESARIVS: Hoc scias, quia multi quotidiè sine exhortatione sermonis, nullis specialibus adiuti orationibus, per sola exempla religionis ad ordinem trahuntur, & per quædam signa deuotionis, disciplinæ, vel sanctitatis, quæ vident, conuertuntur.

CAPVT XXI.

Exemplũ bonis conuersi.

FRater Theodoricus monachus noster, cùm adhuc adolescens esset in seculo sacerdotem quendam cognatum suum iam nouitium visitare venit; sed non vt conuerteretur venit. Cõtigit interim fratrem mortuum sepeliri, quo sepulto, cùm conuentus dicta antiphona, Clementissime Domine, circa sepulchrum hinc inde cũ multa humilitate veniam peteret, diceretque; Domine miserere super peccatore; ita est compunctus, ita ad conuersionem est accensus, vt qui prius à Domino Geuardo Abbate admonitus, conuerti noluerat, ab illa hora vt susciperetur, vix multis precibus obtineret. Talem modũ suæ conuersionis sæpius mihi recitauit tempore suæ probationis. Recitauit mihi & frater Bernardus monachus noster in Vilario monasterio, ad visionem similis veniæ primùm voluntatem cõuertendi se concepisse. APOLLONIVS: Miror quod res tam modica, tam magnum salutem operatur in anima. CAESARIVS: Quid de hoc miraris? Quantum ad massam, multum modica est pillula, sed quantum ad efficaciam, virtus illius

Universidad de Deusto
Biblioteca

est maxima; omnes corporis venas percurrit, humores soluit & eijcit, infirmum ad sanitatem conuertit. Si tanta virtus consistit in perceptione vnius corporalis pillulæ, quare mirari debes maiorem esse, & ideo maiorem, quia spiritualem in visione vnius veniæ? Audi & aliud.

CAPVT XXII.

NObilis adolescens dominus Adolphus, nō Episcopus Osnaburgensis, canonicus fuerat maioris ecclesiæ in Colonia; hic cùm tempore quodam ad Campum, domum ordinis nostri venisset, & post missam ad orationem in oratorio staret, vidit quomodo monachi, tam senes, quàm iuuenes, ad vniuersa currentes alacria, ad disciplinas suscipiendas nudabant dorsa sua, humiliter confitentes peccata sua: quæ visio sicut mihi quidam eius familiaris narrauit, tantum boni operata est in corde adolescentis, vt dormire non posset, sed seculi pompam cōtemnens & totum se ad Dèum conuertens, ibidē manens sacrum religionis habitum susciperet: in quo tantùm profecit, vt non multo tempore post, tum propter nobilitatem, tum propter religiositatem in prædicta ecclesia apicem conscenderet episcopalem.

CAPVT XXIII.

NOsti Henricum camerarium nostrum, huius cōuersio talis fuit. Cùm esset clericus & maioris ecclesiæ in Treueri canonicus atque multis alijs ecclesiasticis stipendijs honoratus, vel oneratus, tempore quodam infirmatus est: spe igitur recuperandæ sanitatis, accepta se-

tà secum pecunia, Coloniam descendere nauigio proposuit, vt & physicos, quorum illic copia est, consuleret, & ex ipsa aëris mutatione, aliquod remedium perciperet. Veniensque contra monasterium nostrum, loci nomen requisiuit & agnouit, dicensque se velle hospitari in monasterio, pueros suos ad Abbatem pro equis, quibus ascenderet, præmisit, & accepit. Eadem nocte, nescio quid viderit, vel quo instinctu conuersus fuerit, mane familiam suam flētem cum naue remisit, & habitum regulariter induens nobiscum permansit.

CAPVT XXIIII.

FRater Gerlacus sacerdos & monachus noster, propter signa vnius deuotionis, quā in quodam monacho nostro vidit, sicut mihi confessus est, primum conuersionis amorem concepit. Die quadam cùm monachus ille, quem bene nosti, missam in eius parœcia celebraret, tantam secundum consuetudinem habebat gratiam lacrymarum, vt Gerlacus, qui propter ministeriū ex latere stabat, eādem considerans gratiam, admirans Dominum glorificaret. Ex illa hora ita cœpit ordinem diligere, vt non quiesceret, donec vnus ex ordinis personis fieret. Multa tibi adhuc possem dicere de his, qui exemplo aliorū conuersi sunt, sed breuitati studendum est. APOLLONIVS: Ex his qui iam audiui, certum est alios conuerti per sermonem exhortationis, alios per virtutem orationis, nonnullos solo exemplo religionis. CAESARIVS: Dictū est superius, adhuc alias esse causas multiplices, quas multis occasiones sunt conuersionis, scilicet infirmitatem, paupertatem, captiuitatem, notam

Universidad de Deusto Biblioteca

alicuius infamiæ, periculum præsentis vitæ, ti
morem, siue visionem gehennalis pœnæ, solum
desiderium cælestis patriæ. APOLLONIVS: D
his precor vt exempla subiungas. CAESARIVS
Quod quosdam compellat infirmitas conuerti
quotidie videmus.

CAPVT XXV.

Infirmitate compulsi ad conuersionē.

ANte hoc triennium miles quidam Lod
vuicus nomine, de castro Are, in acutis l
borabat, & vocatus est Dominus Abba
vt infirmum visitaret. Inardescente infirmitat
cùm miles idem iam omninò esset desperatu
monitus est ab Abbate, vt se ordini redderet,
votũ cõuersionis, vt mos est, verbis exprimere
qui consilio acquiescens, mox vt ex consensu
xoris inter manus Abbatis se reddidisset, facie
eius cepit immutari, & quodammodo alterari
ita vt pallor verteretur in candorem, & color
uidus proficeret in ruborem, cunctis qui ade
stupentibus, & Dei donum in moribundo mir
tibus. Et vt pius Dominus adhuc manifestius
stenderet, quia propter votum ordinis infirm
distulisset, cœpit idẽ miles sine sudore, sine sa
guine, sine sternutatione, contra infirmitat
naturam, conualescere. Qui non ingratus ben
ficijs diuinis, deportari se fecit ad monasteriu
nostrum, in quo factus nouitius & monachu
non multo post migrauit ad Dominum. APO
LONIVS: Sicut ex verbis tuis colligo,
opinio tua est, infirmum per pœniten-
tiam & orationes, dies suos posse
prolongare.

CAPV

CAPVT XXVI.

CAESARIVS.

NON hoc dico, quia non credo quempiam posse terminum sibi à Deo constitutum extendere, sed mortem quandoque imminentem euadere. Quod si verum non esset, ecclesia superfluè pro infirmantibus oraret. Cùm oratio sancta mortuos suscitet ad vitam, cur nõ, quod minus est, morituris obtineat sanitatem? Ezechiæ pœnitenti & flenti, per Isaiam à Domino dicitur; Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: ecce ego adijciam super dies tuos quindecim annos. Super quem locum Haymo sic dicit: Sciendum verò, quod sicut protoplasto quasi sub conditione datum est, vt immortalis esset, si diuinæ iussioni obediret; ita in prædestinatione Dei hi quoque anni dati sunt illi, si innocenter viuens, minimè superbiret: qui verò propter superbiam subtracti sunt, propter humilitatem iterũ restituti sunt. APOLLON. Vellẽ mihi ista, quia profunda sunt ex scripturarum testimonijs apertius probari, quia nodus diuinæ prædestinationis, multis via fuit erroris. CAESARIVS: Nodus diuinę prędestinationis mihi prorsus insolubilis est; Quis enim nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? attamen quæ superius dicta sunt, scripturarum authoritate referantur. Sanctus Iob de hominis mutabilitate loquens, dicit Deo; Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Ecce in hoc loco habes, homini terminum viuendi à Deo constitutum, & quod idem terminus intransgressibilis sit. Quod verò eundem terminum quandoque quis malè viuendo possit præanticipare, testis

4. Reg. 20. Isaiæ 38.
Haymo in cap. 38. Isaiæ.
Rom. 11.
Iob. 14.

Universidad de Deusto Biblioteca

Psal.54. est Psalmista qui dicit; Viri sanguinum & dolosi, non dimidiabunt dies suos. Si non conceditur eis dies, quibus viuere poterant, dimidiare, certum est illos longè infra terminum constitutum deficere. Similiter boni benè viuendo quandoq; merentur terminum suum præuenire, sicut de vno bono in omnium bonorũ persona dicitur Sap.4. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius, & ne fictio deciperet animam illius. Desinant ergo homines stulti stulta dicere, stultè credere, quia hodie pauci sunt principes, pauciq; nobiles, qui dies suos impleant, & ad ætatem senilem perueniant. Quare hoc? nimirum quia pauperes deprædantur, & pauperum lacrymis ante tempus suffocantur. Vis ne audire exemplum de quodam tyranno, qui quia dies suos cuitare peccando non credidit, liberius peccauit? APOLLONIVS: Volo & desidero.

CAPVT XXVII.

CAESARIVS.

EX relatione cuiusdam viri religiosi cognoui, Lodouicum Lantgrauium, patrem Hermanni Lantgrauij, qui ante hos duos annos defunctus est, in errorem periculosum, non solum propriæ animæ, sed & subditorum substantiæ decidisse; qui cum esset prædo ac tyrãnus maximus, duras & plurimas in sibi commissum populum faciens exactiones, multas ecclesiarum sibi vsui pans possessiones, & propter hoc, aliaq; plurima mala, à viris religiosis corriperetur, qui ei proponebant in confessione pœnam malorum, & gloriam electorum, verbum miserabile respõdit; Si prędestinatus sum, inquit nulla peccata poterunt mihi regnum cœlorum auferre; si præscitus, nulla bona mihi illud valebunt con-

ferre. Et, sicut mihi dicere solitus erat nonnus Conradus senex monachus noster, de Thuringiæ partibus oriundus, versiculum illum Psalmistæ; Cęlum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum, loco prouerbij ad suam excusationem arguentibus se proponebat: erat siquidẽ literatus, & ob hoc amplius induratus. Et cùm ei dicerent viri timorati; Domine parcite animæ vestræ, desistite peccare, ne Deus prouocatus, peccatorem in peccatis occidat, iterum respondit; Cùm venerit dies mortis meæ, moriar, non illum potero bene viuendo extendere, neque malè viuendo præuenire. Volens illum pius Dominus à tanto errore misericorditer reuocare, & reducere ad mentem, infirmitate periculosa cœpit eum flagellare. Vocatus est medicus eius, vir bonus, & discretus, & non solùm in physica, sed etiam in Theologia non mediocriter literatus: cui Princeps dixit; Vt vides infirmus sum valde, adhibe curam vt possim conualescere. Memor medicus illius erroris, respondit; Domine, si venit dies mortis vestræ, non vos poterit cura mea morti subtrahere; si verò moriturus nõ estis de infirmitate ista, superflua erit medicina mea. Et ille; Quomodo sic respondes? si mihi nõ fuerit adhibita curę diligẽtia, & dieta proposita, potero tam à me ipso, quàm ab alijs imperitis negligi, & ante tempus mori. Audito hoc verbo physicus multum hilaris effectus, data occasione respondit; Domine si creditis vitam vestram posse protelari virtute medicinæ, quare hoc credere renuitis de pœnitentia, & operibus iustitiæ, quæ sunt antidota animæ? sine his anima moritur, sine his ad sanitatem, quę est in futura Psal.113.

Universidad de Deusto Biblioteca

vita, nemo peruenit. Considerans Lantgrauius pondus verborum, & quod rationabiliter peroraſſet, dixit ei; De cætero medicus eſto animæ meæ, quia per tuam linguam medicinalem, Deus liberauit me à maximo errore. APOLLONIVS: Nunquid bene poſtea vixit Princeps iſte? CAESARIVS: Minimè, promiſit verbis, quod non impleuit factis: qualis eius finis fuerit, cum quãta ſarcina peccatorum obierit, pœna tormentorum illius in ſequentibus te docebit. Reuertamur igitur ad præcedentia, quia longam hanc euagationem fecit interrogatio tua.

CAPVT XXVIII.

Paupertate impulſi.

SIcut multos trahit ad ordinem medicina infirmitatis, ita plurimos intrare compellit caminus paupertatis. Sæpe vidimus, & quotidie videmus, perſonas aliquãdo in ſeculo diuites & honeſtas, vt ſunt milites, & ciues, cogente inopia, venire ad ordinem, magis ex neceſſitate volentes diuiti Deo ſeruire, quàm inter cognatos, & notos egeſtatis confuſionem ſuſtinere. Cũ quidam vir honeſtus exponeret mihi conuerſionis ſuæ ordinem, adiecit; Certè ſi in rebus meis habuiſſem proſperitatem, nunquam veniſſem ad ordinẽ. Noui quoſdam, qui patribus, ſiue fratribus conuertentibus, conuerti renuerunt, & cùm conſumpſiſſent omnia ſibi dimiſſa, tũc primum venerunt, neceſſitatem pallio deuotionis palliantes, vel potius de ipſa neceſſitate virtutem facientes. APOLLONIVS: Non eſt neceſſe de talibus exempla quærere, cùm videamus tali occaſione plures maximè Cõuerſos ad ordinem venire: ſed beati ſunt illi, qui diuitias habuerũt, & pro

& pro Chriſto illas contẽpſerunt. CAESARIVS: Non ideo beati, quia diuitiarum poſſeſſores, ſed ideo beati, quia diuitiarum contemptores. Plus placuerunt Deo duo minuta viduæ, quàm multæ diuitum eleëmoſynæ. Scias etiam quoſdam conuerti propter erubeſcentiam alicuius culpę, ſiue notam qualiſcunque infamiæ. *Marc. 12.*

CAPVT XXIX.

Nota infamiæ.

IVuenis quidam in domo noſtra nouitius fuit, quem occaſio huiuſmodi ad ordinem traxit: Fuerat ſiquidem canonicus cuiuſdam eccleſię in Colonia, qui cùm feciſſet domino, clerico honeſto, cuius tunc temporis commenſalis erat, furtum, licèt paruum, & à ſeruis illius depræhenſus fuiſſet, in tantum erubuit, vt de ſeculo fugiens, monaſterium noſtrum peteret, atque nouitius fieret. Maluit Deo ſeruire, quàm tantam confuſionem inter ſuos confratres ſuſtinere. Ego eodem tempore in eadem eccleſia poſitus, cauſam conuerſionis eius, vt iam dictum eſt, intelexi, & quia ſtabilis non eſſet talis conuerſio, ſatis timui.

CAPVT XXX.

ALius quidam adoleſcens, ſanctimonialem quandam impregnauerat, & cõfuſione vrgente, ſimulque timore, eò quod fœmina nobilis foret, conuerſus eſt in ordine noſtro: & quam diabolus ei præparauerat in ruinam, per occaſionem facta eſt illi in ſalutẽ. Iuuene ſupra dicto, iuſto Dei iudicio, ordinem deſerente, iſte adhuc perſeuerat, Dei ſe miſericordia conſeruante. APOLLON. Vt video, non eſt volen-

Universidad de Deusto Biblioteca

Rom. 9. tis, neque currentis, sed miserentis est Dei. CAESARIVS: Ita est. Quod quidam etiam conuertantur ob periculum vitæ temporalis, hoc exemplo doceberis.

CAPVT XXXI.

Periculum vitæ. EO tempore, quo Rex Otto profectus est Romam coronari in Imperatorem, imperium supra Mosellam fratri suo Henrico Palatino regendum commisit: hic nobilem quendam virum prædonem, per iudicium capitali sententia damnauit: aduenit Daniel Abbas Sconauiæ, suisque precibus apud Palatinum obtinuit, vt ei liceret viuere, & Deo pro peccatis suis in ordine Cistercienſi satisfacere. Sic homo pro suis sceleribus morti addictus, per gratiam conuersionis euasit sententiam damnationis. Frequenter huic similia audiui, scilicet vt homines flagitiosi pro suis criminibus varijs supplicijs deputati, beneficio ordinis sint libertati. APOLLONIVS: Licèt hæc videantur minima, non tamen sunt parui pẽdenda, eò quod sint ædificatoria. CAESARIVS: Quibus hæc videbuntur minima, audiant de his, quos timor pœnæ gehennalis conuertit, magna atque terribilia.

CAPVT XXXII.

Gehennæ metus. ANte hos annos vigintiquatuor, Abbas quidam Morimundis fuit, quem talis necessitas ad ordinem traxit: quæ de illo dicturus sum, ex relatione domini Hermanni Abbatis loci sanctæ Mariæ cognoui, qui eundem Abbatẽ vidit, loquẽtem audiuit, atque gestus illius diligentius, vtpote qui mortuus fuerat, & reuixit, considerauit. Cùm esset iuuenis cum cæteris scholaribus studebat Parisijs; qui cum esset duri ingenij, labilisque memoriæ, ita vt penè nihil posset capere vel retinere, ab omnibus irridebatur, ab omnibus idiota iudicabatur; vnde cœpit turbari, multisque doloribus cor eius affligi. Cõtigit vt die quadam infirmaretur, & ecce sathan affuit, qui diceret ei; Vis mihi facere homagiũ, & ego tibi dabo scientiam omnium literarum? Audiens hæc iuuenis, expauit, & diabolo talia suggerẽti respondit; Redi post me sathanas, quia nunquam eris dominus meus, neque ego homo tuus; & cùm ei non acquiesceret, manum illius quasi violenter aperuit, lapidemque imponens dixit; Quamdiu conclusum tenueris lapidem istum in manu tua, scies omnia. Recedente inimico, iuuenis surrexit, scholas intrauit, quæstiones proposuit, omnesque disputando superauit. Mirati sunt omnes, vnde idiotæ tanta facundia, nouitas tam inusitata: ille verò negotium celatum habuit, nec alicui hominum causam tantæ scientiæ exponere voluit. Non multo post infirmari cœpit vsque ad mortem, vocatus est sacerdos, qui eius audiret confessionem, cui etiam inter cæteræ confessus est, quomodo à diabolo recepisset lapidem, & cum lapide scientiam. Respondit sacerdos; Proijce miser artem diaboli, ne expers fias scientiæ Dei; territus ille, lapidem, quem adhuc manu tenebat, proiecit, & cum lapide fallacem scientiam deposuit. Quid plura? Defunctus est clericus, & corpus eius positum in ecclesia, ordinatis circa feretrũ scholaribus, qui more Christiano Psalmos decantarent, Dæmones animam tollentes, & ad vallem profun-

Universidad de Deusto Biblioteca

fundam, terribilem, fumumq; sulphureum euaporantem, illam portantes, ordinabant se ex vtraque parte vallis; & qui stabant ex vna parte, animam miseram, ad similitudinem ludi pilæ proijciebant; alij ex parte altera, per aêrem volantem, manibus suscipiebant; quorum vngues ita erant acutissimi, vt acus exacutas, omneque acumẽ ferri, incomparabiliter superarent: à quibus ita torquebatur, sicut postea dicebat, cùm eũ iactarent, vel exciperent, vt illi tormento nullum genus tormentorum posset æquiparari. Misertus illius Dominus, misit nescio quam cœlestem personam, virum magnæ reuerentiæ, qui dæmonibus tale nuncium deferebat; Audite, præcepit vobis Dominus altissimus, vt animam à vobis deceptam dimittatis. Mox omnes inclinãtes simul animam demiserunt, nec eam amplius tangere præsumpserunt. Quæ reuersa ad corpus, mẽbra exanimata viuificauit, viuificata erexit, scholares circumsidentes in fugam vertit; descendensque de feretro, dicebat se viuere, & quid viderit, quidve audierit, magis opere, quàm sermone manifestauit. Nam statim conuersus in ordine Cistercienſi, tam rigidus fuit sibi, tam durus castigator corporis sui, vt omnibus qui eum videre poterant, patenter daretur intelligi, quia pœnas senserit purgatorij, vel potius inferni. APOLLONIVS: Expediri vellẽ, vtrũ locus in quo tormentabatur, intra metas fuerit inferni, siue purgatorij. CAESARIVS: Si vallis illa pertinebat ad gehennam, constat eius confessionẽ fuisse sine contritione, quod satis ex hoc probatur, eò quod maximè pœnam illam, teste cœlesti nuncio, sustinuit propter consensum retenti lapidis.

APOL-

APOLLONIVS: Nunquid dicendus est dæmoni consensisse? CAESARIVS: Non vt ei faceret homagium consensit, sed in tantum consensit, quod non statim lapidem de manu iactauit, sed ad vsũ scientiæ diligentissimè reseruauit; circa quem etiam tãto afficiebatur amore, vt nec quidem in infirmitate deponeret, sed cum dolore ad imperium sacerdotis proijceret. Si eum dixero fuisse in purgatorio, suspecta est mihi absẽtia sanctorũ angelorum, & præsentia dæmoniorum, qui animam egressam suscipiebant, susceptam deducebant, deductam tam crudeliter extorquebant. Dicebat magister Rudolphus Scholasticus Colonienſis, in cuius scholis & ego frequentius eram, quod dæmones animam electam de corporis ergastulo egredientem nunquam tangerent, sed beati angeli ad loca purgatorij, si tamen digna esset purgatorio, deportarent: tali enim exemplo vtebatur; Non decet, ait, vt carbonarius purget aurum, sed aurifex. Postea verò propter meritum vitæ suscitatus, factus est Abbas in Morimunde, in vna de quatuor primis domibus, vir sanctus & iustus. De quo cùm interrogassem prædictum Hermannum Abbatem, si viderit illum aliquando ridentem, quia de resurgentibus dicitur, quod ridere non soleant. Respondit; Scias me hoc ipsum in illo considerasse, nec potui deprehendere in gestibus eius nutum quidẽ leuitatis, tantæ erat grauitatis, tantæ longanimitatis: nunquam illum vidi, ne quidem subridentem, neque verba leuitatis proferentem. APOLLONIVS: Miror si aliquid dixerit de forma & virtute animæ. CAESARIVS: Etiã, asserebat animam suam fuisse tanquam vas vitreum & sphericum,

Universidad de Deusto Biblioteca

ricũ, oculatam retro & ante, plurimum habuisse scientiæ, vidisse vniuersa. Nam scholaribus circa feretrum sedentibus, quæcunque actitauerant manifestauit; Vos inquit tesseris lusistis, vos inuicem capillis traxistis, vos diligenter psallebatis. APOLLONIVS: Valdè me lętificat, quod vir iste, qui corpore exutus tanta in pœnis vidit, tanta audiuit, cæteris religiosis ordinibus omissis, ordinem nostrum intrare voluit. CAESARIVS: Meritò lætificare te debet, sed aliud tibi dicam, quod eandem tuam lætitiam geminet.

CAPVT XXXIII.

DVo iuuenes, sicut didici lectione, nõ relatione, apud Toletum studebant in necromãtia; accidit vt vnus illorum vsque ad mortem infirmaretur, qui cùm moriturus esset, rogauit alter, vt infra viginti dies sibi appareret, & promisit, si tamẽ sibi concederetur. Sedẽte eo die quadam in Ecclesia coram imagine beatæ Virginis, & Psalmos pro anima illius legente, affuit miser ille, miserrimis gemitibus sua indicans tormenta; quem cùm interrogasset, vbi esset, vel quomodo haberet, respondit; Vę mihi, quia ęternaliter damnatus sum, propter artem quam didici diabolicam, quia reuera mors animæ est, sicut titulus eius ostendit: consulo autem tibi tanquam socio meo vnico, vt ab hac execrabili sciẽtia recedas, & vitam religiosam sectando, Deo pro peccatis satisfacias. Quem cum viuus interrogasset, vt tutiorem sibi viam viuendi ostenderet, iterum respondit; Nõ est via securior, quàm ordo Cistercienſis, neque inter omne genus hominum pauciores descendunt ad inferos, quàm per-

personæ religionis illius. Retulit ei & alia plurima, qua causa breuitatis omitto, eò quod in libro visionum Clareuallis scripta sunt. Iuuenis verò mox renuncians necromantiæ, factus est nouitius, ac deinde monachus in ordine Cistercienſi. APOLLONIVS: Fateor in hoc facto lætitiã cordis mei geminatam. CAESARIVS: Quia in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum; vis audire de tertio clerico pene simili modo cõuerso? APOLLON. Volo ac plurimum desidero. *Matth. 18.*

CAPVT XXXIIII.

CAESARIVS.

NArrante mihi sæpius sene monacho nostro Conrado, qui pene centenarius est, cuius supra feci mentionem, didici quod refero: ipse quidem de Thuringia oriundus, & in armis ante conuersionem exercitatus, multa nouit de actibus Lodovuici Lantgrauij, de quo supra ca. xxvij. longam texui narrationem; hic cùm moreretur, duos filios reliquit hæredes, Lodovuicum scilicet, qui in prima expeditione Ierosolymitana, quæ facta est temporibus Frederici Imperatoris, defunctus est, & Hermannum, qui eidem in principatu successit, qui nuper obijt. Lodovuicus verò, qui satis erat tractabilis, & humanus, & vt verius dicam, cæteris tyrannis minus malus, tale edictum proposuit; Si modò aliquis esset, inquit, qui veris indicijs vera mihi de anima patris mei dicere posset, bonam cortem à me reciperet. Audiebat hæc miles quidam pauper, qui fratrem habebat clericum in necromantia quandoque satis expeditum: cui cùm verba Principis indicasset, respondit ille; Bone frater, diabolum aliquando per carmina vocare consueui,

Universidad de Deusto Biblioteca

sueui, sciscitabar ab illo quo volui, diu est quod eius colloquijs artibusque renunciaui. Instante milite oportunè, importunè, ad memoriam ei reducens propriam paupertatem, promissumq; honorē, precibus eius tandē clericus victo, dęmonē vocauit: vocatus, quid veller inquisiuit; respōdit clericus; Pœnitet me tāto tempore recessisse à te, indica mihi obsecro, vbi sit anima domini mei Lantgrauij. Ait dęmon; Si vis mecum pergere, ego illum tibi ostendam. Et ille; Libenter illum viderem, si sine periculo vitæ meæ illum videre possem. Cui diabolus; Iuro tibi per altissimum, & per tremendum eius iudicium, quia si fidei meæ te commiseris, incolumem te illuc ducam, hucque reducam. Ponens clericus propter fratrem animam suam in manibus suis, collum dæmonis ascendit, quem infra breue tempus ante portam inferi deposuit, introspiciens clericus, contemplatus est loca nimis horrenda, pœnarumque diuersa genera, & dæmonem quendā aspectu terribilem, super opertum puteum residentem. Clericus vt hæc vidit, totus contremuit: & clamauit dæmon ille, ad dæmonem baiulum; Quis est ille, quem tenes in collo; adduc eum huc; Qui respondit; Amicus noster est, & iurauí ei per virtutes tuas magnas, quia eum non lederem, sed animam Lantgrauij domini sui ostenderem, sanumq; reducerem, vt omnibus tuam immensam prædicet virtutem. Ille verò statim operculum igneum, cui insedit, amouit, & tuba ænea puteo immissa, tā validè buccinauit, vt videretur clerico totus tremere mundus. Post horam, vt ei videbatur, nimis longam, puteo eructante flammas sulphureas, Lantgrauius inter scintillas ascendentes simul ascendens, videndum se clerico collotenus prębuit, ad quem ait; Ecce prę sto sum miser ille Lantgrauius, quondam dominus tuus, & vtinam nunquam natus. Cui clericus; Missus sum à filio vestro, vt ei renunciare possim de statu vestro, & si in aliquo potestis iuuari, mihi dicere debetis. Respondit ille; Statum meum bene vides, hoc tamen scias, quia si filij mei restituere vellent tales possessiones talium ecclesiarum, proprijs nominibus eas exprimens, quas mihi iniustè vsurpaui, & sub titulo hæreditario ipsis reliqui, magnum animæ meæ conferrent remedium. Cui cùm clericus diceret; Domine non credent mihi; Respōdit; Ego dicam tibi signum, quod nemo nouit præter me, & filios meos. Accepto signo, & Lātgrauio, eo videte, puteo immerso, per dæmonem reductus est: qui licet vitam non perdiderit, ita tamen pallidus & languidus redijt, vt vix agnosceretur. Verba patris filijs retulit, signa ostendit, sed modicum illi profuit. Non in hoc consentire voluerūt, vt possessiones restituerent. Respondit tamen Lodouuicus Lantgrauius clerico; Signa cognosco, patrem meum te vidisse non dubito, propositum tibi præmiū dare non renuo. Ad quem ille; Domine, cortis vestra vobis maneat, ego cogitabo quid animæ meæ expediat, relictisque omnibus, factus est monachus in ordine Cistercienſi, contemnens omnem laborē sustinere temporalem, dummodo pœnam euaderet æternam. Ecce habes tria exempla, quod quidā conuertantur timore, vel visione pœnæ gehennalis. Possem tibi de his adhuc plura dicere, sed in alijs distinctionibus illa tibi propono differere. APOLLONIVS: Si talia homines videre possent, puto quia tam liberè non peccarent. CAES. Ita est vt dicis. Audi adhuc quod superest exemplum, videlicet, quod

Universidad de Deusto Biblioteca

cet, quod quosdam conuerti cogat, non morsus conscientiæ, sed amor conseruandæ innocentiæ, & desiderium cælestis patriæ.

CAPVT XXXV.

Amor cælestis patriæ.

IN monasterio sancti Panthaleonis in Colonia, quod est nigri ordinis monachorum, iuuenis quidam fuit nomine Godefridus, puritatis eximiæ, inter fratres suos sine querela conuersatus, secundum disciplinam ordinis illius. Et quia scriptũ est; Iustus iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc, desidero supernæ vitæ accensus idem Godefridus, & quia secundum regulæ mandatum viuere non posset considerans, venit ad nos, humiliter & instanter supplicans, vt fratrum collegio iungi mereretur. Timẽs Abbas noster magis in causa esse leuitatem, quàm deuotionem, eum heu suscipere non acquieuit. Passus est à nobis repulsam, Vilarium venit, & quod petiuit, citius obtinuit. Qui quantę fuerit religiositatis, quantę sanctitatis, quàm feruens in ordine, per sacras eius reliquias vsq; hodie Dominus non cessat ostendere. Tempore quodam dominus Carolus Abbas Vilariẽsis, qui fuerat Prior noster, veniens ad nos, duxit secũ eundem virum venerabilem; &, sicut mihi dixerũt, qui viderunt, tantam gratiam deuotionis ei Dominus in missa cõtulit, vt stillicidia lachrymarum ex eius oculis super altare, vel pectus eius stillarent, quem cùm interrogaret nonnus Theodoricus de Lureke, tunc nouitius, quondam canonicus Bonnensis, quomodo orare deberet, respondit. Nihil debetis in oratione dicere, sed tantùm cogitare de Saluatoris nostri natiuitate, passione, resurrectione, & alijs quæ vobis nota sunt. Quod ipse frequenter in vsu habuit, hoc & alios docere studuit. Habebat & spiritum prophetiæ, ita vt quandoque monachis tentationes futuras prædiceret, & vt corda sua per patientiã præpararent admoneret. Quantas habuerit consolationes, quam mirificas visiones, solus ille plenè nouit, qui autor illarũ fuit. Dicam tibi quod mihi retulit monachus quidam Vilariensis de illo. Cum esset tempore quodam hebdomodarius coquinæ, & sabbato, secundũ consuetudinem, lauaret pedes monachorum, dicto cõpletorio, cũ clausisset oratoriũ, erat enim sacrista, apparuit ei Saluator linteo præcinctus, & peluim in manu tenens, & ait ad Godefridũ; Sede, vt lauẽ pedes tuos, eò quod dudũ laueris pedes meos: quod cũ territus renueret, coegit eum, flexisq; genibus, pedes eius lauit, sicq; disparuit. Secunda feria post Palmas, stãs in choro, cũ Psalmus, Eructauit cor meũ, deuotè à conuentu decantaretur, ecce, gloriosa Dei genetrix Maria de presbyterio descendens, & chorum more Abbatis circumiens, monachis benedixit, sicq; inter Abbatis & Prioris stallũ exiens, quasi ad Conuersorũ chorum properauit; exiuit ille post eã, vt videret quo iret, sed eã videre non potuit. Statim, nescio vtrum proxima, vel tertia die, infirmari cœpit, & cũ laboraret in acutis vsque ad Pascha in cõuentu perseuerãs, dorsũq; castigationibus lacerãs, atq; sacros panos cũ cæteris lauãs, tandẽ infirmitate depressus, in infirmatorio positus est, qui cũ iã agonizaret, & esset tẽpus comedẽdi, dixit ei minister suus: Inuitus vado comedere, timens ne interim moriamini: Vade, inquit, securus, ante videbo te, qui cũ in mẽsa sederet, Godefridus ostiũ refectorij aperuit, monachũ respexit, & benedixit, sicq; versus oratoriũ tetẽdit. Territus ille, putabat eũ miraculosè cõualuisse, statimq; percussa est ad exitũ eius tabula, & recordatus est infirmari, qa hoc ei promiserat. Nudato eius corpore ad lauandũ, ita inuenerũt dorsum eius plagis virga-

Apo. 22.

Psalm. 44.

Universidad de Deusto Biblioteca

virgarum liuidum, vt omnes mirarentur. Nuper per reuelationem leuata sunt ossa eius, & in sacrario posita, reseruanturque pro reliquijs. Ipsi gloria qui sic ad se conuersos magnificat, cui cum patre & spiritu sancto honor & imperium per omnia sæcula sęculorum. Amen. Multa alia de eo referũt, quæ studio breuitatis supprimo.

CAPVT XXXVI.

APOLLONIVS.

De modo siue forma cõuersionis.

SAtisfactum mihi fateor de causis, siue occasionibus conuersionis; nunc de modo, vel de forma eiusdem audire aliquid delectat. CAESAR. Quosdam ad conuersionem venire videmus, cum quadam gloriola & ostensione sæculari, alios cum exhibitione multæ humilitatis. APOLLONIVS: Quod horum est melius? CAESARIVS: Humilem conuersionem Deo placere nemo dubitat; ostensio autem alicuius gloriæ sæcularis, secundum intentionem se conuertentis iudicatur. Quidam conuerti desiderantes, de nouo se vestiunt, cum cognatis & amicis ad monasterium veniunt, ne quasi vagi & pauperes repulsam patiantur: alij verò, cum diuites sint, paupertatis habitum assumunt, vt ex humilitate conuersionis, amplius mereantur. De quibus tibi exempla subiungam.

CAPVT XXXVII.

MIles quidam nomine VValeuuanus conuerti desiderans, cum dextrario & armis suis militaribus Hemmemrode venit, armatus claustrum intrauit, & sicut mihi retulerunt seniores nostri, qui tunc præsentes erant, portario ducente, per medium chorum vadens, conuentu inspicente, & nouam formam conuersionis mirante, super altare beatæ virginis se obtulit, armisq; depositis,

sitis, in eadem domo religionis habitum suscepit. Visum est ei congruum, ibi militiam deponere sæcularem, vbi assumere proponebat militiam spiritualem. Adhuc viuit, vir bonus & religiosus, prius inter monachos nouitius, postea ob humilitatẽ factus est Conuersus.

CAPVT XXXVIII.

ABbas Philippus de Ottirburg cõtrarium fecit, sicut mihi retulit canonicus quidã Traiectensis, qui tũc temporis præsens fuit. Hic cùm esset de honesta parentela natus, & maioris ecclesiæ in Colonia canonicus, Rodolphum eiusdem ecclesiæ Scholasticum, Parisijs legentem audiuit. Diuina inspirante gratia, magistro suo ignorante, scholas deseruit, & cum esset adolescens delicatus, bonisq; vestibus indutus, pauperi scholari sibi occurrenti, illas dedit, & vilia vestimẽta illius reinduens, ad domum quandam ordinis nostri, quę Bona vallis dicitur, veniens, se in nouitium suscipi humiliter petiuit. Videntes illum fratres cappa trita, atque vetusta indutum, ęstimantes eum scholarem pauperem & vagum, suscipere renuerunt: considerans moram repulsæ esse periculosam, ingressumque sibi negari, nouissimè dixit; Si non susceperitis me, fortè vos pœnitebit, & cùm facere volueritis, esse non poterit: tunc demùm susceptus est. Cognita eius conuersione, magister Rodolphus dolens, cum socijs quibusdam ad monasterium venit, sed fundamentum supra petram positum, moueri non potuit: & quia idem Philippus se in conuersione humiliauit, in tantum illum Dominus exaltauit, vt non multo post eidem domui Abbas Præficeretur.

CAPVT

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT XXXIX.

Celatus ordo Jacer.

TAnta est virtus humilitatis, vt eius amore sæpe ad ordinem venientes clerici laicos se simulauerint, malentes pecora pascere, quàm libros legere, latius ducẽtes in humilitate Deo seruire, quàm propter sacros ordines, vel litteraturã, cæteris præesse. Hoc quia sæpius in ordine contigit, ita vt de Conuersis fierent monachi, ante hos quatuor annos definitum est in capitulo generali, vt tali modo conuersi, manerent inter Conuersos. Eodem anno quidam veniens, vt puto Diaconus, laicum se simulans, in Conuersum susceptus est, cuius Abbas cùm postea, nescio quo prodente ordines intellexisset, in sequenti capitulo casum eundem proposuit; & quia viris discretis videbatur omnino absurdum, vt quis in tam sublimi ordine positus, foret sine caractere coronæ, & sine sacrorum ordinum executione, sententiam mutauerunt. APOLLONIVS: Non miror si aliqui celant suos ordines in conuersione, cùm legamus priscis temporibus fœminas, vt fuit beata Eugenia, & sancta Eufrosina, atque beata Marina, sexum virilem simulasse, CAESARIVS: Quid hoc miraris factum temporibus priscis, cùm recentiori tempore simile in ordine nostro contigisse sciamus? APOLLONIVS: Hoc omnibus modis scire desidero, videlicet à qua persona, vbi, vel quomodo tam mirabilis facta sit conuersio. CAESARIVS: Fœmina, de qua dicturus sum, quæ fuerit, vel quomodo ad ordinem venerit, seu quomodo in ordine fuerit, vel consummauerit, sicut nobis retulit monachus quidam, qui cum ea nouitius fuerat in probatione, fida tibi pandam relatione.

CAPVT

CAPVT XL.

Sexum dissimulatus.

IN ciuitate Nussia, quæ quinque miliaribus distat à Colonia ciuitate magna, ciuis quidam habitauit, filiam habens formosam ac dilectam, nomine Hildegundem; quam vxore defuncta, cùm adhuc esset in ætate tenera, orationis gratia secum Ierosolymam duxit. In reditu verò infirmatus pater, apud Tyrum, diem clausit extremum. Moriens autem, filiam, & omnia quæ habuit, ministri sui fidei commendauit; sed fidem non seruans seruus domino, neque misericordiam exhibens defuncto, cùm esset impius & auarus, puella nocte in domo relicta, clam nauigauit, multis illam miserijs exponens. Quæ manè surgens, cùm intellexisset tutorem infidum cum patris sui substantia nauigasse, vehementer doluit, & quid ageret, vel quo se verteret, penitus ignorauit; non intelligens idioma terræ, fame cœpit tabescere, mendicando tamen scholas in eadem ciuitate anno vno frequentauit. Post hæc peregrinis de Alemannia aduentantibus, calamitatem suam exposuit, & vt sui misererentur lacrymabiliter exorauit. E quibus vnus cæteris ditior, vir bonus & nobilis, consolans desolatam, assumensque in nauim suam, derelictam, datis necessarijs, ad patriam reduxit peregrinam. Eodem tempore, cùm orta fuisset controuersia in ecclesia Treuerensi inter duos electos, Volmarum scilicet eiusdem ecclesiæ Archidiaconum, & Rodolphum maiorem Præpositum, dominus Papa Lucius priori fauebat; partem alterius Fredericus Imperator defensabat. Et quia nulli erat tutum, apices ad Apostolicum, qui tunc temporis apud Veronam morabatur, deferre, propter insidias Imperatoris, ecclesia Coloniensis, cùm vni partium faueret, & ob hoc literas ad iã dictum Papam

Universidad de Deusto Biblioteca

destinaret, baiulus earundem vitæ suæ timens, præfatam puellam, propter tonsuram & habitum adolescentem estimans, prece simul, & precio, eo quod minor suspitionis nota foret in pedite, quàm in equite, clausas in baculo literas, vt portaret obtinuit. Quæ cùm iuxta Augustam deuenisset, furem offendit: rogata ab eo, vt socius esset eius itineris, nihil mali suspicans, libens annuit. Cumq; paululum processissent, & fur quasi sonum persequentiũ excepisset, onus cum furto penes puellam reposuit, ipse verò ad secessum se ire simulans, inter fruteta se abscõdit. Quid morer? Illa à persequentibus comprehenditur, cum sacco ad iudicium trahitur, & per sententiam laqueo adiudicatur. Quæ cùm ob furti præsentiam nullam sibi prodesse cerneret allegationem, nullam excusationem, sacerdotem petiuit, & obtinuit: cui excessus suos confitens, satis simpliciter exposuit per ordinem viæ suæ causam, & furis nequitiam, & vt sacerdoti verborum fidẽ astrueret, arundinem, literas pontificales continentem, ostendit, & adiecit: Si fuerit fur quæsitus, ocyus inuenietur. Mox ad consilium sacerdotis nemus retibus & canibus ambitur, fur quæsitus comprehenditur, ad iudicium vterque trahitur. Cùm miser ille ad criminis confessionem cruciatibus compelleretur, ait; iniustè cõpellor confiteri quod non feci, iste cum furto deprehensus, secũdum ius ciuile damnandus est. Econtra, cùm puella diceret, sibi onus dolosè fuisse cõmissum, & restituere vellet depositum; respondit ille: Onus istud meum esse nego; vox vnius, testimonium est nullius. Ad hæc virgo obmutuit. Tunc accedens sacerdos pro ipsa allegauit, & quod esset innocens, doloque hominis circumuenta, satis affirmauit, &, si minus, inquit, verbis meis creditur, examine ferri candentis, quis reus

reus sit, quis innocẽs, facile comprobabitur. Quod cùm omnibus placuisset, manus furis exusta est, puellæ verò manus illæsa apparuit. Tunc fure celerius suspenso, confessor & liberator virginis gaudens, illam in domum suam recepit. Et ecce diabolo instigante, qui saluti virginis inuidit, cognatio furis, de tam turpi morte eius furens, innocuam, & Dei iudicio liberatam, de domo sacerdotis extraxit, reoque deposito, loco eius illam suspẽdit. Mox angelus Domini adfuit, qui & virginem, ne laquei sentiret angustias, sustentauit; & mirifico vultus sui odore refecit: & cùm nihil sentiret doloris, imò maximis se putaret interesse delitijs, in ipsa nocte tam suauem audiuit melodiam, & symphoniam tã diuersam, tamque iocundam, vt nullus chorus, siue corporalis, siue instrumentalis, tantæ dulcedini posset comparari. Scisciante ea, quid hoc esset? Respondit angelus, Anima sororis tuæ Agnetis cũ hoc concentu angelico in cœlum defertur, & tu post biennium feciliter sequeris. Sic beata illa per biduum pendente, pastores in vicinio pascentes, misericordia moti condixerunt, vt corpus deponerent, atque sepulturæ commendarent. Inciso verò laqueo, non, vt consuetudo est cadauerum, cũ pondere cecidit, sed paulatim, angelo sustentante, ad terram demissa stetit: quo viso territi pastores fugerunt, dixitque ei angelus Domini; Ecce liberaes, vade quò libet. Respondit illa; Domine mi, Veronam ire proposui. Statimque in momento translata est Veronam. Et ait angelus; Verona hinc distat tribus miliaribus: inter Augustam verò & Veronã, septẽ dietæ numerantur. APOLLONIVS: Videntur mihi in hac puella, antiqua iustorum miracula renouata, videlicet sancti Benedicti Abbatis, & Abacuc prophetæ, ex quibus prior cùm absens esset vidit gere-

Universidad de Deusto Biblioteca

Greg. libr. 2. Dial. c. 34. Dani. 4.

dit Germanæ suæ Scholasticæ animam in specie columbæ cœli secreta penetrare: alter verò, propheta scilicet, de Iudæa in momento in Babylonē translatus est. CAESARIVS: Verum dicis, nec minus miror, quod audire meruit animam sororis cū concentu angelico tanto locorum spatio interposito deferri in cœlum, quàm quod beatus Seuerinus Coloniæ positus, animam sancti Martini cum consimili concentu ascendere cognouit ad Dominum. Ahuc alia duo magnæ gloriæ beneficia sunt ei exhibita, scilicet quod angelo sustentāte, eculei dolores non sensit, & quod finem suum tam longè ante præsciuit. Prosperè verò apud Veronam negotio peracto, cùm rediens intrasset diœcesin VVormaciensem, non ingrata diuinæ misericordiæ, prece, & ope cuiusdam venerabilis inclusæ, obtinuit, vt à domino Theobaldo Abbate Sconauiæ, in nouitium susciperetur. Est autem Sconauia locus amænissimus, nomē trahens à re. Putans eam idem Abbas esse adolescentulum, post tergum suū in eodem equo sedere iussit: quæ cum loqueretur voce fœminea, & gracili, dixit ei Abbas; Frater Ioseph, nondum mutasti vocem tuam: respondit illa, Domine nunquam illam mutabo: Adolescentem se simulans, nomen sancti Ioseph sibi imposuerat, vt eum quem validas tentationes vicisse nouerat, contra duplicem hostem pugnatura, carnem scilicet & diabolum, memoriæ suæ arctius imprimeret, & per auxilium plenius sentiret. Et videtur in ea illud Salomonis impletum: Mulierē fortem quis inueniet? Non est inuentum simile in ordine nostro, & ideo sine exemplo, Mulierem, inquit, ex omnibus non inueni. Ingressa probationem, manum suam misit ad fortia; inter viros dormiuit, cum viris comedit & bibit, viris ad disciplinas dorsum suum

Seuer epist. ad Bassilam de transitu S. Martini

Proverb. 31.

Eccl 7.

suum nudauit: & cùm esset iuuencula multæ grauitatis, tamen ne sexus eius notaretur, quandoque suis socijs in probatione signa aliqua ostendit leuitatis. nam absente magistro, monachum, qui hoc nobis retulit, Hermannum nomine, tunc puerum quatuordecim annorum, ad cyphum suum ducens ait; Consideremus in hoc vino, quis nostrum sit formosior, & cùm relucentes in eo facies attenderent, iterum aiebat; Hermanne quomodo placet tibi facies mea? respondit ille, Videtur mihi mentum tuum dispositum sicut mentum mulieris. Tūc illa quasi indignando recessit, postea pro neglecto silentio, ambo vapulabant. APOLLONIVS: Miror, si aliquas in ordine habuerit tentationes. CAESARIVS: De eius tentationibus nihil audiui, sed quod alijs causa fuerit tentationis satis intellexi. Cùm approquinquaret tempus resolutionis eius, cæpit infirmari, & cùm præ nimia debilitate ad lectum suum portaretur, monachus quidam eam intuens, iuxta se stantibus clara voce dicebat; Homo iste vel fœmina est, vel diabolus, nunquam illum respicere potui sine tentatione. Et satis probatur ex hoc loco, quod fortis sit vis naturæ. Vocantque Priorē, cùm ei peccata quædam leuia confiteretur, & ille interrogaret, si vnquam aliquam cognouisset mulierem, respondit illa; Nunquam domine reus fui alicuius mulieris, siue viri, hoc adijciens propter sexum. Deinde recitauit ei per ordinem, eo modo quod prædictum est, vniuersa quæ circa se acta sunt, tacito sexu. Priore stupente, ac dicente; Frater quæ loqueris fidem excedere videntur, & quo argumento probare potero illa esse vera. Respondit puella: Hodie biennium effluxit, ex quo angelus Domini pendenti mihi diem resolutionis meæ prædixit; scio cui credidi, fidem seruaui, cursum

Universidad de Deusto Biblioteca

cursum consummaui: de reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ. Si ea feria, qua prædixi, ante obitum meum non deposuero officium linguæ, in spacio vnius missæ legendæ, non mihi credatis. Et adiecit, Cùm defunctus fuero, apparebit in me vnde stupeatis, & diuinæ virtuti gratias meritò referatis. His dictis quarta feria hebdomadæ paschalis xii. Kal. Maij. Anno Domini millesimo centesimo octogesimo octauo, sole tendente ad occasum, sancta illa anima de corpore virgineo egressa, migrauit ad Dominum. Percussa tabula, cùm tam Abbas, quàm cæteri fratres ad eius exequias conuolassent, & corpore exportato ad lauandum detectum fuisset, sexus femineus apparuit. Tunc omnibus in stuporem versis, miraculi nouitate, nunciatum est sacerdoti commẽdationes legenti: qui cognito sexu, textum mutauit, & pro monacho monacham, & pro fratre sororem nominauit. Postea cùm breuia pro ea scribenda essent, & nomen eius ignorarent, sub tali forma scripta sunt. xii. Kalen. Maij obijt ancilla Christi in Sconauia. Elapsis aliquot diebus, cũ fratres nomen illius beatæ scire desiderarent, miserunt in viciniam Coloniæ, vnde se oriundam dixerat, & cùm studiosè circumquaque de eius cognatione inuestigarent, nutu diuino inuenta est quædam anus, quæ se eius cognata fuisse diceret, asserẽs eam Hildegundem vocatam. Cùm ante hos annos consecraretur nouum oratorium in Sconauia, ex diuersis prouincijs ad dedicationem populi confluentes, & prædictas beatæ Hildegundis virtutes audientes, tumulum eius frequentauerunt, matronæ maximè, sanctis eius orationibus se commendantes, Deumque super tantis mirabilibus glorificantes. Et nos fratres cum illis gratias referamus Saluatori nostro, qui hæc fieri voluit nostris temporibus

poribus in ordine nostro, ad gloriam suam, & ædificationem nostrã, qui viuit & regnat cum patre & spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

EPITAPHIVM EIVSDEM virginis.

Omnis homo miretur, homo quid fecerit iste,
Hæc, cuius fossa cineres miluſit & ossa,
Mas viuens paret, moriens sed fœmina claret.
Vita fefellit, morsque refellit rem simulatam.
Hildegunt dicta, vitæ est in codice scripta.
Maij bissenis est hæc defuncta Kalendis.

APOLLONIVS. De hac puella videtur intelligendum illud Salomonis: Mulierem fortem quis inueniet? CAESARIVS: Tanta est fortitudo mentis in quibusdam fœminis, vt meritò laudentur. Prouer. 31.

CAPVT XLI.

HOnesta quædam matrona de Colonia, diuitijs pollens, & ætate florens, cùm post mariti mortem Christo nubere vellet, timore amicorum, à quibus eius desiderium impediebatur, habito consilio domini Caroli Abbatis Vilariensis, cappam Conuersi induit, sicque per illum de ciuitate educta, in monte sanctæ VValburgis monialis est effecta. APOLLONIVS: De conuersione viduarum seu maritarum, quæ de fece sæculi gustauerũt, non multum miror; virginum verò contra parentum voluntatem se conuertentium constantiam satis admiror. CAESARIVS: Quasdam ex his pro exemplo tibi ponam.

CAPVT XLII.

DOmina Methildis magistra hodie in Fusenich, cùm haberet parentes ditissimos, & ad sæ- Virginem contra parentes.

Universidad de Deusto Biblioteca

voluntatem conuersæ.

ſęculi nuptias nutriretur, adhuc in ætate tenerà cõſtituta, ſe ſolo Chriſto velle deſponſari monialemque fieri, quotidie proteſtata eſt; cumque blanditijs ſiue minis non poſſet auerti, die quadam veſtibus purpureis contra voluntatem induta, matri reſpondit; Etiam ſi feceritis me auream, non poteritis mutare propoſitum meum. Tandem tædio affecti parentes eius, cùm eam locare vellent in prædicto monaſterio ſanctæ VValburgis, nec eſſe poſſet, eò quod completus fuiſſet ſtatutus numerus ſororum, in Fuſenich conuerſa eſt, vbi adeo profecit, vt non multo poſt, licet adhuc adoleſcentula, magiſtra efficeretur. Quam poſt annos paucos Alei dis ſoror eius carnalis marito viduata, & ipſa adhuc adoleſcentula, ſecuta in eodem loco facta eſt Prioriſſa, quarum exemplo quædam earum cognata timore parentum de diœceſi Traiectenſi, in habitu virili egreſſa, apud ſanctum Thomam, quæ eſt domus ordinis noſtri, in epiſcopatu Treuerenſi poſita, ſe conuertit. Hanc cum ſoror imitari vellet, à parentibus capta eſt, & viro tradita. Spero autem quod Deus tam feruentem conuerſionis voluntatem, non relinquat irremuneratam.

CAPVT XLIII.

LAudabilem, imò ſatis mirabilẽ, dominæ Helſvuindis Abbatiſtæ de Porceto conuerſionem tibi replicabo. Hæc cùm eſſet Arnoldi Sculteti Aquenſis, viri potentis diuitiſq; filia, ſic ab eunte ætate feruebat zelo conuerſionis, vt matri frequenter diceret: Mater fac me monialem. Solita enim erat cum matre aſcendere montem ſancti Saluatoris, in quo tunc manebat conuentus ſororum de Porceto. Die quadam per feneſtram coquinæ latenter intrans, dormitorium aſcendit, & puellæ cuiuſdam cucullam induens, cum cæteris chorum intrauit;

trauit; quod cùm matri abire volenti per Abbatiſſam innotuiſſet, illa putans iocum eſſe, reſpondit, vocate puerum, oportet nos ire. Venit illa intrinſecus ad feneſtram dicens, monialis ſum, non ibo tecum. Mater verò timens maritum, reſpondit, modò tantùm venias mecum, & ego patrem tuum rogabo, vt te faciat monialem: ſicque exiuit. Matre verò tacente, contigit vt iterum montem aſcenderet, filia dormiente, quæ cum ſurrexiſſet, matre in eccleſia quæſita, & non inuenta, in monte eam eſſe ſuſpicans, ſecuta eſt ſola, & per prædictam feneſtrã ingreſſa, rurſum habitum induit. matrique roganti vt exiret, reſpondit; Amodò me non decipies, verba ſibi promiſſa replicans. Matre verò multo timore recedente, pater cum fratribus furibundus aſcendit, fores effregit, filiam vociferantem eduxit, cognatis, qui eam auerterẽt, commiſit; quibus illa, nondum, vt puto, nouem annorum, tam ſapienter reſpondit, vt mirarentur. quid plura? Epiſcopo Leodienſi patrem, & eos à quibus educta fuerat excommunicante, loco reſtituta eſt, & poſt annos paucos ibidem in Abbatiſſam electa. Hæc de conuerſione dicta ſint: multa huiuſmodi Chriſtus in ſuis operatur electis, ad gloriam ſui nominis, cui cum patre & ſpiritu ſancto honor ſit & imperium per infinita ſecula ſeculorum.

Amen.

Libri primi finis.

CAPI-

CAPITA LIBRI secundi.

De cōtritione, quid sit, vnde dicatur, quot sint species eius, quis fructus cap. primum.
De monacho apostata, qui in bello confessus, & in confessione contritus, elegit duo milia annorum esse in purgatorio cap. 2.
De monacho apostata, qui in miraculo sancti Bernardi contritus, extra ordinem mortuus, & in clericali habitu sepultus, effossus, in tonsura, & habitu monachi apparuit cap. 3.
De sacerdote qui dixit, Si peccata sunt peccata, nunquam saluabitur anima mea cap. 4.
De luxurioso sacerdote, cui columba in die natalis Domini tribus vicibus sacramentum altaris tulit, & post contritionem restituit cap. 5.
De Hildebrando latrone impœnitente, & pœna eius post mortem cap. 6.
De Godescalco vsurario, qui sedem igneam sibi in pœnis præparatam vidit cap. 7.
Quàm graue peccatum sit vsura cap. 8.
De perabola Lupoldi VVormaciensis Episcopi cap. 9.
De scholari Parisiensi, qui ob nimiam contritionem cōfiteri non potuit, cuius peccata in scedula scripta, diuinitus sunt delata cap. 10.
De muliere, quæ de filio concepit, quam Innocentius Papa ob contritionem perfectam, à peccati pœna iudicauit absolutam cap. 11.
De contritione nobilis iuuenis, qui Christum negauit, & per intercessionem beatæ virginis, gratiæ restitutus est cap. 12.

Quid

Quid Augustinus sentiat de sera pœnitentia cap. 13.
De Henrico Conuerso, qui peccatum confiteri distulerat vsque ad mortem cap. 14.
De canonico Parisiensi, qui sacramentis in fine participans, & post mortem cuidam apparens, dixit se ob non veram contritionem dannatum esse ca. 15.
De vago clerico apostatante cap. 16.
De milite Remensi, qui in præsentia sancti Bernardi cōmunicans, contritus decessit cap. 17.
De contritione Philippi comitis Namurcensis cap. 18.
De contrita oratione conuentus de Hemmenrode, quæ tempore schismatis cor Frederici Imperatoris mutauit cap. 19.
De religiosa fœmina, quæ ter in hebdomada obtinuit monacho lacrymas infra matutinas cap. 20.
Item de fœmina, quæ Domino VValtero Abbati Vilariensi impetrauit à Domino gratiam lacrymarum cap. 21.
De monacho, qui eidem VValtero eandem gratiam obtinuit cap. 22.
De monacho ad cuius lacrymas diabolus respexit, cùm cor eius inani gloria extolleretur cap. 23.
De clerico, qui puellam Iudæam stuprauerat, quem cū Iudæi accusare vellent in ecclesia iam contritum, obmutuerunt cap. 24.
De virgine Hebræa à quodam impregnata, quam cùm parentes pariturام crederent Messiam, peperit filiam cap. 25.
De puella Iudæa apud Louanium baptizata cap. 26.
De puella in Linze baptizata cap. 27.
De clerico, qui dixit Episcopos Alemaniæ non posse saluari cap. 28.

De me-

Universidad de Deusto Biblioteca

De monacho Clarauallis, qui non acquieuit recipere episcopatum cap. 29.
De Episcopo Longobardiæ, qui ostendit Christo Episcopo Moguntinensi nomina sibi commissorum in chartula conscripta cap. 30.
Visio cuiusdam de schismate Romanæ imperij, de calamitate diœcesis Coloniensis, de terra sancta, & aduentu Antichristi cap. 31.
De contentione sanctorum angelorum, cum dæmonibus, pro anima cuiusdam vsurarij contriti cap. 32.
De contritione vsurarij, quem bufones ex eleemosynis eius orti deuorauerunt cap. 33.
De contritione Theobaldi vsurarij Parisiensis. cap. 34.
De pecunia vsurarij, quæ pecuniam iuxta positam consumpsit cap. 35.
De contritione cuiusdam nobilis ab Henrico duce Saxonum excæcati cap. 36.

Finis capitum.

DE CON-

DE CONTRITIONE LIBRI SECVNDI.

CAPVT PRIMVM.

EX superiori distinctione declaratũ est, conuersionem aliquando præcedere contritionem, aliquando sequi, & exemplis probatum. Nunc verò de ipsa contritione, prout Dominus donare dignabitur, dicere propono, atque eadem quæ dicturus sum exemplis confirmabo. Et scire debes, quod contritio sit magnum bonum, & perfectum quandoq; Dei donum, de sursum descendens à patre luminum, in quo non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio; quandoque additum perfectioni; quia minima contritio, maximam delet culpam, perfecta verò, culpam simul tollit & pœnam. APOLLONIVS: Vt plenius intelligere valeam contritionis virtutem, primùm mihi debes exponere, quid sit contritio, vnde dicatur, vtrum gratis infundatur, seu ab homine mereatur, quot sint eius species, vel quid operetur in peccatore. CAESARIVS: Contritio est cordis pœnitudo, scilicet dolor de peccatis, partim surgens ex timore gehennæ, partim ex amore cœlestis patriæ. APOLLONIVS: Estne aliqua differentia inter pœnitudinem & pœnitentiam? CAESARIVS: Etiam; Pœnitudo dolor est interior, tollens culpam: pœnitentia satisfactio exterior peccati delens pœnam. APOLLONIVS: Quæ est differentia inter culpam & pœnam? CAESARIVS: Culpa est ipsum peccatum; pœna premium

De contritione.

Iacob. 1.

Quid sit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccati: si culpa est mortalis, debetur ei pro præmio æterna pœna. hanc Deus per cordis pœnitudinem, in pœnam conuertit temporalem. Hanc, si insufficiens fuerit cõtrito, delet exterior satisfactio, hæc est pœnitentia, quasi pœnam tenens dicta. APOLLONIVS: Vnde dicitur contritio? CAESARIVS: Contritio dicta est quasi simul tritio, componitur autem à con, quod est simul, & tritio, eò quod de omnibus peccatis cor simul teri debeat per dolorem. Qui de peccato vno dolet, & non de altero, nequaquam conceditur quod in corde huius sit cõtritio. Non debet peccator diuidere culpam, quia Deus non diuidit indulgentiam: simul enim totum debitum dimittit. APOLLONIVS: Si simul conterendum est de omnibus, quid est quod Psalmista dicit; Lauabo per singulas noctes lectum meum? Lectum, sicut nobis exponere soles, appellat conscientiam, singulas noctes, singula peccata: & si per singula deflet, vt sic interpolatim abluuantur, quomodo pro omnibus simul conteritur? CAESARIVS: Vna debet esse generalis contrito, quæ deleat culpam, deinde singulis, si fieri posset, diebus lacrymandũ cũ Thaide esset, ad abluendã pœnam: vnde Ezech. dicit: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. APOLLONIVS: Vnde oritur contritio? Infunditur ne gratis, vel meretur ab homine? CAESARIVS: Dicam tibi quid maiores de hoc sentiant. In iustificatione peccatoris dicunt quatuor concurrere, gratiæ infusionem, motum surgentem ex gratia & libero arbitrio, contritionem, & peccatorum remissionem. Quatuor ista, appellant quatuor iustificationes; primam non meremur, quia gratis infunditur, nec secundam meremur, quia mox ex gratia & libero arbito motus qui dam excitatur. Motum istum licèt non meremur, tamen

Psalm. 6.

Isai. 38.

Intelligit fortè autor de merito cõgrui, alioqui tenendum

tamen eo meremur tertiam iustificationem, id est contritionem. Hanc iustificationem meremur, & ea meremur quartam iustificationem, scilicet remissionem peccatorum. Ob hoc dictum est Mariæ; Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multũ: contritio enim esse non potest sine dilectione. Ecce habes quod contritio meretur. Et hoc scire debes, quia vna iustificatio, alteram non precedat tempore, sed natura. APOLLONIVS: Vellem mihi ista plenius exponi sub aliqua similitudine. CAESARIVS: Aduerte quæ dico: Pluuia terræ infunditur, & ex vtroque herba gignitur; deinde ex herba fructus producitur. Quid pluuia, nisi gratia? quid terra, nisi liberum arbitrium? Ex pluuia & terra gramen gignitur, & ex gratia liberoq; arbitrio, vt dictum est, motus contritionis oritur. Herba fructificat, cum idem motus liberum arbitrium ad satisfactionem mouet. Sterilis est terra sine pluuia, & asque fructu liberum arbitrium sine gratia; nihil operatur pluuia sine terra, quia sicut authoritas dicit; Qui fecit te sine te, non te iustificat sine te. Vnde Apost. Non ego, sed gratia Dei mecum. APOL. Quot sunt species contritionis? CAES. Duæ, interior scilicet & exterior. interior est in amaritudine cordis; exterior in afflictione corporis: de illa per Psalmistam dicitur; Cor contritum & humiliatum Deus non despicies: de ista verò Ieremias; Maledictus homo, qui prohibet gladium suum à sanguine, id est, à pœna peccati, per quam corpus affligitur. APOLLONIVS: Iam perpendo, quod maxima sit virtus contritionis. CAESARIVS: Tanta est eius virtus, vt sine illa in adultis, qui actuale addiderũt originali, infructuosus sit baptismus, sterilis confessio, inutilis satisfactio. Ecce hic habes, quod contritio in nõ baptizatis, baptismus sit primus: in baptisa-

quod tradit Conc. Trid. sess. 6. cap. 8.

Lucæ 7.

Augu. serm. 15. de verbis Apostoli.

1. Cor. 15.

Psalm. 50.

Ierem. 48.

Universidad de Deusto Biblioteca

baptisatis, post lapsũ, secundus. Baptismo igitur cõ
Luc 23 7. tritionis, baptisatus est latro in cruce, Maria Magd.
ad pedes Saluatoris. Quod culpam, quantũlibet ma-
gna sit, deleat cõtrio, subiecto doceberis exemplo.

CAPVT II.

Contritione deleri culpã.

IVuenis quidam nobilis cõuersus est in quadam
domo ordinis nostri, habebat autem Episco-
pum quendam cognatum, à quo vnicè amaba-
tur. qui cognita eius conuersione, ad monasterium
venit, & vt rediret ad seculum, verbis quibus po-
terat suasit, sed persuadere non potuit. Anno pro-
bationis expleto, factus est monachus, & non mul-
to post gradatim ascendens, in sacerdotem est ordi-
natus. Qui suadente diabolo, à quo primus homo
eiectus est de paradiso, oblitus voti, oblitus sacer-
dotij, & quod pessimum est, creatoris sui, ordinem
deseruit; & quia ad parentes redire erubuit, prædo-
nibus, quorum multitudo Rutta vocatur, se coni-
unxit. Qui ita datus est in reprobum sensum, vt
qui prius bonis erat melior, postea malis fieret de-
terior. Accidit vt in obsidione cuiusdam castri te-
lo percussus & perfossus, ad extrema deueniret, de-
portatus est à socijs in quandam villam, adhibi-
tis quidaldam, qui ei ministrarent; & cum nulla
spes esset euadendi mortem temporalem, hortabã-
tur ad confessionem, vt saltem illius beneficio mor
tem euaderet æternam; quibus respondit, quid mi-
hi prodesse posset confessio, qui tanta, & tam innu-
mera feci mala; qui tam enormia commisi scelera?
Ad hæc illi: Maior est Dei misericordia, quàm ini-
quitas tua: vix tandem, importunitate victus illo-
Ezech. 11. rum, ait; Vocate sacerdotem, qui cùm vocatus ades-
set, & coram infirmo sederet, pius Dominus, qui po
tens est auferre cor lapideum, & dare cor carneum,
tantam cordi eius contulit contritionẽ, vt sæpe cõ-
fessio-

fessionem susciperet, & propter lacrymas & sin-
gultus totiens in voce deficeret. Tandem collecto
spiritu in huiusmodi verba prorupit; Domine pec-
caui super arenam maris, monachus fui ordinis Ci-
stercienſis, & in ordine sacerdos factus, ordinem,
peccatis meis exigentibus, deserui; & nõ mihi suf-
fecit quod apostataui, sed & prædonibus me coni-
unxi, quos in crudelitate superaui; quibus illi tol-
lebant substantiam, ego abstuli vitam, nemini par-
cebat oculus meus: si illi quandoque parcebant hu-
mana ducti miseratione, ego cordis mei impellẽte
malitia, nemini, quãtum in me fuit, parcere potui:
multorum vxores & filias violaui, incendijs pluri-
ma vastaui. Enumerauit & alia quã plurima, quodã-
modo naturam humanam excedẽtia. Talibus sacer-
dos auditis, peccatorum eius enormitate territus,
sicut stultus fuit, ita & stultè respondit: Maior est,
inquit iniquitas vestra, quàm vt veniã mereamini:
respondit ille; Dñe, literatus sum, sæpius audiui &
legi, quia nulla sit cõparatio humanę malitię ad di-
uinam bonitatẽ: ait enim per Prophetam Ezech. In Ezech. 33.
quacũq; hora peccator ingemuerit, saluus erit. Itẽ;
Nolo mortẽ peccatoris, sed vt cõuertatur & viuat.
Rogo vos ergo intuitu diuinæ misericordię, vt ali-
quã mihi dignemini pœnitentiã iniũgere. Et sacer
dos: Nescio, quid tibi iniungere debeam, quia ho-
mo perditus es: respondit monachus; Domine, ex
quo non sum dignus à vobis recipere pænitentiam,
ego mihi ipse pœnitentiam iniungam: eligo enim
duo milia annorum esse in purgatorio, vt post illos
misericordiam inueniam coram Deo. Positus si-
quidem fuerat inter duas molas, timorem videli-
cet gehennæ, & spem gloriæ. APOLLONIVS:
Vt quid tam prolixum terminum elegit? CAESA-
RIVS: Quia & magnitudinem peccatorũ suorum
consi-

Universidad de Deusto Biblioteca

considerauit, & pœnam temporalem respectu æternæ pœnæ quasi momentum reputauit. Dicebat iterum sacerdoti: Ex quo negastis mihi medicinam satisfactionis, peto vt non fraudetis me à viatico sacræ communionis. Respondit ei stolidus sacerdos; Si tibi ausus non fui iniungere pœnitentiam, quomodo præsumam tibi dare Christi corpus & sanguinem? Et cùm ad neutrum acquiesceret, vnicã tandem rogauit petitionem dicens; Statum meum in scedula scribere volo, & vos deferre eam debetis tali Episco cognato meo, ex nomine eum designans, spero quia pro me orabit. Et promisit sacerdos. Mortuus est monachus, & ad purgatorium deportatus. Et venit sacerdos ad Episcopum, defuncti literas ei deferens, quas cùm legisset, amarissimè fleuit, dixitque sacerdoti, nunquam tantùm dilexi hominem, dolui de apostasia, doleo de morte, dilexi viuum, diligam mortuum, quia iuuari potest, & contritus obijt, orationibus ecclesiæ meæ non carebit: & conuocans prælatos episcopatus sui, Abbates scilicet, Decanos, Priores & Pastores ecclesiarum, vel quibus commissa fuerat cura animarum, & hoc ipsum demandans monasterijs sanctimonialium, rogans cum multa humilitate, & instantia, viua voce præsentes, literis absentes, vt omnes speciales orationes, quas ipse iniunxit, illo anno animæ iam dicti defuncti impenderent, tam in Missis, quàm in Psalmis. Ipse verò præter Missas, & elëmosynas, ac orationes peculiares, quas pro eo fecit, singulis diebus hostiam salutarem pro absolutione animæ eius immolauit. Quod si fortè in maxima necessitate, vel infirmitate, hoc per seipsum facere non potuit, alter defectum illum suppleuit. Anno completo, in fine Missæ, post altare stans defunctus, apparuit Episcopo, pallidus, exilis, macilentus, in veste

veste pulla; vultu habituq; statum suum bene declarans, quem cùm interrogasset, quomodo haberet, vel vnde veniret, respondit; In pœnis sum, & de pœnis venio, sed gratias ago charitati tuæ, quia annus iste propter eleëmosynas & orationes tuas, atque beneficia Ecclesiæ tuæ, mihi exhibita, abstulit mihi mille annorum pœnas, quas sustinere habebam in purgatorio: quod si adhuc vno anno similẽ mihi impenderis opẽ, omninò liberabor. Audiens hoc Episcopus, lętus effectus, Deo gratias egit, missisq; literis ad ecclesias, siue monasteria, visionem omnibus exposuit, & vt adhuc vno anno iniunctas seruarent orationes obtinuit. Episcopus verò annũ sequentem prædecenti continuauit, tanto in exhibitione feruentior, quanto iam de liberatione securior. Expleto anno, cùm Episcopus missam pro eo celebraret, iterum adfuit illic in cuculla niuea, & facie serenata, dicens sibi omnia optata succedere, & ait Episcopo; Remuneret Deus omnipotens charitatem tuam sanctissime pater, quia propter tuam sollicitudinem ereptus de pœnis, iam ingredior gaudium Domini mei; & ecce isti duo anni, reputati sunt mihi pro duobus milibus annorum: & non vidit eum amplius. APOLLONIVS: Valdè lætificant ista; sed duo mihi occurrunt admiratione digna, primum est, virtus contritionis, per quam meritò damnandus, dignus effectus est vita æterna: Secundum est, virtus orationum, per quam tam celeriter liberatus est à pœna purgatorij. CAESARIVS: Licèt magna virtus sit in vtroque, amplior tamẽ inuenitur in contritione; orationes enim ecclesiæ, siue eleëmosynæ, non sunt de substantia mereti; valent quidem defuncti minuere pœnam, sed non possunt augere gloriam. APOLLONIVS: Miror etiam, quod homo apostata in habitu seculari

Universidad de Deusto Biblioteca

mortuus & ſepultus, in cuculla aparuit. CAESARIVS: Cõtritio de apoſtate monachum fecit, & veſtem ſecularem in cucullam conuertit. APOLLONIVS: Vellem mihi hoc euidentiori exemplo probari. CAESARIVS: Exemplum ad manum eſt.

CAPVT III.

Contritio ex apoſtata fatis monachũ.

BEatus Bernardus, ſicut quidam ſacerdos retulit religioſus, manachum quendam habuit, in quo hoc quod quæris, per virtutem contritionis Deus manifeſtius oſtendit: multa adhuc à veteranis, qui eundem viderunt, quorum adhuc quidã in domo noſtra ſuperſunt, narrari ſolent, quæ non ſunt ſcripto mandata. Monachus idem, de quo cœpit ſermo, ſuadente inimico, habitum depoſuit, & paræciã quandã, eodẽ cooperante, regendã ſuſcepit: erat quippe ſacerdos. Et quia ſæpe peccatũ peccato punitur, deſertor ordinis, in vitiũ labitur libidinis; concubinã, ſicut multis conſuetudinis eſt, ad ſibi cohabitandum accepit, de qua & liberos genuit. Accidit vt poſt annos plurimos, miſerante Deo, qui neminem vult perire, ſanctus Abbas per villam, in qua monachus habitauit, tranſiret, & ad domum illius hoſpitandi gratia diuerteret: quem ille benè cognoſcens, & quaſi proprium patrem cum multa reuerentia excipiens, deuotè miniſtrauit, & tam ipſi, quàm ſocijs, ac iumentis, neceſſaria copiosè procurauit, non tamen recognitus eſt ab Abbate. Manè cùm vir ſanctus, dictis matutinis, paratus eſſet ad eundum, nec poſſet loqui ſacerdoti, eò quod maturius ſurgens iſſet ad eccleſiam, ait filio ipſius ſacerdotis: Vade defer nuncium iſtud domino tuo; erat autem puer mutus à natiuitate. Qui præcepto obediẽs, & etiam præcipientis virtutem in ſe ſentiens, ad patrem cucurrit, & ſancti patris verba, verbis valdè abſolutè expreſſis, dicens; Hæc,

Hæc, & hæc mandat tibi Abbas. Pater primam vocem filij audiens, & præ gaudio lacrymans, vt ſecundò, & tertiò eadem verba repeteret admonuit, & quid ſibi Abbas fecerit, diligenter inquiſiuit. Cui ille; Nihil aliud mihi fecit, ſed ſolummodo verbis dixit mihi, Vade dic domino tuo verba hęc. Ad tam euidens miraculum ſacerdos compunctus, feſtinanter ad ſanctum virum venit, ſeque cum lacrymis ad pedes illius proſtrauit; Domine pater, inquit monachus veſter talis, ac talis fui, & tali tẽpore à monaſterio receſſi, rogo igitur paternitatẽ veſtram, vt liceat mihi redire vobiſcum ad monaſterium, quia Deus in aduentu veſtro viſitauit cor meum. Cui ſanctus; Expecta me hic, & ego peracto negotio citius reuertens, ducam te mecum. Timẽs ille mortem, quam prius non timebat, reſpondit; Domine timeo interim mori. ad hæc ille; Hoc pro certo ſcias, quia ſi in tali contritione ac propoſito mortuus fueris, coram Deo monachus inueneris. Receſſit, redijt, illumque recenter mortuum, ac ſepultum audiens, ſepulchrum aperiri præcepit. Dicentibus qui aderant, quid facere vellet? reſpondit; Volo videre vtrum in ſepulchro iaceat monachus, an clericus; Clericum, inquiunt, in habitu clericali ſepeliuimus. Reiecta terra, non in veſte qua ſepultus fuit, ſed in tonſura, & habitu monachi cunctis apparuit. Et magnificatus eſt ab omnibus Deus, qui voluntatem pro facto reputat. Ecce in iſto manifeſtè habes, quod vera contritio coram Deo reſtituat, quicquid tollit vitium apoſtaſiæ. Hoc tamen ſcias quod tẽpus apoſtaſiæ totum infructuoſum ſit. APOLLON. Benè ex his, quæ iã dicta ſunt, recognoſco virtutem contritionis, ſed amplius admiror ineffabilem miſericordiã noſtri Saluatoris. Homo iſte apoſtata fuit, fornicator fuit, & quod

Universidad de Deusto Biblioteca

quod amplius pōdero, quotidie sacrosancta Christi mysteria tractare pollutis manibus non pertimuit. CAESARIVS: Iuste moueris, vbi cōtemptus est maior, ibi & culpa grauior. Ait enim Apostolus: Quicunque manducat panem & bibit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Super quem locum dicit glossa; mortis Christi pœnas dabit, ac si Christum occiderit, punietur. Si Christi crucifixoribus in pœna similis erit, qui indignè, hoc est, in mortali quolibet existens, accesserit, quid de illo sentiendum est, qui in multis, & assiduis mortalibus manens, non solùm manducat, sed etiam scelestis manibus conficit & tractat? Audi quid mihi dixerit nonnus Cæsarius monachus noster, quondam Abbas Prumiæ.

1.Cor.11.

Gloss. interli. Sedulius ibidem.

CAPVT IIII.

De malis sacerdotibus.

LOquente me, ait, tempore quodam cum quodā sacerdote de peccatis, ille non confitendo, sed peccata parui pendendo, respondit: Si peccata, sicut homines dicunt, sunt peccata, & tam grauia, nunquam saluari poterit anima mea, inquit; quia in hac nocte dormiui cum legitima cuiusdam, & hodie celebraui tres Missas. Erat autem in eadem nocte duplex festiuitas, scilicet dominicæ diei, & S. Laurentij martyris. APOLLONIVS: Stupenda sunt quæ audio, sed miror valde, quod Deus tātum in se contemptum potest sustinere. CAESARIVS: Si Deus in peccatis statim occideret peccatores, nō hodie tam innumeros haberet professores. Vis ergo audire rem horrendam de sacerdote huiusmodi, in quo & mirari poteris ineffabilem patientiam Dei? APPOLLONIVS: Volo, & audire desidero, quia diuina patientia permaximè nobis est necessaria.

CAPVT

CAPVT V.

DOminus Conradus, quōdam Episcopus Halberstadensis, anno pręterito retulit nobis historiam satis mirabilem, quam contigisse dicebat ante paucos annos in regno Franciæ. Erat ibi sacerdos quidam, qui in ipsa nocte natalis Domini transire debebat per breuem campum de vna villa ad aliam, vt ibidem secundum consuetudinem matutinas diceret, Missasque celebraret: opere diaboli, vt creditur, iuxta villam soli sola mulier occurrit, & quia fine teste fuit, solus cum sola peccauit. Perpetrata culpa tam nepharia, non eum retraxit à maiori contemptu accusatrix conscientia, sed magis timens humanam verecundiam, quàm diuinam vindictam, ecclesiam intrauit, dictisque matutinis, Missam de nocte in primo galli cantu, secundum morem, solenniter inchoauit. Transubstantiatione facta, panis videlicet in corpus, & vini in sanguinem Christi, columba niuea, ipso sacerdote aspiciente, super altare descendit, totumque ebibens quod erat in calice, rostro suo hostiam tulit, & auolauit. Videns ista sacerdos, satis, & si non salubriter, est territus, & quid faceret, non parum perplexus, canonem propter populum circumstantem, quantum ad verba & signa compleuit, sed fructu canonis caruit. Post Missam, decantatis laudibus, cùm Missam de mane diceret, eò quod non haberet, qui vicem suam suppleret, eadem columba, hora qua prius, iterum venit, sacramentum abstulit, & recessit. APOLLONIVS: Quare exemplo Abrahæ non abegit eam? CAESARIVS: Talis columba non fuit, quæ repelli, aut teneri posset, puto eam similē fuisse illi columbæ, quæ in Iordane vidente Ioanne, super verticem Domini resedit. APOLLONIVS: Quid sentiendum est de illa columba, eratne Spiritus san-

Genes.10.

Matth.3.

Universidad de Deusto Biblioteca

tus ſanctus? CAESARIVS: Nequaquam, ſed indicium præſentiæ Spiritus ſancti. Peracto enim miniſterio, ad quod à Spiritu ſancto fuerat creata, in præiacentem materiam eſt redacta. Natura diuinitatis, non poteſt oculis corporalibus videri, non auribus audiri, non manibus tangi. In ſubiecta creatura, vt eſt ignis, & columba, ſæpe viſus eſt. APOLLONIVS: Quid poſtea egit ſacerdos? CAESARIVS: Non ceſſauit à præſumptione ſua, ſed tertiò accedens ad altare celebraturus Miſſam de die, per eandem columbam, eo modo quo primo & ſecundo, ei puer natus ſacramentum corporis & ſanguinis ſui ſubtraxit. Tandem in ſe miſer reuerſus, & de culpa, licèt indignus, Dei tamen gratia compunctus, venit ad quendam Abbatem ordinis noſtri confeſſionem ei faciens tanti peccati: expoſuit ei omnem ordinem rei, cum multis lacrymis videlicet quàm indignè tertiò repulſus ſit à diuinis ſacramentis. Abbas verò, ſicut vir prudens & diſcretus, contritum eum ex toto corde conſiderans, virtutem contritionis probare volens, dandam pœnitentiam ſuſpendit, & vt ocyus iret celebrare Miſſam præcepit. Ille verò quaſi Deo obediens confeſſori ſuo, cum multo timore, & lacrymis ad altare Miſſam celebraturus acceſſit, quē pius
Cap. 11. Dominus, qui nihil horum odit, quæ fecit, ſed diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam, mirabiliter lætificauit. Ante horam ſumptionis colūba rediens, tres hoſtias, quas ſingulatim tulerat, ſimul roſtro deferēs, corporali impoſuit, & triū Miſ-
Pſal. 135. ſarum liquorē, de gutture ſuo calici immiſit, ac receſſit. Vidēs hęc presbyter, gaudio repletus eſt maximo, gratias agens Deo, qui facit mirabilia magna ſolus. Reuerſusque ad Abbatem, diuinam ei conſolationem recitauit, & vt ab eo in monachū recipe-

tur hu-

tur humiliter ſupplicauit. Cui reſpōdit Abbas, nō te hoc tempore ſuſcipiā, ſed volo vt mare tranſeas, & pro peccato tuo tribus annis in hoſpitali infirmantibus ſeruias; ſi tunc reuerſus fueris, nullam à me repulſam patieris: volebat enim, vt per laborē tāti itineris, & pericula maris, pœnam peccati deleret, & pauperes infirmoſq;, propter opera miſericordiæ ſibi interceſſores faceret. Fecit ille, quod Abbas præcepit, & poſt tres annos reuertens, habitū religionis in eius domo ſuſcepit. APOLLON. Felix peccatum, cuius occaſione tātus peccator ad tantum peruenit bonum. CAESARIVS: Licèt mortalis noxa in ſe valde ſit mala, aliquando tamen per occaſionem quibuſdam efficitur bona, id eſt, vtilis. Timore vnius peccati, quandoque homo à multis, imò ab omnibus peccatis liberatur: dum enim pœnam imminentem timet, confitetur & dolet, & per pœnitentiam totum delet. APOLLONIVS: Bene hoc, quod dicis, concedo, quia ſi vnam deformem maculā in veſte mea videro, occaſione illius totam veſtem lauo. CAESARIVS: Hoc tamen ſcire debes, quod quādoq; Deus peccata dimittit mortalia, & non quædam venialia: ſed non dimittit aliquod veniale, niſi ſimul dimittat quodlibet mortale. APOL. Quomodo hoc ſit non intelligo. CAES. Quędā ſunt venalia, vt eſt nimius affectus parentū circa liberos, de quibus non poſſunt dolere, nec ea poſſunt dimittere, & idcirco eis in præſenti non remittuntur. Sed quicquid de venialibus fiat, homo prudens de mortalibus caueat; quia cum per ſe poſſit cadere, non tamē per ſe valet reſurgere. quis ſcit ſi Deus lapſo dignetur porrigere manum ſubleuantem, hoc eſt, gratiam illuminantem? Quidā cadunt, vt Iudas, & non reſurgūt: alij, vt Petrus, cadūt, & fortius reſurgūt. Dicā tibi de his teſtimonia

veriſ-

Universidad de Deusto Biblioteca

veriſſima, & tanto tibi eſſe debent gratiora, quanto recentiora.

CAPVT VI.

Lapſi non resurgentes.

RECitauit mihi frater Bernardus monachus noſter, de quodam homine diuitis cuiuſdam villico, qui ſatis grauiter cecidit, & poſt lapſum ſurgere non voluit; & ideo fortè non voluit, quia non potuit: reuera non potuit, quia donũ contritionis in corde non fuit. Nomen homini Hildebrandus, habitans in villa quadam diœceſis Traiectenſis, quæ dicitur Holchoyn. Die quadam ſyluã cum alio quadam conciue ſuo intrauit, quem, ſuadente diabolo, cùm ſoli eſſent, occidit. Fuerant aliquando inter eos inimicitiæ, ſed tunc tẽporis penitus erãt ſopitæ. Reuerſo Hildebrando in villam, interrogabãt eũ amici occiſi vbi eſſet, qui reſpõdit, ne ſcio, expectãtibus illis die illo & altero, cũ non rediret, qui iã redire nõ potuit, ſuſpectũ habẽtes Hildebrandũ propter antiquas inimicitias, corã iudice in cauſam traxerũt, crimen homicidij impoſuerũt: quo timidè negante, cępit ipſa facies eũ prodere, & cum inſtantibus illis iam negare non poſſet, confeſſus eſt quia hominem occidiſſet. Statim data ſuper eum ſententia, pœnæ rotali adiudicatus eſt. Cumque duceretur ad mortem, ſacerdos eiuſdem villæ, nomine Bertolphus cum alio ſacerdote, qui vocabatur Ioannes, germano fratris ſupradicti Bernardi, & aduocato villæ, vtpote virum honeſtum, traxerunt in partem, ſatis diligenter eum monentes de confeſſione atq; contritione cordis. Et quia miſer homo per ſe ſurgere non potuit, nec manum in ſe ſubleuantem ſenſit, miſerabiter reſpondit; Quid mihi poſſunt illa prodeſſe? homo enim damnatus ſum. Reuera reſpondit ſicut homo induratus & deſperatus, ſimilis illi qui dicebat: Maior eſt iniquitas

quitas mea quàm vt veniam merear. Et ait illi ſacerdos; Adiuro te per Patrem & Filium, & Spiritũ ſanctum, vt infra hos dies triginta mihi appareas, & ſine omni periculo vitæ meæ, de ſtatu tuo me certifices. Reſpondit: Si mihi licuerit, libenter hoc faciam. Sicq; rotali pœna plexus, de tormento corporis, tranſiuit ad tormentum æternæ damnationis. Nocte quadam infra ſtatutum tempus, Bertolpho dormiente in ſtatu ſuo, tantus eſſe cœpit circa domum fragor arborum, tam vehemens flatus ventorum, vt ipſa animalia ſtuperent, & vix ſuis loris infra clauſtra ſtabuli retineri poſſent. Expergefactus Bertolphus, reſpexit ad oſtium domus, & ecce ianuæ quaſi vi ventorum impulſæ aperiebantur, viditque Hildebrandum in camino ardente reſidentem, ſibique celerius propinquantem. Territus autem ſupra modum, ſe ſignauit, & vt ſtaret ſub inuocatione diuini nominis præcepit; Ecce hic ſum ſicut promiſi, inquit. Sciſcitante illo de ſtatu ſuo, reſpondit: Æternaliter damnatus ſum, æterniſque incendijs propter deſperationem maximè deputatus: ſi ſecundùm tuum conſilium egiſſem pœnitentiam, per pœnam temporalem, euaſiſſem æternam. Non enim punit Deus bis in idipſum: hoc autem ſcito quia ſi non fuiſſem viuus à te adiuratus, ne tibi mortuus nocerem, malo tuo huc aduenisſem; cõſulo tibi, vt vitam tuam emendes, ne poſt hanc vitam ſimilem pœnam recipias: erat autem idem Bertolphus ſacerdos nomine, ſed non re: nam vſque ad illud tempus, ſine ordine presbyterij celebrauerat: quem cùm adhuc miſerũ amplius interrogare vellet, reſpondit; Non licet mihi hic diuitius morari, quia multi dæmones foris ante oſtium præſtolantur reditum meum. Hoc dicto, ſtatim impulſus & expulſus cum ſtridore & vlulatu maximo, ab eo diſceſſit, tranſiensque circa ſtabulum, animalia, ſicut

Genes. 4.

Nahum 1.

sicut prius, in stuporem & commotionem conuertit. Bertolphus verò timore tam horrendæ visionis seculum deseruit, & in domo quadam ordinis nostri, quæ vocatur Hersethusin, religionis habitum suscepit. Abbas loci illius, eò quod intellexisset virum esse literatum & eloquentem, vt ei ad ordines liceret accedere, satis apud dominum Papam Innocentium laborauit, sed obtinere non potuit. Ante hoc biennium, sicut mihi retulit Prior de Campo, in manu, quam extenderat temerè ad archam Dei, morbo, qui anthrax dicitur, punitus est: quæ cùm ei, quasi pro remedio, eò quod morbus serpens sit, abscinderetur, nihil illi profuit, imò dolori dolor additus, mortē ei potius accelerauit. Voluit eum Dominus, vt spero, punire in præsenti, ne puniret in futuro. Ecce iste villicus cecidit, & non surrexit. Si non cecidisset, nequaquam damnatus fuisset. APOLLONIVS: Ex huius pœna perpendo, quam periculosum sit in mortali manere peccato. CAESARIVS: Scias non solum esse periculosum, sed & damnosum: periculosum est, quia sicut febris acuta se habet ad mortem, ita mortale peccatum ad gehennam: Damnosum autem, quia quicquid interim peccator boni facit, totum perdit. Nihil inde æternæ mercedis consequitur. APOLLONIVS: Quæro etiam, vtrum casus sit ex culpa hominis peccantis, vel ex occasione gratiæ recedētis? CAESARIVS: Nequaquam homini subtrahitur gratia, nisi prius præcedat culpa, alioquin meritò refunderetur peccatum in auctorem gratiæ Deum. APOLLON. Placet quod dicis. CAESARIVS: Delectat te audire adhuc de alio quodam misero, qui propter suam culpam pœnam in gehenna sibi præparatam vidit, atq; ab inferis rediens, pœnitere contempsit? APPOLLONIVS: Etiam.

CAPVT

CAPVT VII.

CAESARIVS:

EO tempore, quo magister Ioannes Xantensis Scholasticus, & magister Oliuerus Coloniensis Scholasticus, crucem contra Saracenos prædicarent in diœcesi Traiectensi, sicut retulit supradictus Bernardus, qui tunc temporis collega fuit eiusdem Oliueri, & cooperator in prædicatione: erat ibi quidam rusticus, si bene memini, nomine Godescalcus, opere vsurarius. Iste cum cæteris, nō ex deuotione, vt postea patuit, sed ex circumstantium importuna admonitione, crucem suscepit. Cùm dispensatores ex mandato Innocentij Papæ, pecuniam redemptionis colligerent à tenibus, pauperibus, & infirmis, idem vsurarius se pauperem mentiens, cuidam dispensatori circa summā quinque talentorum dedit, taliqué dolo sacerdotem circumuenit. Testati sunt postea vicini eius, quod dedisse potuisset quadraginta marcas, nec tamen exhæredasset liberos suos, quod ipse prætendebat. Deus autem, qui falli non potuit, eius fallaciam postea terribiliter conclusit. Sedebat miser in tabernis Deum prouocans, eiusq; peregrinis exprobrās in hunc modum; Vos stolidi mare tansibitis, substantiam vestram expendetis, vitam vestram multis periculis exponetis: Ego verò cum vxore & liberis meis domi residens, propter quinq; marcas, quibus redemi crucem meam, similem vobis habebo mercedem. Sed iustus Dominus, vt palam ostenderet quantum placeret labor & expensæ peregrinantium, & quantum eius oculis displiceret dolus ac blasphemia detrahentis, hominem miserrimum tradidit Sathanæ, vt disceret non blasphemare. Nocte quadam dormiente eo cum vxore sua in proprio molendino domui suæ contiguo, motum quasi rotę molentis audiuit, vocansq; puerum dixit ei:

Universidad de Deusto Biblioteca

Quis admisit molendinum? vade vide quis sit ibi. Iuit puer & redijt; nimio enim horrore perculsus, procedere non potuit. Cui dominus: Dic, quis est ibi? respondit; Tantus horror ad ostium molendini me inuasit, vt compellerer redire. Et ille, Etiamsi diabolus ibi sit, ego vadam & videbo. Iniectaque toga scapulis, eò quod nudus esset, ad molendinum venit, ostium aperuit, introspexit, in quo horrendam visionem vidit. Stabant ibi duo equi nigerrimi, & vir quidam deformis eiusdem coloris iuxta equos, qui dicebat ad rusticũ; Festina, ascende equũ istum, quia propter te adductus est. Expalluit ille, & contremuit, quia iubentis vocem minus libenter audiuit. Cumq; ad talem obedientiam imparatus esset iterato clamat diabolus: Quid tardas? proijce vestem & veni. erat autem crux, quam susceperat, eidem vesti assuta. Quid plura? virtutem diabolicæ vocis per desperationem in corde suo sentiẽs, & iam resistere non valens, vestem reiecit, in molendinum intrauit, equum, imò diabolum, ascendit: ascendit & diabolus equum alterum, & sub multa celeritate simul deducti sunt ad diuersa loca pœnarum, in quibus homo miser patrem & matrem miserabiliter vidit, aliosq; plurimos, quos defunctos ignorauit. Vidit ibi etiam quendam honestum militem nuper mortuum, Helyam nomine de Riningen, burgrauium in castro Hurst, vaccæ furenti insidentem aduerso corpore, ita vt dorsum haberet ad cornua vaccæ, quæ huc illucq; discurrebat, & cerebris ictibus dorsum militis cruentabat: cui cũ vsurarius diceret, domine quare sustinetis tantam pœnam? Respondit: Vaccam istam rapui sine misericordia cuidam viduæ, & ideo sine misericordia oportet me ab illa pœnam hanc sustinere. Ostensa est ei in eisdem locis ignea sedes, in qua nulla potuit esse quies, sed sessio pœnalis, & pœna interminabi-

nabilis, dictumque est ei; Modò reuerteris in domũ tuam, post tres autem dies, exuto corpore reuerteris in locum tuum, & mercedem tuam accipies in sede ista. Mox à dæmone reductus, & in molendino depositus, penè exanimis relictus est. Inuentus ibi ab vxore & familia, atque in lectum deportatus, cùm requireretur, vbi esset, vel vnde venisset, respondit; Ad loca infernalia ductus fui, & hæc, atque hæc ibidem vidi: ostẽdit mihi in eisdẽ locis ductor meus sedem vnam, & dixit, quia mihi foret præparata, & quia post tres dies recepturus essem mercedem meam in ea. Vocatus est sub celeritate sacerdos, rogatus ab vxore, vt pusillanimem cõfortaret, desperatum erigeret, & ad ea, quæ sunt salutis, hortaretur: quem cùm sacerdos moneret, vt contritionem haberet de peccatis suis, & vt puram faceret confessionem, dicens, neminem debere de Dei misericordia desperare, respondit; Quid prosunt verba ista? non possum conteri, superfluum iudico confiteri, quod de me dispositum est necesse est impleri sedes mea parata est, post tertium diem illuc veniam, & secundum quod gessi, in ea recipiam. Sicq; sine contritione, sine confessione, sine viatico, & sacra vnctione, tertio die defunctus, in inferno sepultus est. Sacerdos verò cùm ecclesiasticam ei negaret sepulturam, ab vxore eius corruptus, in cœmiterio sepultus est, propter quod posteà in synodo Traiectesi accusatus, pœna, nescio qua, mulctatus est. Vix sunt tres anni elapsi, ex quo ista contigerunt. Ecce iste superior cecidit, & minimè surrexit. APOLLONIVS: Videtur mihi aliquid habere significationis, quod in vacca inquieta pœnã suam miles recepit; vsurarius verò in sede, quæ signum est quietis & stabilitatis. CAESARIVS: Deus secundum qualitatem & modum peccati, ipsum punit peccatum. Miles iste, quia vaccam rapuit, in

Universidad de Deusto Biblioteca

vacca peccatum luit. Hæc de qualitate. Vacca propter pascua per diuersa prata discurrit, & assidua præcisione recescentia gramina depascit: Vacca, ipsa sua inquietudine & depastione, nobiles & aduocatos temporis nostri designat, qui domos & agros subditorum hospitando depascunt, & per assiduas exactiones, quas in illos faciunt, in substantia crescere non sinunt. Isti prædonibus in pœnis similabuntur, & sicut modò alios agitant, ita ipsi cum prædicto milite exagitabuntur. hæc de modo dicta sint. Vsurarius verò, quia domi quietè residens, pecuniam suam ad vsuram dedit, in inferno sedem igneam recepit. Bene autem eadem sedes ignea fuit, quia sicut ignis stipulam, ita vsura pauperum deuorat substantiam.

CAPVT VIII.

APOLLONIVS.

VIdetur mihi vsura peccatum esse multũ graue, & ad emendandũ difficile. CAESARIVS: Iustè moueris. Non est aliquod peccatum, quod non quandoq; quiescat, vsura verò nunquam à peccato cessat; dormiente domino suo, ipsa non dormit, sed semper crescit & ascendit. Difficilis est ad emendandum, quia Deus non dimittit reatum, nisi restituatur ablatum; fornicator, adulter, homicida, periurus, blasphemus, mox vt de peccatis suis conteruntur, indulgentiam à Deo consequuntur; vsurarius verò, licèt de peccatis suis doleat, tamen quàm diu vsuram tenet, cùm possit restituere, nil consequitur indulgentiæ. APOLLONIVS: Quid si iam vsuram consumpsit, vel liberis distribuit, nil habens præter possessiones iustas? CAESARIVS: Illas debet vendere & rapinam reddere. APOLLONIVS: Quia Episcopi, qui sunt ecclesiarum prælati, & speculatores, vsurarijs communicant,

municant, & ad sepulturam Christianam recipiũt, idcirco multi sunt hodie. CAESARIVS: Si solummodo vitia sibi commissorum dissimularent, & nõ eis similia facerent, tolerabile esset. Quidam Episcoporum tam graues in plebem sibi subiectam hodie faciunt exactiones, sicut personæ seculares. Isti sunt ficus malæ, malæ valde: valde timendum est talibus, ne sibi cathedras præparent, iuxta sedem vsurarij in inferno, quia vsura exactionẽs violentæ, nihil aliud sunt, quàm rapinæ. APOLLONIVS: Quomodo valere possent membra, vbi tam infirma sunt capita? CAESARIVS: Occasione huius sedis, recordor cuiusdam parabolæ à quodam Episcopo dictæ. Ierem. 24.

CAPVT IX.

IN VVormatia ante paucos annos quidam Episcopus fuit, nomine Lupoldus, solo quidem nomine Episcopus, opere autem tyrannus. Hic cũ esset vanissimus, nihil in se habens pietatis, nil religiositatis, dicebat ei quodam tempore germanus suus vir nobilis: Domine Episcope, multum scandalisatis nos laicos vestro exemplo: antequam essetis Episcopus, aliquid Deum timebatis, modò nil prorsus de illo curatis. Cui ille respondit; Frater, duo vicini erant, ex quibus vnus exemplo alterius peccauit, mortui sunt ambo, & deducti in infernum: cùm essent in tormentis, vnus alteri dicebat, Væ tibi, quia tuo exemplo prouocatus ad peccatũ, merui hunc locum: cui alter: Bone vicine, si placet tibi amplius sedes mea, trade mihi illam, & ego tibi meam. Sic dico vobis frater, quando venerimus ad inferos, si videbitur vobis sedes mea honorabilior, ascendite eam, & recipiam vestram. Respondit ille: Mala consolatio hæc. Iste Lupoldus ita diabolicus erat, vt tempore scismatis, quod erat inter duos Reges Ottonem scilicet & Philippum,

Universidad de Deusto Biblioteca

cùm sibi vsurpasset Episcopatum Maguntinensem eiusdem Philippi auctoritate, & multis interesset bellis, non parceret ecclesijs, non cœmiterijs. Et cũ milites sui ei dicerent: Domine, nõ licet nobis spoliare cœmiteria, respondit; Si ossa mortuorum tollitis, tunc primùm cœmiteria spoliatis. Qui cùm esset priuatus ab officio & beneficio ab Innocentio Papa, propter inuasionem iam dicti Episcopatus, auxilio Philippi fretus, collecto exercitu, profectus est in Italiã, ipsum Papam debellare; quem etiam in diuersis locis, quod dictu horribile est, ardentibus candelis excommunicauit. Postea verò in odium Imperatoris Ottonis, officio & beneficio restitutus est. Vir iste sæpe & valdè, vt iam dictum est, cecidit, nescio vtrum surrexit in fine per contritionem: hoc scio, quod legatio in qua hominem deposuit, multæ dissentionis seminarium fuit. APOLLONIVS; Sæpè quosdam vidi cadere, & per pœnitentiam resurgere, sed quod quidam fortius resurgant, probari mihi vellem exemplis.

CAPVT X.

CAESARIVS.

Post lapsum quosdam fortius resurgere.

ANnus modò vicesimus est secundus, plus minus, eo tempore quo ad ordinem veni, qui fuit ab incarnatione Domini millesimus duccentesimus vno minus, in quo tale quid à viris religiosis, & literatis, vt sunt Abbates & Scholastici, contigisse Parisijs veraciter intellexi. Erat ibi iuuenis quidam in studio, qui suggerente humani generis inimico, talia quædam peccata commiserat, quæ obstante erubescentia, nulli hominum confiteri potuit: cogitans tamen quæ malis præparata sunt tormenta gehennæ, & quæ bonis abscondita sunt gaudia perennis vitæ, timens etiam quotidiè iudicium Dei super se, intus torquebatur morsu con-

scientiæ, & foris tabescebat in corpore: quid plura? tãdem miserante Deo timor ille seruilis verecundiam vicit, qui sicut seta filum, charitatem inducere consueuit. Veniens ad S. Victorem, Priorem vocauit, & quia confitendi gratia venisset indicauit. Ille paratus ad tale officium, sicut omnes sunt fratres eiusdem monasterij, statim venit, in loco ad hoc deputato sedit, præmissaque exhortatione, iuuenem confiteri volentem expectauit. Mirares; tantam hora eadem pius Dominus, cuius natura bonitas est, cuius voluntas potestas est, cuius opus misericordia est, cordi eius contulit contritionem, vt quotiens confessionem inciperet, totiens singultibus intercepta vox deficeret; in oculis lacrymæ, suspiria in pectore, singultus erant in gutture. Hæc vt vidit Prior, dicebat scholari; vade scribe peccata tua in scedula, & defer ad me. Placuit consilium iuueni, abijt, scripsit, die altera redijt, & si confiteri posset iterum tentans, vt prius defecit: & cùm nil proficeret scedulam Priori porrexit. Legit Prior, & obstupuit, dixitque iuueni; Non sufficio tibi solus dare consilium, vis vt ostendam Abbati? Et licentiauit ei. Venit Prior ad Abbatem, & porrexit scedulam legendam, rem ei per ordinem exponens. Quid deinde gestum sit, audiant peccatores & consolentur, desperati & recreentur. Mox enim vt Abbas cartulam ad legendum aperuit, totam eius continentiam deletam inuenit. Impletũque est in eo, quod Dominus per Isaiam dicit; Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua. Et ait Abbas Priori: Quid legam in scedula ista? nihil in ea scriptum est. Hæc vt Prior audit, scedulam simul cum Abbate respexit, dixitque ad illum; Sciat pro certo paternitas vestra, supradictum iuuenem in hac scedula scripsisse peccata sua, & cùm à me fuissent lecta, vobis etiam donaui legen-

Augu. tract. 9. in Epi. toã.

Isaie 44.

Universidad de Deusto Biblioteca

legendam:sed,vt video, misericors Deus, qui maximam iuuenis contrionem attendit, culpam iam sufficienter punitam, iustè deleuit. Deletio siquidem totius scripti, abolitionem significat totius delicti;& aduocantes scholarem, ostenderunt scedulam, dicentes eius peccata diuinitus esse deleta; quam cùm perspexisset,& ex signis bene cognouisset,in tãtum cor eius ex magnitudine gaudij est dilatatum, in quantum prius ex magnitudine tristitiæ fuerat angustiatum: & nullam ei iniũgentes satisfactionem,monuerunt, quatenus Deo de perceptis beneficijs gratias ageret, atque de cætero cautius viueret.Ecce iuuenis iste,vt satis videtur, ante ruinam imperfectus fuit, cecidit, & perfectus surrexit. APOL. In quo fuit perfectus? CAES. In charitate. APOL. Quæ est perfectio charitatis? CAESARIVS: Quando mens non est sibi conscia alicuius peccati mortalis, siue venialis, libera non solùm à culpa,sed etiam à pœna. Et puto, si sæpè dictus clericus decessisset in tali statu, minimè sensisset pœnam purgatoriam, quia perfecta charitas, cõsumit plumbum & stipulam, culpã & pœnam. Hæc est opinio multorum:alij dicunt etiam viros perfectissimos secum trahere fœnum & stipulã. APOL. Miror quare nõ fuerint peccata eius deleta,antequam priori essent ostensa CAES. Ne superflua videretur confessio, sine cuius desiderio nulla fit remissio:ipsa etiam confessio, propter erubescentiam, maxima pars est satisfactionis: nam in primo contritionis puncto,dimissa fuerat ei culpa,deinde contritione inardescente & confessione accedente, deleta est pœna. APOLLON. Non miror minus contritionem huius hominis, quàm Mariæ, cui tantùm lacrymanti, & nil dicenti voce Saluatoris dictum
Luc.7. est;Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. CAESARIVS:Ex quo mentionem fecisti

Mariæ

Mariæ Magdalenæ, dicam tibi de mira contritione cuiusdam mulieris luxuriosæ, in qua nostris temporibus Christus non minora ostendit gratiæ suæ miracula,quam olim in Maria.

CAPVT XI.

IN diuersis locis, à diuersis personis, hoc quod dicturus sum audiui. Ante hoc quadriennium, eodem, si bene memini,anno, quo defunctus est Innocentius Papa, mulier quædam igne libidinis succensa, proprium adamauit filium, de quo concepit & peperit filium alterum. Terrore tã nephariæ commixtionis percussa, quolibet momento timens se tradi sathanæ, vel morte subitania interire, Deo miserante de satisfactione anxiari cœpit. Præhibito prius cõsilio sacerdotis sui, infantulum secum tollens, ita enim mihi dictum fuisse puto, Romam venit,& cum multa importunitate domini Innocentij Papæ oculis se ingessit, cum tantis lacrymis & clamoribus cunctis audientibus faciẽs confessionem, vt omnes verteret in stuporem: gestauit in brachijs infantem, commissi facinoris testem. Videns dominus Papa in muliere tantam contritionem, & quia verè esset pœnitens, misericordia motus super eam, sicut prudens medicus, volens infirmam plenè,& citò sanare, medicinam etiam contritionis probare, præcepit vt in tali veste ibi appareret, in quali venerat ad filium, cùm peccaret. Illa confusionem æternam, temporali anteponens,mox exiuit,vestes posuit,in camisia redijt, & quàm paratissima foret ad omnem satisfactionem, in tali obedientia satis ostendens. Considerans vir literatissimus tali obedientiæ, tali verecũdiæ,tali pœnitentiæ, nullius peccati pœnam posse resistere,coram omnibus dixit ad mulierẽ; Dimissum est peccatũ tuũ,vade in pace:& nil amplius iniunxit ei. Audiuit hęc quidã ex Cardinalibus,& cũ

Phari-

Universidad de Deusto Biblioteca

Pharisęo contra Papam murmurans, iudicium eius reprehendit dicens, ad tantam culpā tā breuem pęnitentiam minus sufficientem: cui ille respondit: Si ego iniustè egi cum muliere ista, & insufficiens est eius coram Deo pœnitentia, potestatem habeat diabolus ingrediendi corpus meum, & coram omnibus me vexet: si verò tu iniustè me reprehendis, simile tibi fiat. Statim diabolus Cardinalem eundem vexare cœpit, per cuius vexationem perfectā mulieris pœnitentiam Deus palam ostendit. Tandem omnium oratione purgatus Cardinalis, didicit in sua vexatione, diuinæ misericordiæ de cætero non oblatrare. Ecce mulier ista, sicut supra dictus clericus, infirma cecidit, & sanissima surrexit. APOLLONIVS: Magna Dei clementia, quod tam magnum peccatum, cui pœnitentia debetur quindecim annorum, tam breuis delet contritio. CAESARIVS: delet peccata multo maiora. APOLLONIVS: quæ sunt illa? CAESARIVS: Idololatria, hęresis, abnegatio creatoris; ista sunt ex insania diabolica, peccata verò carnalia, ex infirmitate humana; vnde ad mitigandam iram diuinam in commendatione defunctorum dicitur, licèt tibi peccauerit, non tamen te negauit. APOLLONIVS: Rogo, si nosti aliquem qui Deum abnegando cecidit, & per contritionem surrexit, exempli causa manifestes.

CAPVT XII.

CAESARIVS.

INfra hoc quinquennium, iuxta Floreffiam, cœnobium ordinis Præmonstratensis, in diœcesi Leodiensi, adolescens quidam nobilis habitauit, cui pater moriens, vtpote vir magnus & potēs, multas diuitias reliquit. Factus miles idem iuuenis, vt gloriam sibi conquireret temporalem, in breui

breui ad magnam deductus est paupertatem: caussa enim laudis humanæ torneamentis totus deditus erat, histrionibus larga manu sua tribuebat, & quia ad tales effusiones redditus annui minus sufficiebant, hæreditatem paternam vendere compellebatur. Erat autem in proximo manens miles quidam diues & honestus, ministerialis tamen, huic iuuenis iam dictus allodia, siue feuda sua partim vendebat, partim in vadimonio exponebat. Et cùm iam non haberet quod venderet, vel exponeret, cogitabat exulare; tolerabilius iudicans inter extraneos mendicare, quàm inter notos & affines egestatis confusionem sustinere. Habebat autem villicum, hominem quidem malignum, nomine, nō re Christianum, & dæmonum ministerio totum mancipatum. Videns hic dominum suum tristem, & tristitiæ non ignorans causam, dicebat ei; Domine vultis diues fieri? Respondit, libenter diues fierem, dummodo ipsæ diuitiæ esse possent cum Deo. Et villicus; Nolite timere, sequimini tantùm me, & bene erit vobis. Statim secutus est miserum, tanqā serpentis vocem Eua, quasi sibilum aucupis auicula, in laqueum diaboli celerius deponendus. Et duxit eum in ipsa nocte per quoddam nemus, in locum palustrem, & cœpit quasi cum aliquo habere sermonem: cui iuuenis; Cum quo loqueris? Respōdit domino suo villicus ille iniquitatis; Tacete tantùm vos, nec sit vobis cura cum quo loquar. Cumque secundò loqueretur, & iuuenis iterato scicitaretur, respondit; Cum diabolo. Et cœpit iuuenis nimis horrore. Quem non concuteret horror tali loco, in tali hora, & de tali sermone? Dicebatque villicus diabolo; Domine, ecce virum hunc nobilem dominum meum adduxi gratiæ vestræ, maiestati vestræ supplicans, vt vestro auxilio pristinis honoribus, atq; diuitijs restitui mereatur. Ad quē diabo-

Universidad de Deusto Biblioteca

diabolus; Si mihi voluerit esse deuotus ac fidelis, dabo ei diuitias magnas, insuper addam gloriam & honores, quales non habuerunt patres eius. Respōdit villicus; Libenter vobis obsequiosus erit & fidelis, si talia fuerit consecutus. Et ille; Si voluerit ista à me consequi, abrenuntiare debet in instanti altissimo. Quod cùm iuuenis audiret, & facere renueret, dicebat homo ille perditionis; Quid timetis proferre verbulum vnum? dicite abrenuncio. Tandem miser iuuenis à villico persuasus, creatorem suum ore suo negauit, manu exfestucauit, diabolo homagium faciens. Hoc scelere perpetrato, diabolus adiecit; Adhuc opus imperfectum est, etiā abrenuntiare debet matri altissimi; illa est enim quæ maximum nobis infert damnum; quos filius per iustitiam abijcit, mater, quia nimis misericors est, ad indulgentiam reducit. Sibilauit iterum serpens in aure adolescentis, vt domino suo in hoc obediret, vt sicut filium ita etiam & matrem abnegaret. Ad quod verbum iuuenis nimis expauit, turbatusq; supra modum, respondit; Hoc nunquā faciā. Quare, inquit villicus; fecistis quod maius est, facite nunc quod minus est: maior est creator, quàm creatura. Et ille; Nunquam eam negabo, etiamsi me oportuerit ostiatim mendicare per omnes dies vitæ meæ; & non acquieuit. Sicque infecto negotio, ambo reuersi sunt, nihil quidem honoris consecuti, sed maximo peccati pondere grauati, villicus suadendo, iuuenis consentiendo. Pergentes verò simul, venerunt ad quandam ecclesiam, cuius ianuam campanarius exiens reliquerat semiclausam: mox iuuenis desiliens de equo commisit eum villico dicens: Expecta me hic, donec reuertar ad te; & intrans ecclesiam ante ortum auroræ, prostrauit se ante altare, & ex intimo corde ipsam matrē misericordiæ cœpit inuocare: erat autem super altare

altare imago ipsius virginis & matris Mariæ puerum Iesum in sinu tenens; & ecce, meritis ipsius præclarissimæ stellæ maris, verus lucifer oriri cœpit in corde sæpè dicti adolescentis: tantam ei Dominus propter honorem matris, quam non negauerat, contritionem donare dignatus est, vt pro fletu rugiret, & planctu nimijs clamoribus ecclesiam repleret. Eadem hora supradictus miles, qui omnia eius bona habebat, diuino vt creditur nutu, ad ecclesiam diuertit, & cùm videret apertam, putans ibi diuina celebrari, maximè propter clamores intrinsecus, solus intrauit; inuenienſque coram altari iuuenem sibi bene notum lachrymantem, & putans quia suam solummodo defleret calamitatem, retrò quandam columnam secessit, rei exitum exspectans. Cumque terribilem illā maiestatem, quam negauerat, nominare, vel inuocare nō auderet, sed tantum pijssimā eius genitricem lacrymosis vocib. pulsaret, vtroq; audiente, per os imaginis suæ, beata & singularis Christianorū aduocata filio loquebatur in hęc verba; Dulcissime fili, miserere huic homini. Puer verò matri nil respondit, faciem ab ea auertens: cumque iterum rogaret, hominem seductum asserens, matri dorsum vertit, dicens; Homo iste negauit me, quid ei faciam? Post hæc verba imago surrexit, puerum suum super altare posuit, eiusq; pedibus se prona prostrauit, & ait; Rogo fili, vt propter me demittas ei peccatum hoc. Mox infans matrē eleuās, respondit illi; Mater, nunquam tibi aliquid negare potui, ecce propter te totum dimitto. Prius dimiserat culpam, propter contritionem, deindè pœnam peccati, propter matris intercessionem. APOLLONIVS: Quare tam durus dilectæ matri fuit? CAESARIVS: Vt iuueni ostenderet, quantum in se peccasset, & vt per dolorem cordis, amplius in se peccatum ipsum puniret. Surgens autem iuuenis

Universidad de Deusto Biblioteca

iuuenis, exiuit de ecclesia, tristis quidem de culpâ, sed hilaris de indulgentia. Exiuit post eum sæpedictus miles latenter, & quasi rem ignoraret, quæsiuit, quare tam humidos, & tam tumidos oculos haberet? respondit, De vento est. Et ille: Domine, non me latet causa tristitiæ vestræ; habeo vnicam filiam, si vultis illam ducere in vxorem, omnia vestra vobis cum illa restituam, insuper & diuitiarum mearum hæredem vos instituam. Ad hoc iuuenis lætus effectus, respondit: Si hoc facere dignaremini, plurimum mihi placeret. Reuersus miles ad vxorem suam, rem ei per ordinem retulit, consensit illa, nuptiæ celebrantur, iuueni sub nomine dotis omnia sua restituuntur. Adhuc, vt puto, viuit, viuunt & soceri, post quorum mortem, eorum hæreditas ad ipsum reuertetur. APOLLONIVS: Multum iuuenis iste regratiari tenetur Beatæ Virgini, quia per ipsam meruit remissionem peccatorum, insuper & consolationem temporalium bonorum. CAESARIVS: Verum dicis, quia ipse intercedente Dominus cordi eius infudit contritionem, per quam peccati meruit remissionem. pœna etiam peccati, ipsa intercedente iuuene, audiente dimissa est. Ecce homo iste grauissimè cecidit, sed cæteris, de quibus supradictum est, celerius surrexit: cecidit intempesta nocte, surrexit in mane. APOLLONIVS: Quid tibi videtur de his, qui in fide conteruntur? CAESARIVS: Audi de hoc non meam, sed Beati Augustini sententiam. ait enim sic.

August. ho. 41 ex 50.

CAPVT XIII.

De pœnitentia quæ fit in fine vitæ.

SI quis positus in vltima necessitate, voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus quia bene hinc exit. Si securus hinc exit, ego non sum securus: Pœnitentiam dare possum; securitatem dare non possum.

possum. Nunquid dico, damnabitur? non dico. Sed dico etiam, liberabitur? Non. Vis te de dubio liberare? vis quod incertum est, euadere? Age pœnitentiam dum sanus es. Si sic agis, securus es, quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo & peccare potuisti. Si vis agere pœnitentiam tunc, quando peccare non potest, peccata dimiserunt te, nõ tu illa. Item, Duæ res sunt; aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quod horum tibi futurum sit, nescio. Ergo tene certum, dimitte incertum.

CAPVT XIIII.

DIcam tibi quid ante paucos annos contigit in domo nostra; Conuersus quidam Henricus nomine, homo senex, & secundum ingressum prior omnium Conuersorum, peccatum quoddam commiserat, quod nunquam Abbati, neque Priori, neque alicui confessus fuerat: sæpius tamen solitus erat confiteri, & videbatur nobis omnibus, quod vir sanctus esset, & multum religiosus. Cùm iam in extremis laboraret, idem peccatum domino Danieli, tunc Priori nostro confessus est, & sicut nobis postea retulit, vt nos cautos redderet, tam graue erat peccatum, quod omninò damnatus fuisset, si tacuisset. APOLLONIVS: quid sentis de saluatione huius hominis? CAESARIVS: Sicut Augustinum lego sensisse; si contritio eiùs fuerit in caritate, saluatus est; sin autem, damnatus: qui serò pœnitet, oportet non solùm timere iudicem, sed diligere. APOLLONIVS: Meruit ergo vigilando, ieiunando, laborando, obediendo, alijsq; operibus iustitiæ, quamdiu in illo mortali fuit? CAESARIVS: Nequaquam, quia opera extra charitatẽ facta, mortua sunt, & nunquam reuiuiscunt; væ ergo illis qui quotidie in Dei seruitio mortificantur, & nihil inde mercedis in vita æterna consequuntur. Multi ista ignorant, de finali pœnitentia plurimum

Universidad de Deusto Biblioteca

rimum præsumentes, nescientes pœnitentiam, quæ in fine agitur, vt supra dictum est, tam incertam esse. Dicam tibi tamẽ exempla de duobus, ex quibus vnus in fine fictam, alter veram egit pœnitentiam.

CAPVT XV.

PArisijs in ecclesia sanctæ Dei genetricis Mariæ Canonicus nuper obijt, qui multa habens stipendia, delicatissimè vixerat: & quia ex delitijs, maximè his quæ ad gulam pertinent, libido nascitur, nata nutritur, & quotidianis eius incitamentis argumentatur: idem iuuenis valdè tunicam carnis suæ maculauit, & tam illo, quàm alijs suis peccatis, iram Dei in se prouocauit. Tãdem per infirmitatem tactus, timore mortis confessionem fecit, peccata defleuit, & emendationem promisit, viaticum accepit, inũctus est, hominem deposuit. Cuius corpus, vtpote viri nobilis, diuitisque, cum magna pompa secularis gloria tumulatum est: & erat in illa die tanta serenitas, vt ipse aër eius obsequijs famulari videretur; dixeruntque homines ad inuicem; Multa bona præstitit Deus homini isti, nihil ei defuit horum quæ homo Christianus habere debuit, dominicis sacramentis munitus est, aër in eius morte serenatus est, cum magna gloria sepultus est. Sed homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. Post paucos dies cuidam sibi valdè familiari apparens, dicebat se esse damnatum: cumq; miraretur ille, & expauesceret, pœnitentiam eius & cõfessionem, sacram etiam communionem, & inunctionem commemorans, respondit defunctus; Vnũ bonum mihi defuit, sine quo nullum horum, quæ enumerata sunt, mihi prodesse potuit. Quid est illud? inquit. Respondit mortuus; Vera contritio; licet enim Deo promiserim consilio confessoris mei continentiam, siue alia quæ salutis sunt, tamen dicebat mihi conscientia, quia si conualueris, obseruare

Reg. 16.

uare non poteris; & quia cor magis declinabat ad transgressionem, quàm ad voti obseruationem, nullius peccati merui remissionem: Deus requirit fixũ propositum pœnitendi. Ecce hominis huius pœnitẽtia sera fuit & ficta, nec tamẽ fuisset sera, si fuisset vera. APOLLON. Nõ mirabor amodo, pœnitentiã seram vix esse veram. CAESARIVS: Plures sunt in seculo, quos ego bene noui, qui tempore infirmitatis, cùm timerent mori, se inter manus Abbatis reddiderunt, & cùm conualuissent, trangessores voti facti sunt.

CAPVT XVI.

ANno præterito apud Bonnam vicum diœcesis Colonienſis, vagus clericus quidam, Nicolaus nomine, quem vocant Archipoetam, in acutis grauiter laborauit, & cùm mori timeret, tam per seipsum, quàm per canonicos eiusdem ecclesiæ, vt in ordinem susciperetur apud Abbatem nostrum obtinuit. Quid plura? Cum multa, vt videbatur nobis, contritione tunicam induit, quam facta crisi celerius exuit, & cum quadam irrisione proijciens, aufugit. APOLLONIVS: Multi sunt peccatores, qui contritionem habere non possunt, & de ipso dolent, quid ergo sentiendum est de tali dolore? CAESARIVS: Talis dolor meritorius non est, quia sine charitate; præparat tamen aliquãdo viam charitati: charitas, & peccandi voluntas, simul inesse non possunt. Quid de tali dolore sanctus Bernardus senserit, verbis & exemplo illius doceberis.

CAPVT XVII.

REtulit mihi frater Godefridus monachus noster, quondam Scholasticus sancti Andreæ in Colonia, cuius in superiori distinct. iij. ca. mentionem feci, tale quid contigisse in ciuitate Remẽsi. Eo, inquit, tẽpore quo Remis fui in studio

Universidad de Deusto Biblioteca

cum domino Philippo, postea Coloniensi Archiepiscopo, cuius magister & pædagogus erã, contigit ibidẽ militẽ quendam infirmari vsq; ad mortẽ: instinctu diaboli idem miles, si bene memini, habebat auunculi sui filiam concubinam, cui tanto conglutinatus fuerat amore, vt non admonitione, nec excommunicatione, neque aliqua verecundia humana posset, vel vellet, ab ea separari. Timore autem mortis vocauit sacerdotem, satis puram, & cũ lacrymis de omnibus suis peccatis illi faciens confessionem; quem cùm sacerdos moneret, vt tam illicitam abiuraret commixtionem, ipsamq; personam cognatam suam; respondit; Domine, non possum: Et ille; Si in tali voluntate mortuus fueris, gaudio cælestis vitæ priuaberis, & æterna tormenta te suscipient, milite in sua obstinatione perseuerante, recessit sacerdos cũ corpore Domini, quod secũ detulerat ad communicandum infirmum. Nutu diuino, extra domum sacerdoti occurrit sanctus Bernardus Abbas Clareuallis, quem cùm interrogasset, quare infirmum non cummunicasset, causamq;, quæ nota erat omnibus, intellexisset, ait sacerdoti; Reuertere mecum ad infirmum. Reuersi autem, cum sanctus vir militi iam morituro, quæ salutis erant suaderet, & ille præter istam solam rẽ iam dictam, in omnibus obedientiam sponderet, nouissimè subiunxit; Nunquid non doles quod nõ potes habere voluntatem recedendi ab illa? respondit, Domine valdè doleo me de hoc non posse dolere. Audito hoc verbo Abbas, mox dixit sacerdoti, vt corpus Domini daret infirmo: Mira res; statim vt Saluator intrauit, facta est salus illi domui; ab illa enim hora tam perfectè mutata est voluntas eius peruersa, vt amplius odiret, quàm illicitè amauerat, ita vt sancto viro cum multis lacrymis diceret; gratias ago Deo meo, qui me liberauit, quia modò

modò libentius viderem bufonem, quàm illam, sicque in bona confessione, & perfecta contritione, migrauit ad dominum. APOLLONIVS: Miror vtrum contritionem illam meruerit prædicto dolore, siue Dominici corporis participatione. CAESARIVS: Christus in suo sacramento ad iudicium intrat, nisi gratia eius præcedat; puto enim propter orationes viri sancti, gratiam Christi abyssum cordis eius illuminasse, dolorem sterilem fęcundasse, ne & vir beatus iudicaretur de præsumptione, & morientis pœna crescceret in sua damnatione. Ecce hominis huius contritio siue pœnitentia, multum fuit sera, & penè morti contigua, vera tamen, teste Sancto Abbate, per cuius meritum illam creditur habuisse. APOLLONIVS: Reuera iustorum præsentia morientibus multum esse necessaria. CAESARIVS: Hoc sanctus Gregorius manifestat in quadam Homilia, loquens de quodam peruerso iuuene, qui se deuorandum draconi traditum clamabat, quem fratrum circumstantium oratio fugauit, & contritionis gratiam infirmo obtinuit. Audi etiam adhuc de quodam viro seculari, cuius contritio finalis tam vera, imò tam verissima fuit, vt per eam non solùm mereretur remissionem peccatorũ, imò etiam gloriam miraculorum.

Greg. Hom. 19. in Euang.

CAPVT XVIII.

ANte hoc triennium defunctus est Philippus comes Namurcensis, vir potens & nobilis, filius Balduvvini comitis Flandriæ: antequam moreretur, tantam ei contulit Dominus in infirmitate contritionem, vt talis contritio non esset visa in aliquo homine nostris temporibus: quatuor Abbatibus ordinis nostri simul & sæpe cõfessionem suam facere consueuit, in tantum se accusans, tãtum plangens, vt omnes ad lacrymas prouocaret. Nec ei ista sufficiebant, quin laqueum collo suo

Universidad de Deusto Biblioteca

lo suo inijcereret, rogaretque confessores suos, vt se traherent in plateam, dicens: Sicut canis vixi, dignum est, vt moriar sicut canis: filias fratri sui Balduvvini Comitis, qui factus fuerat rex Grętiæ, tradiderat regi Frãciæ, cuius filiam duxerat vxorem: quidam dixerunt, quia vendiderit eas, de quo facto plurimum dolebat. Deportari se fecerat in pauperrimã domũ ciuitatis suæ, in qua pauper spiritu migrauit ad Dominum. Volens autem pius dominus, tantam eius remunerare contritionem, miraculis eum glorificare dignatus est, tanquam dilectum confessorem: sepultus in ecclesia Sancti Albani martyris, in qua ipse instituerat conuentum canonicorum, de suis iustis redditibus eis stipendia adhuc sanus ordinans, tantis vsq; hodie signis coruscat, vt de remotis regionibus infirmi aduenientes, ad eius tumbam sanitatem recipiant, ipsamque terram circa sepulchrum effodientes, secum pro benedictione deportent. APOLLONIVS: Mirum vtrum gratiam tantam meruerit conuersatione, vel finali contritione. CAESARIVS: Satis puto, quod charitatem habuerit ante suam infirmitatẽ, quia satis erat mansuetus & humilis; sed vix aliquis est, qui nouerit eius vitam & extremam pœnitentiam, quin magis hanc gloriam miraculorum adscribat extremæ, quæ maxima fuit, contritioni, quàm pristinæ conuersationi. APOLLONIVS: Videtur mihi, quod multum apud Deum valeant lacrymæ contritionis. CAESARIVS: Quanti sint apud Deum valoris, quantiue ponderis, subiecto tibi exemplo demonstrabo.

CAPVT XIX.

De lacrymarũ virtute.

TEmpore schismatis, quod fuit inter Alexandrum & Calixtum sub Frederico Imperatore, qui eiusdem schismatis auctor erat & defensor, compellebantur omnes ecclesiæ per vniuersum

uersum orbem Romanum literis imperialibus, iurare fidelitatem & obedientiam Calixto, quem ipse Papam creauerat; resistentes verò iussi sunt exulare. Cùm huiusmodi literæ exhibitæ fuissent conuentui de Hemmenrode, & fratres vnanimi consilio dicerent, se nequaquam velle recedere ab vnitate, præceptum est eis vt celerius exirent de Romano imperio. Viri illi virtutis, diuinum timorem minis regijs anteponentes, cùm iam res suas, & vestimenta sarcinassent, ordinatique fuissent in diuersas domos regni Francorum, dicebat vnus eorum venerabili sacerdoti Dauid monacho ibidem: Pater, ignoras quia omnes migrabimus de loco isto? Ita enim intentus erat cœlestibus, vt quid in exterioribus ageretur prorsus ignoraret: cui cùm miranti & interroganti causam, ille negotium totum explicaret, maximam in Domino habens fiduciam, vir beatus respondit; Confortamini fratres, non enim deserit Dominus sperantes in se; Antiphonam, quæ in nocte dicetur super Magnificat, fortiter & cum lacrymis cantate, & Dominus consolabitur vos; erat autem Dominica ante Aduentum, in qua antiphona est super Magnificat, Qui cælorum contines thronos, & abyssos intueris, terrã pugno concludis, exaudi nos in gemitibus nostris. Ipse verò sanctus intrans oratorium, effudit animam suam in oratione, cum multis lacrymis diuinam interpellans clementiam. Acquiescentes eius consilio fratres, eandem antiphonam tanto intentius cantabant, quãto fortius cãtantes angustia premebat, & ad cantandũ incitabat. Flexus pius Dominus lacrymis seruorũ suorũ, Imperatoris cor mutauit, & missæ sũt literæ sub festinatione, vt manerẽt, orarẽtq; pro imperio. Ex his poteris colligere, quã efficaces sint in auribus Dei lacrymæ contritionis. APOL. Potest quis alteri tales obtinere lacrymas

Universidad de Deusto Biblioteca

meritis siue precibus? CAESARIVS: Quod alij alijs huiusmodi gratiam obtinere possint à Deo meritis, habes superius cap. 3. vbi apostata monachus, meritis patris, & hospitis sui sancti Bernardi, per lacrymas contritionis iustificatus est. Aliud habes exemplum in cap. 17. vbi miles apud Remis, in eius præsentia communicans, meritis ipsius per donum contritionis, cùm in maximis peccatis esset, meruit illuminari: pro nullo horum dicitur orasse. Item, quod quidam alijs lacrymas contritionis, quibus peccata sua diluant, impetrare valeant, diuersis tibi ostendam exemplis.

CAPVT XX.

Quibusdam impetrari lacrymas per alios.

REtulit nobis hoc anno dominus VValterus Abbas Vilariensis testeste, quod monachus quidam, cùm mitteretur ab Abbate suo ad cœnobium quoddam sanctimonialium ordinis nostri, rogauerit vnam ex eis, quam amplioris meriti apud Deum sperabat, pro se orare: Respondit illa; Quid vultis vt orem pro vobis? Et monachus; Volo vt obtineas à Domino, ter mihi in hebdomada ad solennes vigilias, hoc est, feria secunda, feria quinta, & sabbato, quando longiores sunt vigiliæ, specialem gratiam lacrymarum & deuotionis. Cui illa constanter promisit, quia hoc ei obtineret. Reuersus monachus ad claustrum suum, gratiam promissam stans ad vigilias expectauit, & in eisdem noctibus, per orationes sanctæ illius mulieris, à Domino copiosè lacrymas percepit. Illa per spiritum intelligens se exauditam, eidem monacho per quendam clericum familiarem mandauit, & quia iam gratiam percepisset promissam intimauit. Cùm verò Abbas eiusdem domus, iam dictam gratiam pro ædificatione clerico recitaret, subrisit ille dicens, se eò multò melius scire, vtpote quia ab ipsa audierit, quæ talem gratiam impetrare potuit. Recitauit

citauit nobis & simile huic idem Abbas in sua sancta iocunditate dicens; Vos non estis sancti, ego aliquid referam vobis de sanctitate mea, sic incipiens.

CAPVT XXI.

DVm intellexissem supradictum monachum gratiam illam lacrymarum percepisse à fœmina tali religiosa, rogaui Abbatem meum, tunc recenter factus monachus, vt liceret mihi tales visitare fœminas; & concessit mihi statim. Veniens itaque ad domum cuiusdam honestæ matronæ Brabantiæ hospitandi gratia, cùm intellexisset desiderium meum, dixit in ioco; Quid quæritis videre istas beginas? vultis ego ostendam vobis mulierem bonam, quæ quicquid vult, obtinet à Deo? Respondi; Talem multum desidero videre. Et statim ad verbum eius mulier quædam de cubiculo suo egressa, veniens ad me, cœpit mecum loqui. In cuius aduentu, cùm mihi sentirem gratiam adesse, rogaui eã, vt oraret pro me; quæ cùm diceret; Quid vultis vt orem pro vobis? Respondi; Vt possim deflere peccata mea. Et illa; Nunquid non estis monachus? qui peccata sua non potest deflere, monachus non est. Et cùm instarem quatenus mihi gratiam hanc obtineret, respondit; Ite, abundanter habebitis. Proxima nocte orans ante lectum meum, cùm de peccatis meis cogitarem, nec tamen mulieris promissum attenderem, cœpi ita abundanter & supra morem solitum flere, penè vsque ad mediam noctem, vt tandem timens capiti meo, vix me cohibere possem à fletu. Quæ cùm mihi mandasset, quod tali nocte gratiam illam lacrymarum mihi impetrasset, iterum reuersus sum ad eam, & sciscitatus sum ab ea dicens; Dicite mihi in charitate, qualiter mihi obtinueritis gratiam illam. quæ respondit mihi sub his verbis; Primò quidem Domi-

Universidad de Deusto Biblioteca

num durum inueni, sed dixi ei, Domine non euades manus meas, nisi monachus ille habeat gratiam lacrymarum: & statim concessit tibi. Adiecit & tertium exemplum de simili materia.

CAPVT XXII.

ALio, inquit, tempore, rogaui vnum ex monachis nostris bonæ opinionis virum, vt rogaret Deum pro me: qui cùm mihi daret optionem, quid mihi vellem à Deo impetrari, volēs sermonis eius fiduciam probare, respondi ei; Volo vt obtineas mihi post Missam gratiam lacrymarum, quibus peccata mea deplangam: & promisit mihi multum confidenter. Sequenti die, cùm post Missā moram facerem ante quoddam altare, & essem solus in oratione, tanta mihi affuit abundantia lacrymarum, vt mirarer. Postea cùm vidisset me supradictus monachus, corpore quidem iuuenis, sed moribus valde maturus, cœpit mihi signare, si bene esset mecum, gratiam notans mihi collatam: ego signum eius non intelligens, & ante Priorem illum ducens, quæsiui quid signaret: qui dixit mihi; Nunquid non copiosè hodie habuistis lacrymas? quem cùm interrogassem si vidisset me lacrymantem, respondit; Estis vos tam stultus, quod putatis me vidisse? Ego minui sanguinem, nec licuit mihi dictis Missis morari in oratorio. Tunc interrogatus à me, quomodo mihi gratiam eandem obtinuisset, respōdit penè sicut supra dicta mulier; Dominum, inquit, primò durum inueni, sed illi: Ecce Domine non dimittam te, nisi facias quod rogo: his verbis placatus, exaudiuit me. APOLLONIVS: Miror bonitatem Dei, quod cogi potest, & vult à seruis suis & ancillis, quomodo pater dulcissimus cogi solet à filijs & filiabus delicatissimè ab eo nutritis. CAESARIVS: Qui eum perfectè diligunt, nullam ab ipso in orationibus suis patiuntur repulsam, si tamen

tamen saluti contraria non fuerint quæ petuntur. APOLLONIVS: Si Dominus confert alicui lacrymas, vel alia bona signa contritionis, & vult illa ab alijs videri, est ne ei periculosum? CAESARIVS: Secundum intentionem orantis, pendet solutio huius quæstionis: si ei placet, vt alij lacrymas eius videant, quatenus per eas ædificentur, ipse tamen humilitatem in corde custodiat, meretur: sin autem, demeretur.

CAPVT XXIII.

MOnachus quidam magnæ opinionis retulit mihi, quādo nouitius fui, de quodam, monacho, quod die quadam, cùm iaceret in oratione ante quoddam altare, & Dominus ei tantā contulisset gratiam lacrymarum, vt etiam irrigaret terram; ex immissione diaboli, vt postea patuit, cordi eius suborta est inanis gloria, ita vt diceret intra se; Vtinam aliquis videret modò gratiam istā. Mox is, qui immisit, adfuit, & lacrymas eius stans à latere diligentissimè respexit: transfigurauerat enim se in specie nigri monachi. Leuans oculos monachus, tam ex horrore mentis, quàm nigredine vestis, dæmonem, totius superbiæ auctorem, esse deprehendit; &, quem per vitium inanis gloriæ inuitauerat, per virtutem & signum crucis fugauit. Ob huiusmodi pericula iubentur à Domino oraturi intrare cubiculum, & claudere ostium super se, hoc est, vitare laudem humanam. APOLLONIVS: Si nosti adhuc aliqua de cōtritione exēpla, mihi vt edisseras obsecro. CAESARIVS: Cogitanti mihi de contritione, alia atque alia occurrunt exēpla, in quibus Christus, totius virtutis auctor, glorificetur, & pœnitens omnis consoletur.

CAPVT

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT XXIIII.

De contritio nis virtute.

IN ciuitate quadam Angliæ, puella quædam habitauit, Iudæi cuiusdam filia, & secundùm genus suum satis speciosus: hanc iuuenis quidam clericus, Episcopi eiusdem ciuitatis cognatus, & ecclesiæ maioris canonicus, vt vidit, concupiuit, & verbis amatorijs ad consensum suæ libidinis cũ multo labore inclinauit. Ad cuius amplexus dum aspiraret, & nimijs incendijs æstuans, eam quotidie ad commixtionem solicitaret, respondit illa; Patri meo multum sum dilecta, qui in tantum custodit me, vt neque ego ad te, neque tu possis venire ad me, nisi in nocte sextæ feriæ, quæ Pascha vestrum præcedit; tunc enim Iudæi laborare dicuntur quadam infirmitate, quæ fluxus sanguinis dicitur, circa quam occupati, alijs tunc minus intendere possunt. Iuuenis hæc audiens, & ob amoris nimietatem penè ratione carens, oblitus Christianæ religionis, immemor Dominicæ passionis, nocte eadem ad virginem venit, & vsque ad matutinum cum illa dormiuit. Iudæus verò pater puellæ ante lucem cum lumine cubiculum intrans, venit ad lectum filiæ, volens videre quomodo iaceret, vel si fortè operiri necesse haberet, videnſq; ad latus eius iam dictum iuuenem cubantem, expauit, & infremuit, vtrumq; occidere cogitans: cognoscens tamẽ quod esset cognatus Episcopi, timore illius, manũ cohibuit, & cũ multa ira exclamauit; Quid facis hic ô male Christiane? vbi est fides tua, vbi est religio tua? Traditus es iusto Dei iudicio in manus meas; si non timerem Dominum meum Episcopum, modò occiderem te. Ille timens, & veniam postulans, cũ maxima confusione eiectus est. Die eadem, cùm Episcopus solenne officium ad nonam esset celebraturus, iuuenis idem, vtpote hebdomedarius, epistolam lecturus timuit cum tam immunda conscientia

ad sacrum ministerium accedere, & timuit propter notam alteri vicem die tali committere, timuit tam turpe peccatum, tam recenter per confessionem alicui aperire: & cùm victus erubescentia sacris vestibus indutus coram Episcopo staret in loco suo, supradictus Iudæus, multitudine Iudæorum stipatus, cum magno strepitu intrauit ecclesiam, Episcopo de cognato suo facere volẽs querimoniam. Quem vt iuuenis vidit, & bene intelligeret ad quid venisset, cœpit timere, pallere, tremere, & dicere, Domine Deus libera me in hac hora, & ego tibi promitto, quod de cætero te non offendam, imò de hoc peccato tibi satisfaciam. Creator pijssimus, qui odit culpam, & diligit naturam, mox vt hominem contritum vidit, confusionem, quam timuit, in caput infidelium conuertit. Mirante Episcopo quid quærerent Iudæi in ecclesia, maximè tali die, quando Christiani repræsentant Domini sui passionem, annuit vt starent; illis amplius se eius præsentiæ ingerentibus, statim vt ora ad clerici accusationem aperuerunt, priuati suis vocibus, omnes obmutuerunt. Videns Episcopus ora Iudæorum contra se hiantia, & nulla verba ex eis resonantia. putans quia ad hoc venissent, vt diuinis mysterijs illuderent, cum indignatione omnes de atrio ecclesiæ expelli præcepit. Clericus verò diuinam in se expertus clementiam, statim cõpleto officio, accessit ad pontificem, confessus est culpam, suscepit pœnitentiam: Episcopus, Dei misericordiam admirans & glorificans, tum pro magnitudine miraculi, tum pro pœnitentia cognati, eidem suasit ac persuasit, vt puellam à se defloratam, per baptismi gratiam renouatam, legitimè duceret, malens illum, sicut vir pius & iustus, ecclesiasticis carere beneficijs, quàm illam multis expositam periculis in paternis manere delictis. Clericus non

Universidad de Deusto Biblioteca

non ingratus diuinis beneficijs, satisfacere cupiens Deo pro peccato commisso, conuersus est postea in ordine nostro, similiter & eius instinctu puella. Hæc mihi sæpius recitauit quidam religiosus Abbas ordinis nostri. Ecce vides, quantum boni operata sit in hoc homine contritio, lapsum erexit, Iudæos elingues fecit, puellam infidelem ad fidem prouexit. APOLLONIVS: Bene video, admiror, & gaudeo, Deiq; bonitatem circa nos in multis considero. CAESARIVS: Quia sermo est de Iudæis, vis adhuc aliam audire historiam, huic ex parte similem, ad honorem fidei nostrę atq; Christianorum, confusionemq; Iudęorũ? APPOLLONIVS: Anima mea sitit talia audire.

CAPVT XXV.

CAESARIVS:

De Iudæis Historiæ aliæ.

IN ciuitate, vt opinor, VVormatia, Iudæus quidam manebat, filiam habens formosam: hanc iuuenis quidam clericus, in vicinio habitans, adamauit, deuirginauit, & impregnauit: erant enim domus illorum satis contiguæ, & poterat idem clericus, sine nota, frequentius intrare, & pro libitu loqui cum virgine. Illa intelligens se concepisse, dixit iuueni, concepi, quid faciam? si cognouerit pater meus, interficiet me. Respondit clericus; Noli timere, bene liberabo te: si dixerit tibi pater tuus, vel mater, quid est filia, venter tuus intumescit, videris nobis concepisse, respondebis: Si concepi, nescio, hoc scio quia virgo sum, & nondũ virum cognoui; ego bene agam cum illis vt credãt tibi. Ille diligentissimè cogitans qualiter liberaret puellam, huiusmodi trupham inuenit. Tollens arũdinem, in silentio noctis ad fenestram cameræ, iuxta quam illos dormire nouerat, accessit, & verba huiuscemodi per immissam fistulã sibilauit; O iusti & Deo

Deo dilecti, proprijs nominibus eos exprimens, gaudete, ecce filia vestra virgo concepit filium, & ipse erit liberator populi vestri Israel: statimque paululum retraxit arundinem. Ad hanc vocem Iudæus expergefactus, excitauit vxorem suam dicens ei; Nunquid non audisti, quid nobis locuta sit vox cælica? Respondit mulier; Non: Et ille; Oremus, vt & tu audire merearis. Orantibus eis, clericus ad fenestram stans, & diligenter quid loquerentur auscultãs, post morulam, eadem verba, quæ supra, repetiuit atq; adiecit: Magnum debetis filiæ vestræ honorem exhibere, magnam curam adhibere, & cum multa diligentia seruare puerum, de eius virgineo corpore nasciturum, ipse enim est Messias, quem expectatis. Illi exultantes, & post repetitionẽ facti certiores, vix diem expectare potuerunt: puellam verò considerantes intumescentẽ aliquantulum vtero concepisse, dixerũt ad illam; Dic nobis filia, de quo cõceperis? quibus illa, sicut edocta fuerat, respõdit. Et vix prę gaudio sese capientes, nõ potuerunt se cõtinere, quin familiaribus suis dicerẽt, quid ab angelo audierint. Illi alijs recitantes, fama dilatante diuulgatum est per ciuitates & castra, quia talis virgo Messiam parturiret. Instante tempore pariendi, multi ad domum puellæ confluxerunt Iudæi, cupientes noua natiuitate, diu desiderata, lætificari: sed iustus Deus, vanam spem iniquorum conuertit in fabulam, gaudium in tristitiã, expectationem in confusionem. Et meritò; quorum patres, olim cum Herode de natiuitate salutifera filij Dei turbati sunt, decuit vt istis temporibus tali illuderentur fantasmate. Quid plura? Adfuit hora vt pareret misera, & ecce secundum consuetudinem mulierum, dolor, gemitus, & clamor: tandem enixa est infantem, non tamen Messiam, sed filiam. Quo cognito, valde confusi & turbati sunt Iudæi: ex quibus vnus, cum multa

multa indignatione paruulum pede apprehendés, allisit ad parietem. APOLLONIVS: Quid post hæc actum est de puella? CAESARIVS: Pater eius confusionem suam grauiter ferens, afflixit eam, & cum tormétis extorsit ab illa confessionem totius doli. APOLLONIVS: Miserabile fuit, quod virgo infidelis ab homine fideli seducta ac corrupta, non est ad baptismi gratiam, vt supradicta puella, perducta. CAESARIVS: Fortè clericus hoc efficere non potuit, vel potius non curauit, magis gaudens de Iudæorum confusione, quàm de puellæ illuminatione. Si, vt dicis, miserabile est non baptisatam non illuminari per baptismum, multo miserabilius est, quod hodie ab Episcopo compellitur baptisata redire ad Iudaismum. APOLLONIVS: Casum istum audire desidero.

CAPVT XXVI.

CAESARIVS.

NVper cuiusdam Iudæi Louaniensis filia, tali ordine conuersa est ad fidem: Clericus quidam Reynerus nomine, capellanus Ducis Louanij, solitus erat intrare domum Iudæi eiusdé ciuitatis, & disputare cum eo de fide Christiana. Habebat autem filiam paruulam, quæ valdè diligenter intendebat disputationi, secundum capacitatem intellectus sui ponderans tam verba clerici opponentis, quàm verba Iudæi respondentis: sicq; sensim, per diuinam dispositionem, imbuebatur ad fidem catholicam. Suasa etiam à clerico, secretè tamen, contrita est in tantum, vt diceret se velle baptisari: adhibita est ei mulier, quæ sine nota puellam de domo patris educeret, quam clericus iam dictus baptisari fecit, eamque in monasterio ordinis Cistercienſis, quod Parcus dicitur, locauit. Cognita conuersione, pater infidelis doluit, multam pecuniam

niam offerens Duci, quatenus sibi restitueret filiã, quam furtim conquerebatur fuisse sublatam. Dux verò cùm vellet patri restituere filiam, Iudæo scilicet Christianam, restitit ei Reynerus clericus dicens; Domine si hoc scelus cõmiseritis contra Deũ & sponsam eius, nunquam saluabitur anima vestra: restitit ei & dominus VValterus Abbas Vilariensis Videns Iudæus se frustratum spe, quam habuit erga Ducem; corrupisse dicitur dominum Hugonem Episcopum Leodiensem, qui Iudæo in tantum fauebat, vt conuentui sanctimonialium de Parco literis suis mandaret, quatenus illi filiam restituerent. Veniente verò Iudæo ad iam fatum cœnobium cum amicis & cognatis suis, virgo intro constituta, cùm de illorum aduẽtu prorsus nil sciret, sentire cœpit fœtorem magnum, ita vt palam diceret; Nescio vnde sit, fœtor Iudaicus me grauat. Interim Iudæis pulsantibus ad fenestram, cùm puellæ diceret Abbatissa, vt puto; Filia Catharina, sic enim vocata fuit in baptismo, parentes tui volunt te videre: respondit illa: & non acquieuit exire. Anno præterito accusatus fuit idem Episcopus Leodiensis, pro eadem causa, coram domino Engelberto Archiepiscopo Coloniæ in synodo eius, & præceptum fuit ei, ne de cætero molestaret supradictum cœnobium pro puella baptisata. Tunc quidem subticuit, sed non obediuit. Postea verò literis suis puellam citauit Leodium, sub pœna excommunicationis, patri suo responsuram super obiectis: venit Catharina, sub bona tamen custodia. Allegatum est pro Iudęo, quod infra annos rapta fuisset, & violenter baptisata: & dixerunt quidam ipsi puellæ; Catharina dictum est nobis, quod libenter redires ad patrem tuum, si permittereris. Respondit puella; Quis hoc dicit? Responderunt illi; Pater tuus. Tunc illa clara voce tale protulit verbum; Pa-

ter meus rectè mentitus est per mediam barbã suã. Cùm adhuc instaret aduocatus Iudæi, commotus dominus VValterus Abbas Vilariensis, ait illi; Magister, vos loquimini contra Deum, & contra honorem vestrum: sciatis pro certo, si adhuc vnum verbum locutus fueritis contra puellam, ego laborabo apud dominum Papam, vt perpetuum vobis in omnibus causis imponat silentium. Tunc ille timens, secretè respondit Abbati; Domine Abbas, quid nocet vobis, si potero pecuniam extorquere à Iudæo? ego nihil loquor, quod obesse poterit puellæ. Qui mox vt salarium suum accepit, dixit Iudæo; Non audeo de cætero loqui de hac causa. Anno præterito, quando dominus Guuido Abbas Clareuallis, visitauit in Episcopatu Leodiẽsi, eundem Episcopum conuenit, monuit & rogauit, quatenus intuitu Dei, & honoris sui cessaret à vexatione puellæ iam Christo dicatæ. cui Episcopus respondit; Bone domine Abbas, quid ad vos de causa ista? respondit Abbas; Bene ad me duplici de causa; Primò, quia homo Christianus sum; secundariò, quia domus illa, in qua degit, de linea Clareuallis est; & adiecit. Puellam & causam eius sub protectione domini Papæ constituo, & super literas, contra illam à vobis datas, appello. Tempore capituli generalis, literas à domino Papa contra Episcopum impetratas, per Abbatem nostrum misit Priori de Parco, vt si fortè Episcopus adhuc conuentum vexare propter puellam attẽtaret, eisdem litteris defenderet. APOLLONIVS: Sicut paulò ante in Episcopi Angliæ ædificatus sum misericordia, ita in huius Episcopi scandalisatus sum auaritia. CAESARIVS: Defensores eius, dicunt eum non esse pertinacem in hoc negocio amore pecuniæ, sed zelo iustitiæ; quibus minimè creditur, quia si agitaretur stimulis iustitiæ, nequaquam cogeret puellam baptisatam, virginem

virginem Christo consignatam, & religione Christiana, etiam supra ætatem, feruentem, ad Iudaicã redire perfidiam. APOLLONIVS: Hoc & mihi videtur. CAESARIVS: Occurrit mihi huic exemplo aliud ex parte simile, de quodam milite seculari, ita vt ipso suo facto sæpedicto pontifici, exprobare videatur sententia illa prophetica: Erubesce Sidon, ait mare. *Isai. 23.*

CAPVT XXVII.

IN villa nobis vicina, quæ Linze dicitur, infra hoc triennium, quædam puella Iudæi cuiusdam filia, baptismi desiderio diuinitus accensa, ad quandam fœminam eiusdem villæ venit, & quia baptisari vellet, satis simpliciter intimauit: cui sua sum est à muliere, vt Conradum militem adiret, voluntatemq; suam exponeret: quod cùm fecisset, ille gauisus valdè, pollicitus est, quia ei consilio, auxilio, vel temporali subsidio nullatenus deesset. Die quando baptisanda erat, dixit ad militem; Domine, procurate ne videat me pater meus infra hoc triduum, quia si ab eo visa fuero, tanta scit quod iterum oportebit me redire ad Iudaismum. Positi sunt, milite procurante, circa cœmiterium homines armati, qui Iudæum vetarent intrare, vt puella securè posset introire, siue exire, sine illius contemplatione. Procurante Deo, baptisata est virgo, & vocata Elisabeth. Paucis diebus elapsis post baptismum, occurrit ei mater infidelis, & ait; Bona filia, reuertere ad Iudaismum: Respondit illa; Non possum, quia Christiana sum effecta. Tunc mater; Ego bene tibi auferam baptismum. Volens puella probare quid mater dicere vellet, respondit; Quomodo hoc faceres? ego, inquit Iudæa, tribus vicibus te sursum trahã per foramen latrinæ, sicq; remanebit ibi virtus baptismi tui. Quod verbũ puella audiẽs, & execrans, contra matrem spuit, fugiens ab illa;

Universidad de Deusto Biblioteca

Prædictus miles, cùm sit ætate iuuenis, nec tamen multum diues, virginem loco filiæ nutrit, volens illam tradere viro, vel in aliquo locare monasterio. APOLLONIVS: Quid dicturus est Episcopus Leodiensis in die iudicij, cùm viderit hunc militè de virginis huius conuersione gloriari? CAESARIVS: Nõ est nostrum Episcopos iudicare, cùm sæpe à multis multum, sine causa etiam quandoque, iudicentur.

CAPVT XXVIII.

Episcoporum onus & periculum.

CLericus quidam Parisijs ante paucos annos verbum terribile contra Episcopos locutus est dicens: Omnia credere possum, sed vix credere possum, quod vnquam aliquis Episcopus Alemaniæ possit saluari. APOLLONIVS: Quare magis iudicauit Episcopos Alemaniæ, quàm episcopos Galliæ, Angliæ, Longobardiæ, vel Tusciæ? CAESARIVS: Quia penè omnes Episcopi Alemaniæ, vtrumque habent gladium, spiritualem videlicet, & materialem; & quia de sanguine iudicant, & bella exercent, magis eos solicitos esse oportet de stipendijs militum, quàm de salute animarum sibi commissarum. Inuenimus tamen ex ipsis Episcopis Coloniensibus, qui pontifices simul fuerunt, & duces, aliquos fuisse sanctos, beatum videlicet Brunonem, sanctum Heribertum, & sanctum Annonem. Occasione verbi iam dicti clerici, recordor & alterius cuiusdam verbi, adhuc terribilius, à quodam defuncto, contra Episcopos prolati.

CAPVT XXIX.

IN Claraualle nostris temporibus monachus quidam in Episcopum electus est, quem cùm electores requirerent, & ille onus suscipere renueret, imperium Abbatis eius, vel Episcopi accessit, sed imperantibus, non acquieuit: & cessatum est ab eo,

ab eo, atque non multo post defunctus; qui cuidam sibi familiari manifestè apparens post mortem, requisitus de statu suo, & si aliquid timeret de illa inobedientia, respondit: Non, & adiecit: Si obediens fuissem, & Episcopatum illum suscepissem, damnatus essem æternaliter: subiunxitque verbum valde terribile, Adhoc, inquit, iam deuenit status ecclesiæ, vt non sit digna regi, nisi à reprobis Episcopis. APOLLONIVS: Sanctum VVilhelmum Bituricensem Episcopum, qui ante paucos annos defunctus est, esse de numero electorum, crebra eius testantur miracula. CAESARIVS: Puto illum verbum tam horribile contra Episcopos proferendo, respexisse ad multitudinem malorum, & ad raritatem bonorum, & quod eandem raritatem exigat malitia subditorum, sicut testatur sacra scriptura, dicens: Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi. APOLLONIVS: Relinquatur ergo horum oratio, quia ea quæ residua sunt de contritione, audire desidero. CAESARIVS: Quod dictum est de puellis baptisatis, & de Episcopis, ad contritionem pertinet, quia in adultis sine contritione nihil operatur baptismus, & Episcoporum est, mederi contritis corde, confessiones illorum recipiendo, & pęnitantiam iniungendo; vnde quia pauci nostri temporis Episcopi, in tali physica student, & practicam eius minus exercent, iustè aliquando à subiectis & infirmis iudicantur.

Iob. 34.

Latius sumit cõtritionem, vt etiam cõprehendat atritionem.

CAPVT XXX.

TEmpore Frederici Imperatoris, aui huius Frederici, qui regnat, sedente Christiano Episcopo Maguntiæ, iuxta quendam Episcopum Lõgobardię, requisitus est ab illo, si nosset omnes episcopij sui homines. Subridente Episcopo, ac respondente, Puto Episcopatum meum non minorem esse tota Longobardia; expauit bonus ac solicitus Episcopus

Universidad de Deusto Biblioteca

copus ille considerans periculum eius in reddenda ratione. APOLLONIVS: Et meritò, quomodo ergo vnus homo, tot animas regere posset sine periculo? CAESARIVS: Visio quædam satis terribilis memoriæ occurrit, quæ & supradictis respondet, & nostris temporibus videtur esse impleta, cuius tenor talis est.

CAPVT XXXI.

Reuelatio prophetia Simonis monachi.

FRater Simon, cùm esset in oratione ante altare sanctæ Dei genitricis Mariæ, audiuit vocem dicentem sibi; Mone pastorem tuum superiorem, & dic ei; Oues tuæ fundent sanguinem. Et præcipe ei, ne semet, & eas, interficiat veneno; nã & posuit cor suum in ventres luporum latè hiantium. Membra mea incipient commoueri à crudeli bestia, quæ homo facta est. Exi, & clama vndique magnam Dei omnipotentis offensam, & dic; Nisi conuertamini, & emendemini, occidemini, & in ignem æternum mittemini: inimici mei vindicabũt iniurias meas. Post hæc apparuerunt oues quinque pinguissimæ, ac deinde boues tres macilentę: de quibus cùm quęreret quid significarent, responsum est; Quinque oues, anni sunt quinque magnæ abundantiæ; & boues tres, anni famis validę. Et iterum: Falsi Romani excitabunt crudeles rumores, & iniquo cõsilio suo diuident potestatem Romanam. Et iterum: Ierusalem capietur, & destruetur, & inimici mei vindicabunt iram meam, quia polluerũt vias meas, in quibus ego ipse ambulaui: fame maxima arẽtabuntur: cœli & terra trement, sed homo non vult tremere à crudeli bestia. Postea sol cõuertetur in tenebras, deinde veniet dies habens longitudinem dierum duorum. Post obumbrationem autem solis, scietur quod crudelis bestia ostentabitur decem tribubus, quæ clausæ sunt. vnusquisque felix scilicet meorũ membrorum, sanguinem fundet. Icirco vnusquisque felix præparet se, ita vt rectè viuat in hac breui vita. Post hæc frater Simon vidit dæmonem loricatum & galeatum, habentem squamas tanquam piscis, qui vocatur carpo; pupillæ oculorum eius tetræ & ardentes, tanquam facula, quæ à vento agitatur; de ore & naribus eius procedebat flamma sulphurea: dentes eius partim albi, partim sulphurei. Post hæc facta est vox; Post contenebrationem solis, suscitabit crudelis bestia arte mala quosdam Iudæos tanquam à mortuis, qui tamen non erunt Iudæi, sed falsi nuncij, dicentes se à mortuis resurrexisse, veris Iudæis spem vanam promittentes, & in infidelitate sua, & in errore Iudæos fouentes, & multos decipientes. Et adiecit: O Colonia Agrippina, deplora calamitates tuas, quæ venient tibi, quoniam non solum ex culpa solius Episcopi, sed etiam ex communi peccato, venient mala supradicta: veruntamen ipse Episcopus plurimum debet dolore quoniam ipse omnibus alijs est prælatus. Hanc visionem conuentus noster missus super mõtem Stromberg, ibidem reperit. Eodem anno capta est Ierusalem, & terra sancta, quod in eadem visione fuerat prædictum. APOL. Interpretationẽ huius visionis nosse desidero. CAES. Partim mihi tractare videtur de his, quæ nostris tẽporibus contigerũt in episcopatu Coloniensi, partim de aduentu Antichristi. Quod autem facta sit hæc reuelatio in episcopatu Coloniensi, & ad eiusdem diœcesis Episcopum, ex fine eius colligo; sed quis fuerit idem Simon, penitus ignoro. Pastorem hunc superiorem, Adolphum Episcopum intelligo, qui post mortem Henrici imperatoris quasi venale Imperium habens, veneno auaritiæ seipsum infecit, plurimosque interfecit; potuit enim cor suum, id est, consilium suum in ventres luporum, ad thesauros Richardi regis Angliæ, latè hiantium, quorum consi-

Anno Domini 1187.

Prophetiæ interpretatio.

Universidad de Deusto Biblioteca

consilio Ottonem Saxonem, filium sororis eius, in Rugem Romanorũ elegit. Ex tunc crudelis illa bestia, scilicet auaritia, facta est homo, id est, hominibus ita sociabilis, & chara, vt eius zelo, Christianæ potestates à iustitia & fide motæ, negligerent iuramenta, periuria paruipendentes. Missus est eodem tempore Cardinalis Coloniã, qui Ottonis electionem confirmaret, principesque à iuramento quod Frederico, qui nunc regnat, fecerant, absolueret, q̃ magis, vt rei exitus probauit, Imperij fuit diuisio, quàm cõfirmatio. Ab illo tẽpore prouinciæ incendijs vastantur, & ecclesiæ deprẽdãtur, sanguis multus effunditur, Adolphus deponitur, Colonia obsidetur. Tunc impleta est extrema pars huius visionis; O Colonia deplora calamitates tuas &cæt. In principio episcopatus eiusdem Adolphi, cùm præcessissent anni magnæ abundantiæ, tres fuerunt anni tantę sterilitatis, vt in primo anno modius siliginis venderetur marca argenti. Reliqua huius visionis, nimis sunt obscura, nec patent meo intellectui. APOLLONIVS: Tempore diuisionis Romani Imperij, Dominus Innocentius Papa à multis iudicabatur, ita vt eum dicerent eiusdẽ schismatis auctorem, primò partem Ottonis nimis fouendo, postea eundem persequendo. CAESARIVS: Propter hoc, cùm idẽ beatæ memoriæ Innocentius die quadam sermonem Romæ ædificatorium faceret in populo, Ioannes Capotius, qui Ottoni fauebat, eius sermonem interrupit dicens; Os tuum os Dei est, sed opera tua, opera sunt diaboli. APOLLONIVS: Peto vt nunc reuertaris ad contritionem, à qua, occasione quorundam verborum, satis digressum est. CAESARIVS: Tanta est virtus contritionis, vt nullum ei obstare possit peccatum, non periuria, non homicidia, non furta, nec vsuræ quidem.

CAPVT

CAPVT XXXII.

Vsurariorũ conuersiones

RETulit mihi senex quidam sacerdos & monachus nigri ordinis, natione Saxo, rem memoria dignissimam de quodam vsurio, nec constat mihi, si scripta sit; Dixit quendam fuisse vsurarium diuitem nimis, qui diuersarum ecclesiarium thesauros loco pignoris tenebat, cuius cùm esset inexplebilis auaritia, percussus est peremptoria infirmitate. Tunc primùm in se reuersus, licet serò, considerare cœpit pondus vsuræ, tormenta gehennæ, difficulatẽ pœnitentiæ; & vocans ad se quendã nigri ordinis Abbatem sibi familiarem, dixit ei; Domine, grauiter infirmor, non possum aliquid de rebus meis ordinare, neque vsuras acceptas restituere; si volueritis de anima mea Deo reddere rationem, peccatorum meorum mihi promittere absolutionem, omnia bona mea, tam mobilia, quàm immobilia, potestati vestræ subijciam, ita vt de illis quod visum vobis fuerit faciatis. Cernens Abbas hominem contritum, & verè pœnitentem, respondit; Ego deliberabo, festinansq; ad Episcopum, verba vsurarij ei exposuit, & quid consuleret inquisiuit: respondit Episcopus; Bonum mihi videtur, vt pro anima eius spondeas, & substantiam suscipias, ita duntaxat, vt ecclesiæ meę thesaurum mihi restituas, Mox Abbas ad ægrum rediens, ait; Ego dilaberaui vt bona tua suscipiam, & pro peccatis tuis Deo spondeam; respondit infirmus; Nunc consilium meum est, vt allatis curribus, omnia mea prius efferas, & me nouissime tollens, nullum patieris impedimentum in efferendo: habebat enim duas archas plenas auri & argenti, pignora etiam plurima in vasis, in libris, varijsq; ornamentis, frumentum, vinum, suppellectilem multam, pecoraque infinita. Tunc Abbas prius omnibus prẽmissis, nouissimè in gestatorio ponens infirmum, properauit

Universidad de Deusto Biblioteca

rauit ad monasterium: sed mox vt ille monasterium intrauit, spiritum exhalauit. Abbas verò, non immemor sponsionis, in quantum potuit, vsuras restituit, plurimas pro illius anima largiens eleëmosynas, residuum in vsus fratrum conuertit. Positum est corpus in oratorio, chorus psallentium circa illud ordinatis: in ipsa nocte, cùm fratres attentius psallerent, quatuor tetri spiritus apparentes, feretrum à parte sinistra circumstabant, quibus visis, territi fratres, omnes, excepto vno seniore, fugerunt. Et ecce totidem Angeli sancti contra quatuor dæmones à parte dextra se ordinabant, moxque is, qui primus inter dæmones videbatur, in illud Dauidicum erupit: Dixit insipiens, vt delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos eius: hoc in isto homine impletum est. Alter dixit; Quoniam dolosè egit in conspectu eius, vt inueniatur iniquitas eius ad odium. Cui tertius subiunxit; Verba oris eius iniquitas & dolus; noluit intelligere vt bene ageret. Quartus dixit; Iniquitatem meditatus est in cubili suo; astitit omni viæ malæ, malitiam autem non odiuit. Tunc simul omnes dixerunt; Si Deus iustus, & verba eius vera, homo iste noster est, quia omnium horum reus est. Responderunt sancti Angeli; Si contra eũ carmen Dauidicum profertis, procedite. Dixerunt dęmones. Ista nobis sufficiunt ad eius damnationem. Ad quod Angeli responderunt; Ex quo vos tacetis, nos incœpti psalmi residua proferemus. Ait itaque primus; Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes. Cui secundus adiecit; Iustitia tua sicut montes Dei iudicia tua abyssus multa. Tertius verò; Homines & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus. Cumque quartus subiunxisset: Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt; simul in hanc vocem

Psal 35.

cem eruperunt; Quia Deus iustus est, & scriptura solui non potest, filius hic hominis noster est, ad Dominum confugit, ad Dominum ibit, quia sub tegmine alarum illius sperauit. Inebriabitur ab vbertate domus eius, qui se lacrymis contritionis inebriauit; & torrente voluptatis suę potabit eum: quoniam apud ipsum est fons vitæ, & in lumine eius videbit lumen. Ad hanc vocem dæmonibus cõfusis, & obmutescentibus, cœlestes nuntij animam contriti peccatoris tollentes, illis sociauerunt, de quibus Saluator in Euangelio dicit; Gaudium est in cœlo angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. APOLLONIVS: Quid amplius profuit vsurario, eleëmosynæ, an contritio? CAESARIVS: Hoc securè dico, quia si contritio defuisset, modicum illi eleëmosyna profuisset. Vis audire quantum Deus acceptet eleemosynas vsurarij? APOLLONIVS: Volo, & desidero.

Lucæ 15.

CAPVT XXXIII.

CAESARIVS.

MVltorum ore celebratur adhuc Coloniæ factum cuiusdam vsurarij, in ecclesia S. Gereonis martyris sepulti, qui cùm esset diues & auarus, tãdem diuina misericordia compunctus, sacerdotem adijt, confessionem fecit, & vt Deum pro peccatis suis placaret, pollicitus est quia omnia sua pro illius nomine pauperibus erogaret: cui sacerdos respondit: Incide de panibus tuis eleemosynas, ita vt cistam ex eis impleas, claudesque illam; qui cùm die altera eandem arcam aperuisset, quot ibi posuerat eleemosynas, tot in ea reperit bufones; cui cùm sacerdos diceret: Vides nunc quantũ Deo placeant eleemosynę de vsura? territus ille respõdit; Dñe quid faciam? Si vis, inquit, saluus fieri,

hac nocte inter vermes istos nudus iaceas. Mira cõtritio: Ille, licet tale stratum nimis abhorreret, vermibus tamen morituris immortales præponens, tum timore gehennæ, tum amore cœlestis patriæ, nudus se super vermes iactauit: Sacerdos verò arcã ipsam adijt, clausit, & abijt; quam die postera cùm aperuisset, nihil præter ossa hominis ibidem inuenit, quæ in porticu prædicti martyris sepulta, dicuntur tantæ esse virtutis, vt vsque hodie, nullus bufo terminos eiusdem viuus possit intrare. APOLLONIVS: Si eleëmosynę vsurariorum vertuntur in bufones, reliqua eorum substantia quales ex se gignet vermes? CAESARIVS: Vermes infernales, vermes immortales, de quibus per Isaiam in
Isai.66. persona talium dicitur; Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur; & erunt
Isai.14. vsq; ad satietatem visionis omni carni. Subtus eos sternetur tinea, & corpora eorum comedent immortales vermes gehennæ, animas semper rodet vermis conscientiæ. APOLLONIVS: Potuit ne ergo Abbas ille, de quo superius dictum est, ex pecunijs vsurarij fructuosas pro anima eius facere eleemosynas? CAESARIVS: Prius, sicut me memini dixisse, vsuras pro possibilitate restituit, de reliquo eleëmosynas fecit, hoc in isto factum non est: quod autem hoc liceat, ex hoc quod sequitur exemplo docebitur.

CAPVT XXXIIII.

TEmporibus Philippi regis Francorum, qui hodie regnat, erat in ciuitate Parisiensi vsurarius quidam ditissimus, Theobaldus nomine: hic cum haberet possessiones plurimas, infinitasq; pecunias ex vsuris congregatas, diuinitus compunctus, ad magistrum Mauritium eiusdem ciuitatis Episcopum venit, eiusq; consilio se commisit. Ille verò cùm in ædificatione ecclesiæ beatæ Dei

Dei genetricis Mariæ nimis ferueret, consuluit ei, quatenus pecunias suas ad structuram inchoati operis contraderet: qui huiusmodi consilio aliquantulum sibi suspecto, adijt magistrum Petrum Cantorem, verba Episcopi ei insinuans; cui ille respondit; Non dedit tibi bonum consilium hac vice, sed vade, & fac clamari per ciuitatem sub voce præconis, quia paratus sis restituere omnibus, à quibus aliquid supra sortem accepisti. Factumque est ita. Deinde rediens ad magistrum ait; Omnibus ad me venientibus, teste conscientia, omnia restitui ablata, & adhuc supersunt plurima. Tunc ille; Modò, inquit, poteris eleëmosynam dare securè. Retulit mihi dominus Daniel Abbas Sconauiæ, quod ad consilium eiusdem Cantoris, per plateas ciuitatis nudus in suis femoralibus incesserit, seruo cũ virga se impellente, ac dicente; Ecce iste est ille, quem pro suis pecunijs principatus honorabat, qui filios nobilium obsides tenebat. APOLLON. Ex his duobus vsurarijs, plenius agnosco virtutem contritionis, quia vt considero, de cuius corde fons eius scaturit, nullus labor, nullus horror, nullus pudor, venas illius obstruere valebit. CAESARIVS: Verum dicis, quia contritio, quæ timore paruæ pœnitentiæ exsiccatur, fontem non habet vnde fluat. APOLLONIVS: Videtur mihi vsura multum esse defectiuæ naturæ, quia rarò ad tertiam, siue quartum illã durare videmus generationem. CAESARIVS: Non solum defectiuæ, sed & consumptiuæ naturæ est, quia, vt dicis, in se celerius deficit, & nonnunquam sibi admixta, siue coniuncta, cõsumit. APOLLONIVS: Da exemplum. CAESARIVS: Hæc quæ dicturus sum, à quibusdam Abbatibus ordinis nostri audiui, sed nomen non retinui loci, in quo contigit.

CAPVT

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT XXXV.

VSurarius quidam, cuidam ordinis nostri Cellerario, quandam pecuniæ suæ summam cõmisit reseruandam; quam ille signatam in loco tuto, iuxta pecuniam monasterij, reposuit. Postea cùm vsurarius depositum repeteret, Cellerarius arcam reserans, neque illam, neque suam inuenit: qui cùm vidisset arcæ seras intactas, & signacula salua sacculorum, ita vt nulla esset de furto suspitio, cognouit, quod pecunia vsurarij deuorasset pecuniam monasterij. Ex quo colligitur, quod per eleemosynam vsuræ, monasterij substantia non augeatur, sed deficiat. APOLLONIVS: Magna sunt, quæ dicta sunt de contritione, sed quæro, si is qui oculos non habet, contritionem habere possit, cùm sine oculis flere non possit. CAESARIVS: Contritio non est in lacrymis, sed in motu cordis, cuius signa lacrymæ sunt oculorum, cùm & cor lacrymas suas habeat.

CAPVT XXXVI.

Nobilis excæcati contritio.

DVx Henricus Saxo, pater Ottonis Imperatoris, tempore quodam virum quendam nobilem pro suo scelere exoculauit; Deus verò ex sua misericordia, excœcationis pœnam viro conuertens in medicinam, tantam cordi eius contulit contritionem, vt iugiter peccata commissa defleret, & pro desiderio patriæ cœlestis, semper suspiraret. Non recedebat de ecclesia beatæ Dei genetricis Mariæ in Hildesshem, orationibus, & ieiunijs vacans. Casu contigit, vt stultus quidam verbum stultum, eo audiente, proferret dicens; Qui hic oculos non habet, nec in futuro oculos habebit, quibus Deum videat: de quo verbo turbatus nimis, dum quotidie gemeret, nec verborum consolationem reciperet, à multis culpatus, respondit; Nisi

Nisi mihi ex scripturarum auctoritate probetur, consolari nõ potero. Quod ei facilè probari potuit à viris literatis, quo ũ in eadem ciuitate copia fuit. APOLLONIVS: Quomodo aũt probatur? CAESARIVS: Saluator dicit electis; Capillus de capite vestro non peribit: super quem locum dicit Augustinus; Perit caput, vbi non perit capillus? vbi non perit palpebra, perit oculus? Quasi diceret, Non: nam omnes mortui integraliter resurgent: Mali, vt in omnibus suis membris puniantur; Boni, vt in omnibus remunerentur. Hoc securè dico & credo, quod omnis homo, siue iustus sit, siue peccator, si in contritione etiã minima decesserit, Deum visurus sit. Ad quam visionem nos perducere dignetur Dominus noster Iesus Christus, splendor gloriæ, qui cũ Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per infinita sæcula sæculorum, Amen. *Lucæ 12.*

Libri secundi Finis.

CAPITA LIBRI tertij.

QVid sit confessio, qualis esse debeat, quæ eius sit virtus, quis fructus cap. primum.

De clerico, qui stupraueat vxorem militis, quem post confessionem diabolus in stabulo dixit esse iustificatum cap. 2.

De seruo alterius, qui cum vxore domini sui peccans, & in memore idem peccatum rustico confitens, à diabolo prodi non potuit cap. 3.

De sacerdote, qui pro illusione nocturna psalmum in confessione iniunctum negligens, in locu genitalibus punitus est cap. 4.

De clerico Præmonstratense, qui sine confessione cuiusdam

Universidad de Deusto Biblioteca

iusdam venialis peccati commissi ad obsessum exiens, à dæmone notatus est cap. 5.
De virgine quadam, quam dæmon in specie viri procabatur; item de viro, cui dæmon peccata fictè confessa obiecit; & de puella cuius deuirginationem prodidit cap. 6.
Exemplum de miraculis sancti Bernardi abbatis, qui incubum dæmonem à muliere fugauit cap. 7.
De filia Arnoldi sacerdotis, quam dæmon corrupit ca. 8.
De muliere in Briseke, quæ moriens confessa est, se sex annis cum dæmone incubo peccasse cap. 9.
De Ioanne Scholastico Prumiæ, qui cum dæmone fertur concubuisse cap. 10.
De Henrico ciue Susatiæ, qui à dæmone in specie mulieris raptus, & in pasculo depositus, amens affectus est cap. 11.
Exemplum de Hunis, & de Merlino, & quod in filijs incuborum sit veritas humanæ naturæ cap. 12.
De Alheide sanctimoniali in Lancvvaden, quæ per confessionem à visibili infestatione liberata est. ca. 13.
De sacerdote à diabolo per prophetiam mortis decepto, & per confessionem liberato cap. 14.
De clerico Atrebatensi eiusque sorore, quæ de incendio per confessionem liberata est, cùm argentarium interfecissent cap. 15.
De hæreticis apud Cameracum per candẽs ferrum examinatis & combustis, ex quibus vnus beneficio confessionis saluatus est cap. 16.
De decem hæreticis apud Argentinam examinatis & combustis, quorum vnus dum esset per confessionem sanatus ac liberatus, per mulierem deceptus, rediuiuo incendio damnatus est cap. 17.

De mi-

De milite, qui ob meritum confessionis coram Henrico Imperatore in duello triumphauit cap. 18.
De fure, qui Coloniæ beneficio confessionis mortem euasit cap. 19.
De fure, qui ab Episcopo Leodiensi ob versiculum psalmi 105 sententiam mortis accepit cap. 20.
De peregrinis, qui propter peccata vnius hominis in mari periclitati, eiusdem confessione sunt liberati cap. 21.
De quodam Episcopo Angliæ, qui moriens propter exemplum, noluit confiteri cap. 22.
De quodam monacho nesio, qui iam moriens primò plenariam fecit confessionem cap. 23.
De confessore, qui cum adolescente peccauit, atque post mortem ad confessionem eundem hortabatur cap. 24.
De nouitio, qui Abbati confessus est in somnis cap. 25.
De confessione cuiusdam dæmonis cap. 26.
De eo quod non sufficiat scripto confiteri, nisi in necessitate cap. 27.
Quod confitenti non liceat prodere personam peccati consortem, & exemplum de clerico & sanctimoniali cap. 28.
De clerico Susatiensi, qui confessus est sacerdoti se peccasse cum concubina sua cap. 29.
De abbate, qui persecutus est monachum, eò quod ex confessione cuiusdam intellexisset, illum scire vitia sua cap. 30.
Quod liceat in aliquo casu confitenti prodere personam alterius, & exemplum de adulterio cap. 31.
De monacho, qui sine ordinibus celebrauit, & quod ex sententia Innocentij Papæ, liceat confessori talem prodere, si noluerit confiteri cap. 32.

Narratio longa & vtilis de Simone Conuerso de Alna, eiusq; prophetijs cap. 33
De eo quod confeßio, quæ fit cum voluntate iterũ peccandi, sit inutilis, cap. 34
De confessore qui nummum proiecit in terga confitentis, & pœnitere nolentis cap. 35
De Abbate sancti Panthaleonis in Colonia, qui fratri carnali pecuniam ecclesiæ suæ tribuens, depauperauit cap. 36
De duobus mercatoribus in Colonia, quibus in confessione consultum est, ne iurarent & mentirentur, & facti sunt ditiores cap. 37
De muliere iracunda, quæ propter confeßionẽ Sancto Malachiæ factam spiritum meruit mansuetudinis cap. 38
De auaritia & luxuria sacerdotum cap. 39
De matrona, quæ pupillo à se nutrito, & in sacerdotem prouecto, peccata sua confessa est, & à illo prodita cap. 40
De matrona, quæ confessorem suum ad libidinem incitauit cap. 41
De indiscreto sacerdote, qui sibi confitentibus inungere solet pœnitentiam anni præteriti cap. 42
De plebano, qui plurimis confiteri volentibus, generalem prædicens confeßionem, omnibus eandem iniunxit pœnitentiam cap. 43
De muliere in confeßione se iustificante, cui prudens confessor ostendit plura peccata mortalia habere cap. 44
Quod confessor non debet de ignotis peccatis inuestigare, & exemplum de virgine in hoc scandalizata cap. 45
De Abbate, qui alterum Abbatem suo exemplo prouocauit ad confeßionem cap. 46
De Abbate, qui cum monachis suis in vase ex industria carnes comedens, eosdem ad confeßionem suo exemplo prouocauit cap. 47
De peccatore, qui de modica pœnitentia gradatim ascendit ad maiorem cap. 48
De Abbate Gisilberto, qui iracundis in capitulo parcens, ad satisfactionem ampliorem prouocauit cap. 49
De plebano, qui vsurarium, & homicidam, dulcibus verbis in confeßione ad satisfactionem prouexit cap. 50
De monacho Clareuallis, qui fratrum adiutus orationibus, Priori conscientiam suam reuelauit. cap. 51

Universidad de Deusto Biblioteca

DE CONFESSIONE LIBRI TERTII.

CAPVT PRIMVM.

CAESARIVS:

Contritio debet habere coniunctam confitendi propositum.

SINE desiderio confessionis, quis infructuosa est omnis contritio, videre debemus, quid sit confessio, qualis esse debeat, quæ sit eius virtus, quis fructus. APOLLONIVS: Si sine proposito confessionis informis est contritio, necessarium est scire ista, nouitijs maximè, qui mox post conuersionem suam omnia peccata, quæ commiserunt, tenentur Abbati suo confiteri, sicut sum à te edoctus, & in memetipso expertus. CAESARIVS: Confessio tantum bonum est, vt solo desiderio eius, etiamsi necessitas ipsum actum excludat, peccata dimittantur. vnde Psalmista dicit; Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino; & tu remisisti impietatem peccati mei. dixi, id est, & deliberaui. APOLLONIVS: Quid est confessio? CAESARIVS: Scire debes, triplicem esse confessionem, laudis, fidei & criminis. De confessione laudis Saluator in Euangelio dicit; Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ. De confessione fidei dicit Apostolus; Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. De confessione verò criminis ait Apostolus Iacobus; Confitemini alterutrum peccata vestra, vt saluemini. Initium enim iustitiæ, confessio est peccatorum: vnde scriptum est in libro Machabæorum; Iudas præcedet vos in bellum, id est, confessio.

Psalm. 31.

Confessio triplex.

Matth 11.

Rom. 10.

Iacob. 5.

Confessio

Confessio criminis est, per quam latens animæ morbus aperitur, spe veniæ consequendæ. Hæc multiplex esse debet, voluntaria, festina, debita, verecunda, generalis, specialis, indiuidualis, nuda, integra, discreta, accusatoria, amara, solicita, meticulosa, vera, æstimatiua, hilaris, propria, pluralis, frequens. Breuiter ista transcurro, nec ad plenum, studio breuitatis, elucido, quia ad exempla festino. APOLLONIVS: Habetne auctoritatem confessio à veteri testamento? CAESARIVS: Confessio sacramentum esse dicitur veteris testamenti, figuris manifestis in illo declarata, verbis mandata, & exemplis confirmata. Leprosus, ad arbitrium sacerdotis mundus vel immundus iudicatur. Vnde Saluator cuidam leproso à se sanato dixit; Vade ostende te sacerdoti. In quatuor verbis huius clausulæ, quatuor dicuntur mihi esse consideranda, quæ maximè in confessione sunt obseruanda, videlicet, vt sit festina, vt sit nuda, vt sit integra, vt sit debita, id est, vt fiat proprio pastori. Ac si dicat Dominus: Vade, vt confessio tua sit cita vel festina; ostende, vt sit nuda; te, vt sit integra; sacerdoti, vt sit debita. Quem gratia Iesu mundat intus per contritionem, vt foris mundus iudicetur, ostendere se debet sacerdoti per confessionem. Vnde sponsus voce confessoris in Canticis Canticorum loquitur ad contritum peccatorem; Ostende mihi faciem tuam, per cordis contritionem, sonet vox tua in auribus meis, per oris confessionem. Quid manifestius hac figura? Quod verbis mandata sit, testis est Propheta Dauid, qui dicit; Confitemini Domino, quoniam bonus. Item; Reuela Domino viam tuam, subaudi per confessionem. Et in Isaia secundum Septuaginta; Dic tu iniquitates tuas vt iustificeris. Quod autem exemplis sit cõfirmata, exemplum nobis est ipse Dauid, qui super peccato

Confessio peccati quid, & qualis.

Leuit. 13. 14.

Matth. 8.

Cant. 2.

Psal 104.

Psal. 36.

Isai. 43.

2. Reg. 12.

Universidad de Deusto Biblioteca

Bersabęæ, venienti ad se Nathan respondit dicens, Peccaui Domino. APOLLONIVS: Miror vtrum maior sit virtus in contritione, siue in confessione. CAESARIVS: Non nisi per contritionem peccatori culpa dimittitur, & hoc sub quadam conditione, scilicet vt confessio subsequatur: quod si necessitas illam excluserit, defectum illum summus sacerdos supplebit. Est tamen confessio signũ contritionis, cuius virtutem & fructũ, magis tibi exemplis, quàm scripturarum testimonijs ostendere proposui.

CAPVT II.

Virtus confessionis.

MIles quidam in villa quadam habitauit, cuius vxorem eiusdem villæ sacerdos per adulteriũ maculauit: dictũ est militi, quia sacerdos rem haberet cum vxore sua. Ille, cùm vir prudens esset, nec verbis facilè crederet, nullã de hoc facere mentionem voluit vxori, siue sacerdoti, veritatem verius volens experiri, non tamen sine suspicione fuit. Contigit vt in quadam villa, nõ multum à militis villa remota, quidam obsessus esset, in quo dæmonium tam nequam erat, vt coram astantibus improperaret peccata, quæ per confessionem veram non fuissent tecta. Quod cùm miles ex multorum didicisset relatione, rogauit suspectum sibi sacerdotem, vt ad colloquium quoddam secum ire non recusaret. Et acquieuit sacerdos. Cùm venissent simul in villam, vbi erat obsessus, conscius ipse sibi sacerdos. suspectum cœpit habere militem, quia non latebat eum, quod obsessus à tam nequam dęmone in eadem villa habitaret, timensq; vitæ suæ, si à dęmone proderetur, necessitatem naturæ simulans, intrauit stabulum ad seruum militis, pedibusq; eius prostratus, ait; Rogo te propter Deum, vt audias cõfessionem meã. Quem seruus expauescens, leuauit, audiens, quæ ab illo dicebantur. Facta verò cõfessione, cùm sibi sacerdos iniungi peteret pœnitentiam, seruus satis prudenter respondit illi dicens; quantum alteri sacerdoti pro tali crimine iniungeretis, hoc sit satisfactio vestra, sicq; exiens iam securior, cùm milite ad ecclesiam venit, in qua dæmoniosum offendentes, requisitus est à milite in hæc verba: Nosti aliquid de me? Hoc enim ex industria factum est, vt iam dicto sacerdoti tolleret suspicionem. Cui cùm dæmon nescio quid respõderet, adiecit; Quid tibi videtur de isto domino? respõdit ille; Nihil de eo scio. Et cùm hoc dixisset lingua teuthonica, mox latinè subiunxit: In stabulo iustificatus est: Nullus tunc aderat clericorum. APOLLONIVS: Satis puto, quod nõ sponte sua illa hora latinista factus sit diabolus. CAESARIVS: Non est permissus loqui teuthonicè, ne miles verbum, & ex verbo factum intelligeret, nec tamen tacere licuit, vt virtutem confessionis sacerdoti ostẽderet. APOLLONIVS: Magna est virtus confessionis, quæ & crimen adulterij à memoria diaboli deleuit, & hominem ab imminenti periculo liberauit. CAESARIVS: Audi & fructũ huius cõfessionis. Sacerdos non immemor collati sibi beneficij, seculum deseruit, & in quodam cęnobio ordinis nostri monachũ se fecit: adhuc viuere putatur, sicut didici à quodam Abbate ordinis Cisterciensis. APOLLONIVS: Prophetia huius proterui dæmonis, causa ei extitit magnæ salutis. CAESARIVS: Narrauit mihi & aliud penè simile huic.

CAPVT III.

Simile exemplum.

CViusdam militis vxor, proprium seruum admiserat, libidinis igne succensa: cum quo per tẽpus aliquod occultè peccasset, nec iam latere posset, ad aures mariti peruenit. Ille verò de verbo dolens, nec tamen verbis ad plenũ credens, tacuit,

tacuit, sciens, se inuestigante, rem tam nephariam diu non posse occultari. Et quia vir erat dives & honestus, vxorisq; famam inops & inhonesta, maluit rem inexpertam per silentium ad tempus tegere, quàm se, & vxorem, genusq; tam suum, quàm illius, per suspitiones dehonestare. Interim vbiq; diuulgatum est, in tali villa obsessum quendam esse, nescio tamen si idem fuerit, de quo superius dictum est, qui nemini parceret, sed præsentibus peccata occulta objiceret, & improperaret. Quod cùm audisset miles, spetans illum rei veritatem discere, assumpto secum seruo, cæpit illo pergere, viæ causam seruo penitus ignorante. Venientibus eis ad nemus quoddam, cùm dominus declinaret in semitam quendam, quæ ad dæmoniaci tendebat villam, cœpit seruus valdè pauere, sciens pro certo, se vltra viuere non posse, si crimen adulterij proderetur à dæmone. Positus in tanto timore, dum in cogitationibus suis fluctuaret, hominem in eodem nemore ligna incidentem audiuit; immisitq; Dominus menti eius, quem eadem hora satis diligenter inuocauerat, quod cõtra imminens periculum; confessio summum foret remedium. Et diuertens à domino, quasi ad satisfaciendum naturæ, venit ad rusticum, confessus est peccatum, suscepit pœnitentiam. Statim reuersus ad militem, de tali opere nihil suspicantem, simul venerunt ad dæmonem: qui cùm seruum adulterum, imò de adulterio iam iustificatum, diligentius intuitus fuisset, ait militi: Dic si aliquid nosti de illo. Respondit dæmon; Multa de eo noui, quæ nunc ignoro. Sicque per virtutem confessionis liberatus est seruus à morte, & dominus à suspicione. Vides quantum valeat vera confessio? APPOLLONIVS: Quæ vera confessio? CAESARIVS: In qua firmum propositum est satisfaciendi. APOLLONIVS: Quid si ipsa satis-

satisfactio ininncta negligitur? CAESARIVS: Si ipsa negligentia non fuerit ex infirmitate, siue ex necessitate, sed iniuncta pœnitentia, vt sæpe contingit, paruipenditur & contemnitur, peccatum iam dimissum reuertitur: etiamsi peccatum fuerit veniale, & pœnitentia per obliuionem negligatur, non dico quod pœna illius peccati per illam obliuionem deleatur.

CAPVT IIII.

Satisfactio iniuncta in Confessione non negligenda.

SAcerdos quidam in domo nostra, sicut ab eius ore audiui, die quadam confessionem fecit de illusione nocturna; iniunctus est ei psalmus vnus pro satisfactione; quem cùm per obliuionem negligeret, eadem die, circa loca genitalia tantum cœpit pruritum & ardorem sentire, ac si carni eius ardentes vrticæ essent appositæ: qui quidem territus, cùm tactu exploraret quid esset, & nihil ibidem inueniret, recordatus est psalmi iuiuncti & neglecti, imputansq; immissam pœnam eidem trangressioni, psalmum dixit, & dolor conquieuit. Confitens fugere debet obliuionem. Audi aliquid exemplum.

CAPVT V.

CAnonicus quidam in Steyuuelt ordinis Præmonstratensis, sicut mihi retulit canonicus quidam Monasteriensis, valde laudabilis vitæ fuit, quem quasi ad fugandum dæmonem de obsesso, Prior ad ostium monasterij secũ eduxit. Quo visio, mox diabolus per os hominis clamauit; Ego quædam de eo scio, propter quæ eum non timeo. Non tamẽ permissus est eadem publicare, eò quod minima essent, ne viro sancto verecundiam inferret. Ille verbum intelligens, remordente conscientia intrauit, culpam confessus redijt, & si dæmõ adhuc aliquid sciret inquisiuit; Respondit dæmon;

Universidad de Deusto Biblioteca

Adhuc aliqua culpæ vestigia apparent in te, eò quod non sit subsecutus stimulus, plagam virgarũ intelligens. Iterum intrauit iuuenis, iniunctam accepit disciplinam, reuersusque, si sciret aliquid interrogauit; Respondente diabolo, per iudicium meum nil modò noui de te, satis ædificati sunt fratres. APOLLONIVS: Non modicũ me turbat, quod inimicus in sancto viro post confessionem factam, aliquod deprehẽdere potuit signum peccati. CAESARIVS: Deus permisit ad eius bonum. Quanto quis perfectior, tanto pro sua culpa delenda esse debet solicitior. Disciplinam iniunctam, quã mox accipere potuit, maximè contra diabolum pugnaturus, differre non debuit. Nam in supradictis duobus, sacerdote scilicet & seruo militis, quorũ confessio neque debita fuit, neque aliqua adhuc exterior pœnitentia subsecuta, diabolus nulla peccati vestigia deprehẽdere potuit. APOLLONIVS: Placet quod dicis, quia necessitas fuit in causa. Sed nosse vellem differentiam inter veram falsamque confessionem. CAESARIVS: Quanti ponderis confessio sit vera, & quàm inefficax confessio sit ficta, per subiecta dinosces exempla.

CAPVT VI.

Dæmonis virginũ tentationis nequitia.

TEmpore illo, quo Scholasticus Coloniensis Oliuerus crucem prædicauit in partibus Brabantiæ, sicut mihi narrauit Bernardus monachus noster, tunc eius collega in prædicatione, fuit ibi puella quædam religiosa, & voto virginitatis gloriosa, orta de Niuella. Inuidens diabolus tantæ virtuti, in specie viri admodum pulchri, satisque decenter vestiri apparens virgini, cepit illam verbis amatorijs solicitare, clenodia offerre, laudare coniugij fœcunditatem, virginitatis vituperare sterilitatem. Cui virgo, nesciens quis esset, respondit; Virum ducere non propono, Christi amori nuptias

nuptias carnales postpono, & contemno. Cumque lasciuus spiritus nimis esset ei importunus, in diuersis locis ad illam veniens, sciens puella multas esse virgines se pulchriores, nobiliores, atque ditiores, cœpit amatorem fantasticum habere suspectum, ita vt ei diceret; Bone domine, quis, vel vnde estis, quod tanto mihi desiderio copulari affectatis? Cumque ille inuitus se proderet, & virgo tanto propensius instaret, tandem dæmon necessitate compulsus, confessus est dicens; Ego sum diabolus. Ad quod verbum illa expauescens, respondit; Vt quid ergo exigis carnale coniugiũ, quod naturæ tuæ dinoscitur esse cõtrarium? At ille, Tu tantum mihi consenti, nihil aliud à te nisi copulæ cõsensum requiro. Ad quod puella respõdit; Modò omninò tibi contradico, fugans illũ sanctæ crucis signaculo: venienque ad sacerdotẽ, reuelauit illi dæmonis insidias; à quo satis edocta ne maligno cõsentiret, reuersa est in domũ suam. Dæmon verò post confessionẽ eam omnem non deserens, de remoto tamen alloquens, in tantũ illam vexauit, vt quaslibet immunditias in eius scutellam mitteret cùm manducaret; vnde & mulierum custodiæ ei adhibitę sunt. In quacunque domo illa fuit, illic dæmon reponsa dedit: ab omnibus quidem audiebatur, sed à sola puella videbatur, eratq; tam nequam idem spiritus, vt præsentium peccata detegeret, crimina improperaret, nec aliquod peccatum eum lateret, nisi quod vera confessio tegeret. Ostendit & alia signa nequitiæ suæ. Stercora, olasque confractas fimo plenas, super confluentes spargebat. Dixerunt ei quidam: Nosti ô diabole dominicam orationem? respondende illo, Optimè scio, rogatus illam dicere, ait, Pater noster qui es in cęlis, nomen tuum, fiat voluntas & in terra, panem nostrum quotidianes da nobis hodie, sed libera

Peccata per verum confessionẽ expiata, dæmõ non cognoscit.

Universidad de Deusto Biblioteca

libera nos à malo. Et cum plures in eadem oratione fecisset saltus atq; barbarismos, cachinnando subiunxit: Ecce, sic vos laici dicere soletis orationem vestram. Requisitus etiam de symbolo, dixit se bene, & optimè scire, sic incipiens: Credo Deum patrem omnipotentem. Cui cùm quidam dicerent, Dicere debes, Credo in Deum; illeq; subiungeret, Crede Deo, viri literati, qui tunc erant præsentes, diaboli verbum notantes, & vim accusatiui intelligentes, institerunt vt diceret, Credo in Deum; & non poterãt eum ad hoc inducere. APOLLON. Vellem & ego scire, quid sit Credere in Deum. CAESARIVS: Credere in Deum, est per dilectionem ire in Deum. Vnde Saluator ait; Omnis qui viuit, & credit in me, habet vitam æternam. Dæmon, sicut dicit Apostolus Iacobus, credit & cõtremiscit, sed non diligit. Credit Deum esse, credit verba eius vera esse, sed non credit in eum, quia nõ diligit eum. Salutationem verò angelicam idem dæmon incipere non potuit, cùm tamen se illã scire profiteretur. APOLLONIVS: Cùm dignior sit oratio Dominica salutatione Angelica, miror cur permissus sit dicere illam, & non istã. CAESARIVS: Voluit hoc fieri Dominus, tum propter honorem matris, tum propter eminentiã sacramenti suę incarnationis. Quãtę virtutis sit eadem salutatio, per quam initiata est humani generis redemptio, ex sequẽtibus plenius agnosces. Interrogatus idem dæmon, cur ita raucã haberet vocem. Respondit, Quia semper ardeo. Dibat eadem puella: quotiẽs veniebat ad me, cauit ne eum videre possem à dorso. APOLLONIVS: Miror quare hoc fecerit? CAESARIVS: Dæmones, sicut intellexi ex alia quadam visione, posteriora non habent. Vndique quidam dæmon puellæ cuidam apparens frequẽtius, cùm ab ea diuertens semper retrocederet, interrogotus cur hoc faceret, respondit;

Tom 11. Iacob. 2.

Licet

Licet corpora humana nobis assumamus, dorsa tamen nõ habemus. APOLLON. Expecto exemplum, per quod fictę verę q; confessionis differentiam cognoscam. CAESARIVS: Hoc in promptu est. Fuit in vicino vir quidam, qui supra dictum dæmonem audire nimis desiderans, propter turpia quædam, quæ commiserat peccata, appropinquare non audebat, timens sibi illa coram omnibus improperari: & veniens ad sacerdotem, confessus est vniuersa, voluntate tamen peccandi retenta: factusque ex eadem confessione securior, ad domũ venit. Mira res; mox vt limen attigit, & introspexit, dæmon in aëre clamauit; Amice veni huc, veni, certe te bene dealbasti. Et statim coram omnibus, omnia eius peccata turpia, licet confessa, prodidit, in tantum illũ confundens, vt eadem hora esse voluisset in ortu solis. Tristis effectus, & conscientia accusante in se reuersus, ad sacerdotem redijt, quæ gesta sunt retulit, confessionem iterauit, & quia de reliquo emendatius viuere vellet, de corde pollicitus est Deo & sacerdoti. Tunc sacerdos, modò, inquit, reuertere securus, non te confundet amplius. Et fecit sic: Intrante eo domum, quidam ex circumsidentibus dæmoni dixerũt; Ecce amicus tuus iterum venit: quibus ipse respondit; quis est? Illę inquiunt, cui paulò ante tam turpia peccata improperasti. Respondit dæmõ; Ego nihil ipsi improperaui, neq; aliquid de eo noui mali. Et æstimarunt dæmonem mentitũ fuisse, hi qui hominis ignorauerunt confessionem, sicque per virtutem confessionis, ipse euasit notam maximæ confusionis. In eadem domo matrona quædam cum cæteris sedebat, filiam iuuenculam, sicut mos est matribus, sub pallio tenens, quæ cũm dæmonẽ, nescio in quo prouocasset, clamauit ipse; Putas filiã tuam sub tuo mantello sedentem virginẽ esse? væ tibi, male eã custodisti. Dicẽte muliere, menti-

Confessionis ficta & vera affectus.

Universidad de Deusto Biblioteca

mentiris;respondit ille. Nequaquam mentior,si non credis,interroga Petronillam, illa bene dicet tibi veritatem: erat enim eadem Petronilla mulier quædam stupri puellę conscia. His verbis auditis, mater filiam à se repulit cum indignatione dicens; Recede à me immunda,nũquam tibi aliquid boni cõtinget ex parte mea. Illa bene sibi conscia,simulatis lacrymis egressa est eiulans,dęmonem mentitum fuisse affirmans,inspirataq; à Deo ad vicinum cucurrit sacerdotem, commissum peccatum confessa est,& quia nunquam de cætero carnem suam illicitè coinquinaret,promisit. Tunc à sacerdote suasa, & quid dicere deberet diligenter edocta, reuersa est ad matrem,quę nondum recesserat à loco, dixitq; illi: Verè mater multum peccastis, sine causa me tam grauiter confundendo, & tam immiseri-
Iobii. 8. corditer repellendo,propter verba dæmonis huius,qui totus mendax est,& pater eius. Cœpitq; lacrymari. Commota mater, tam verbis,quàm lacrymis filię,dixit ad dæmonẽ;Dic inique, vt quid tale crimen imposuisti filiæ meę? Respondit ille: Quid enim mali locutus sum de filia tua: bona est, & munda, nihil de ea mali noui,vel dixi. Sicque puella, sicut vir supradictus, per beneficium confessionis liberata à suspicione fornicationis, ad matris gratiam reducta est. APOLLONIVS:Quid est quod diabolus stuprum ante confessionem nouit, & Petronillam stupri consciam nominauit, virum verò stupri auctorem non expressit? CAESARIVS: Satis puto de peccato illum egisse pœnitentiam, per quam diabolo culpæ subtraxerat notitiam. APOLLONIVS: Placet quod dicis, sed recordor adhuc supradictæ virginis de Niuella,& non desino mirari, quod dæmon, cùm spiritus sit, copulam carnalẽ contra suam naturam cõcupiscat,& requirat.CAESARIVS:Non mirum quod

quod dæmones fœminas procantur, sed quod illis cõmiscentur mirabile est valdè. APOLLONIVS: Meministi hoc vnquã contigisse?CAESARIVS: Et memini,& legi,& vt fœminę cautę reddantur,quę fortè hæc,quę dicturus sum legent,vel audient,diuersa,quæ nostris contigerunt temporibus, exempla replicabo;quæ vt maiorem firmitatem habeãt, prius vnum,quod in miraculis sancti Bernardi legitur,breuiter præmittam. *Lic.2.vitæ S.Bern.ca.6.*

CAPVT VII.

De incubis.

MVlier quædam in regione Nanneti à quodam petulante dęmone sex annis, habito eius consensu,incredibili libidine vexata est:apparuerat ei in specie pulchri militis, & sæpè abutebatur ea inuisibiliter, marito eius in eodem lecto cubante,lasciuus ille spiritus. Quæ anno septimo timore correpta, veniente in prædictam ciuitatem sancto Bernardo Claræuallis Abbate, misera mulier ad pedes eius corruit, passionem horribilem,& ludificationem diabolicam multis cum lacrymis confessa, succurri sibi flagitauit. A quo consolata, & quid facere deberet edocta, post confessionem diabolus ad illam accedere non potuit,sed tamen eam verbis terruit, & quia post Abbatis decessum ad eius supplicia reuerteretur acerrimè minabatur; ita vt qui fuerat amator,crudelissimus fieret persecutor. Hæc cùm sancto indicasset,proxima die dominica, cum duobus Episcopis,accensis candelis; cum omnium fidelium, qui erant in ecclesia subscriptione, anathematisauit fornicatorem spiritum autoritate Christi, tam ad illam, quàm ad omnes alias mulieres, ei deinceps interdicens accessum. Extinctis verò illis sacramentalibus luminaribus, tota virtus dęmonis extincta est,& mulier post generalem confessionem peccatorum suorum communicans, plenè

plenè liberata est. Hæc nostris temporibus contigerunt. APOLLONIVS: Stupenda sunt ista. CAESARIVS: Audi adhuc alia exempla, his penè simillima, multo tamen recentiora.

CAPVT VIII.

BOnnæ in parœcia sancti Remigij, ante paucos annos sacerdos quidam fuit, Arnoldus nomine, filiam habens speciosam, quam nimis diligens, quia pulchra erat, propter iuuenes, & maximè canonicos Bonnenses, ei custodiam tantam adhibuit, vt quotiens de domo exiret, in solario domus illam clauderet. Die quadam apparens ei diabolus in specie viri, cœpit animũ eius in amorem suũ, intus suggestione latenti, foris locutione blandienti, inclinare. Quid plura? Persuasa misera, & corrupta, sæpius postea dæmoni ad suã pernitiem, consensit. Vna dierum sacerdos solarium ascendẽs, filiam gementem flentemq; inuenit; à qua causam doloris vix extorquere potuit. Confessa est patri, quod delusa esset à dæmone & oppressa, ideoque se meritò dolere, quæ etiam ita dementata est, & alienata à sensu, tum ex dolore, tum ex diabolica operatione, vt vermiculos, quos de sinu colligebat, in os mitteret & masticaret. Tristis effectus pater, misit illam transflumen Rhenum, sperans eam ex mutatione aëris aliquid posse meliorari, & ob fluminis interpositionem, ab incubo dæmone liberari. Transmissa puella, apparuit dæmon sacerdoti, apertis ei vocibus dicens; Male sacerdos, quare abstulisti mihi vxorem meam? malo tuo hoc fecisti. Et mox trusit eum in pectore tam validè, vt sanguinem vomens, tertia die moreretur. Huius rei testis est Abbas noster, testis etiam Gerardus monachus noster, aliquando Bonnensis scholasticus, quibus res bene innotuit.

CAPVT

CAPVT IX.

IN villa Briseke, quæ vicina est castro Rinecke, sicut mihi narrauit Arnoldus monachus noster, qui tunc temporis rem gestam intellexit, ante hos annos duodecim mulier quædam fuit, quam dæmon quidam, eo quo prædictum est modo, corrupit. Sedente ea die quadã in taberna, cordis cępit defectum sentire; timensque adesse mortem, vocari sibi celerius petiuit sacerdotem. Cui cùm dæmonis ludificationem, & horrẽdam illam, qua septem annis laborauerat, dixisset cõmixtionem, lingua deficiente, in ipsa confessione spiritum efflauit: quę cùm incredibili libidine à libidinis autore vexaretur; nunquam alicui dicere voluit, vel potius ausa non fuit, vel, quod credibilius est, in illius amore delectabatur. APOLLONIVS: Si dæmones talia, cùm eis permissum fuerit, facere possunt, valdè cauendum est fœminis, ne eis occasionem præbeant, vel aliquo consensu posse tribuant. CAESARIVS: Non solum in his cauendum mulieribus, sed & viris, quia sicut dæmones per formas virorum, vt dictum est, fœminas ludificant & corrumpunt, ita per species fœminarum, viros seducunt & decipiunt. Lege Vitas patrum, & inuenies ibi quosdam viros perfectos, per fantasmata mulierum delusos, confractos, & deiectos. Dicam tibi & aliqua exempla, quibus cognosces viros à dæmonibus in specie mulierum ludificatos.

CAPVT X.

PRumiæ Scholasticus quidam fuit, Ioannes nomine, vir quidem literatus, sed leuis & lubricus. Isti, sicut de eo dicebatur, & sicut ab Abbate eiusdem monasterij audiui, fœmina quædam promiserat, quod tali nocte ad eum veniret. Nocte condicta, illa quidem non venit, sed in eius specie, *De Dæmonibus succubis.*

Universidad de Deusto Biblioteca

consimiliq̃ voce diabolus clerici lectũ ascendit: quem putans fœminam benè sibi notam esse, cognouit eum. Manè surgens, cùm dæmonem, quem fœminam esse putauit, egredi compelleret; respondit ille; Cum quo putas te hac nocte iacuisse? cumque ille diceret, Cum tali fœmina. Respondit dæmon, Nequaquam, sed cum diabolo. Ad quod verbum Ioannes, sicut mirabilis fuit, ita mirabile verbum, quod dicere verecundor, respondit, diabolum irridens, & de opere nil curans.

CAPVT XI.

IN ciuitate Susatia ciuis quidam erat Henricus nomine, cognomẽto Gemma; huius officij fuit vinum in tabernis vendere: habebat autem tabernam aliquantulum à domo sua remotam. Qui cùm nocte quadam, secundum cõsuetudinem, tardè de taberna rediens, & pecuniam de vino collectam secum portans, domum festinaret, vidit quandam speciem muliebrẽ, in alba veste & linea stantem in loco quodam, vbi ciues solent placitare. Nihil mali de ea suspicans, cùm ad locum venisset, illa per vestem hominem traxit, & ait; O amice, diu te hic expectaui, amare me debes. Ille vestem de manu eius excutiente & dicente, sine me ire, luxuriẽ tuẽ non consentiam, sed vadam ad vxorem meam. Illa fortiter institit, ad commixtionem eum inuitans. Quæ cùm verbis non proficeret, inter brachia sua virum tollens, & multum comprimens, in aêra leuauit, atque vltra monasteriũ sancti Patrocli, quod satis altum est, illum trãsferens, in pasculo deposuit. Qui dimissus, extra mentem factus, cùm post horam resumptis viribus respirasset, surrexit, & ad domum suam claustro vicinam, manibus pedibusq; reptando, cum labore veniens, ad ostium pulsauit. Surgente familia, vt lumen accenderent, clamauit ille; Nolite lumen accendere, non

non enim mihi expedit illud videre. Et reclinauerunt eum in lectulo suo, quia debilis erat valdè, tam in sensu, quàm in corpore. Tribus noctibus cõtinuè intempesta nocte, idem dæmonium pulsauit ad ostium, Henrico clamitante; Scio quia propter me venit; scio quia propter me pulsat. Postea superuixit annum, debilis & infatuatus. Hæc mihi retulit monachus noster Theodericus Susatiensis, dicens celebre esse valdè in eadem ciuitate, cuius frater adhuc viuit in ecclesia sancti Patrocli canonicus. APOLLONIVS: Si dæmones hominibus in assumptis corporibus commiscentur, sicut diuersis iam exemplis ostensum est, miror si de fœminis possent generare, siue de viris concipere & parere. CAESARIVS: De hac quæstione soluenda, nihil noui scio, sed quod in antiquis historijs legi, hoc replicabo:

CAPVT XII.

DVm gens Gothorum ex Asia migraret in Europam, sicut in gestis legitur, haberetq; mulieres deformes in suo comitatu, eiecit illas; timens ne liberos nimis deformes gigneret, sicque nobilitatẽ Gothorum deformaret. Quæ de castris extrusæ, cùm errarent in nemore, accesserũt ad illas incubi dæmones, genueruntq; ex eis filios & filias, ex quibus processit fortissima gens Hunorum. Legitur etiam Merlinus propheta Britannorum ex incubo dæmone, & sanctimoniali fœmina generatus. Nam & reges, qui vsque hodie regnant in eadẽ Britannia, quæ nunc Anglia dicitur, de matre fantastica descendisse referuntur. Merlinus verò homo rationalis & Christianus fuit, multa futura prædixit; quæ quotidie implentur. APOLLONIVS: Si homines ex vtriusque parentis semine concipiuntur tantũ & nascuntur, quomodo dicendi sunt homines, qui partim ex homine, partim ex

Universidad de Deusto Biblioteca

dæmone, carnis suæ trahunt originem? Nunquid resurgit in iudicio, quod non est de veritate humanæ naturæ? CAESARIVS: Dicam tibi, quod audiui à quodam literato vero de hac quęstione; ait enim; Crementum humanum, quod cõtra naturam funditur, dæmones colligunt, & ex eo sibi corpora, in quibus tangi, videriq́ue ab hominibus possint, assumunt, de masculino verò masculina, de fœmininо fœminina: sicq́ue dicunt magistri in his, qui de eis nascuntur, veritatem esse humanæ naturæ, eosq́ue in iudicio, vt verè homines resurgere. Hæc de his sufficiant: nunc reuertamur ad cõfessionem, de qua occasione interrogationis tuæ, aliquantulum digressum est, exempli causa.

CAPVT XIII.

Confessionis generalis virtus.

BOnnę ciuitate diœcesis Coloniensis, sacerdos quidam fuit nomine Petrus, eiusdem ecclesiæ vicarius: iste, nescio quo Dei iudicio, in cameræ suæ ostio se suspendit, cuius concubina, Alheydis nomine, tam horrenda eius morte territa, seculum deseruit, & in cœnobio quodam sanctimonialium, quod Lancvvade dicitur, religionis habitũ suscepit. Die quadam, cùm stans in dormitorio, de fenestra prospiceret, & cõtemplata esset iuuenem, imò de iuuene dæmonem, stantem iuxtà puteum muro dormitorij contiguum; qui ea videnre vnum pedem super lignum, quo ambiebatur puteus, posuit, & altero se quasi volitando, ad ipsam in fenestram deposuit: quam cùm extensa manu per caput rapere conaretur, territa retrorsum cecidit & clamauit, penè exanimis facta. Audito eius clamore, accurrêre sorores, in lectulum suum illam reclinantes. Recedentibus illis, cùm paululum respirasset, solaq́ue iaceret, dęmon iterum adfuit, & verbis quibusdam amatorijs eam solicitare cœpit: quę cùm contradiceret, intelligens spiritum eum esse mali-

malignum; respondit ille; Bona Alheydis, noli sic dicere, consenti mihi, & ego te habere faciam virũ honestum, probum, nobilem, diuitemq́ue: quare fame te crutias in hoc loco paupere, vigilijs, alijsq́ue multis incommodis ante tempus te interficiendo? Reuertere ad seculum, & vtere delitijs, quas Deus homini creauit, nihil tibi, me duce, deesse poterit. Tunc illa; Doleo quod tam diu te secutasum, recede, quia non acquiescam tibi. Post hæc verba dæmon nasum emungens, contra eam ipsam immunditiam ad parietem lecti tam fortiter proiecit, vt pars aliqua resiliens, vestimẽto eius adhęreret, sicq́ue disparuit; eratq́ue emunctio ipsa sicut pix nigerrima, & tanti fœtoris, vt tolerari nõ posset. Deinde cùm spiritus ille nequissimus die noctuq́ue esset ei infestissimus, suaserunt quædam ex sororibus, vt aquam benedictam semper paratam haberet, qua venientem aspergeret: aliæ verò, vt eundem, si aquam non timeret, thurificaret. Omnia quidem hæc tentauit, sed modicum ei profuit. Nam quotiens contra se signum crucis factũ vidit, aspersionem etiam, siue thurificationem, ad modicum quidem cessit, sed statim redijt. Tunc vna cæteris sororibus ætate maturior atque prudentior, suasit ei, quatenus dæmonẽ propius accedere sineret, & tunc alta voce salutationẽ angelicam in eius faciem iacularet. Quod cùm fecisset, diabolus, ac si sagitta esset percussus, vel turbine impulsus, aufugit, nec vnquam propius ei ex illa hora accedere præsumpsit. APOLLONIVS: Deinceps non mirabor, quod diabolus Angelicam salutationem dicere, vel incipere non potuit, sicut te dixisse recolo superius cap. vj. CAESARIVS: Huius loci ibidem recordatus sum. Sanctimonialis verò tali iaculo munita, dæmonem ab illa hora vidit sine terrore & audiuit sine timore. Die quadam de his loquen-

Virtus Angelicæ Salutationis.

Universidad de Deusto Biblioteca

cum viro quodã religioso, suasit ei ille dicens: Fac Priori tuo confessionem generalem purè, plenè, ac deuotè, in quantũ occurrit memorię, & liberaberis omninò à dęmonis huius infestatione. Cui cùm consiliũ tale placuisset, mox accedens ad Priorem, rogauit sibi prę figi locum, & horam audiendę confessionis. Mane, dictis Matutinis, illa se præparans, festinauit ad locũ præfixum, capellam scilicet monasterio adhærentem, vbi Prior expectabat. Et ecce, dęmon occurrens in via festinanti, dixit: Alheydis, quò vadis, quò propera? Et illa; Vado confundere me & te. Tunc dæmon O Alheydis noli, noli, reuertere, reuertere. Respondit illa: sæpius cõfudisti me, ego modò confundam te, non reuertar. quam cùm non posset blanditijs, siue minis retrahere, sequebatur eam vsq; ad locum confessionis, sicut miluus in aëre super ipsam volitans. Quæ mox vt genua coram Priore flectens ad confessionem os aperuit, ille clamãs & eiulans euanuit, nec vnquam ab illa hora ab ea visus, vel auditus est. Ecce hic habes manifestum exemplum, quantæ virtutis sit confessio pura. Hæc mihi relata sunt à domino Hermanno Abbate loci sanctæ Mariæ, qui cùm talia, fama diuulgante, cognouisset de præfata fœmina, sibi optimè nota, cùm esset Bonnæ canonicus, ad locum per se ipsum accessit, & eo ordine, quo dicta sunt, ab illius ore cuncta audiuit. APOLLONIVS: Si confessio tanti ponderis nõ esset, nequaquam dęmones tam grauiter turbaret. CAESARIVS: Occurrit aliud exemplum, in quo satis agnosces, quàm grauissimè exacerbentur, cùm peccata nostra confitemur. Hæc quæ dicturus sum, post conuersionem meam facta sunt, & à domino Carolo mihi relata aliquando Priore nostro, tunc Abbate Vilariense: nomen personę ac loci satis doleo me non retinuisse. Ait enim sic:

CAPVT

CAPVT XIV.

Diaboli mira fraus, cõfessione tandem victa.

ERat quidam sacerdos, & adhuc est, admodum religiosus, & ob vitæ meritum multis dilectus, in partibus nostris parœciam regens. Inuidens gratiæ eius mille artifex diabolus, nolebat eum apertis tentationibus molestare, sperans illũ specie boni ad suum consilium efficacius inclinare. In angelum lucis se transfigurans minister ille tenebrarũ, ostendit se sacerdoti, & ait: Amice Dei, missus sum ad te, præpara te, quia hoc anno morieris: Sacerdos verò, nullam habens de angelo malo suspicionem, sed ita credens esse futurum, vt Prædixerat, cœpit se diligenter quasi ad mortem præparare, conscientiam per confessionem mundare, corpus ieiunijs, vigilijs, assiduisque orationibus castigare, annonam suam cum supellectili egentibus erogare. Cumque multi ab eo quærerent, cur tam indiscretè sua distraheret, vni illorum sub typo confessionis causam aperuit, dicens; Angelus Domini reuelauit mihi, quod hoc anno moriturus sum. Ille verò, cùm hoc minimè posset celare, alteri cuidam sibi familiari dixit, sicq; per eum ad notitiã totius parœcię peruenit. Anno cõpleto, sacerdos non est mortuus, & inuentus est falsus propheta diabolus. Et quia electis omnia cooperantur in bonum; in eo, in quo vir sanctus videbatur à diabolo deceptus, est promotus: nimis enim de tam dolosa circumuentione erubescens, propter homines, ad quos verbum peruenerat, nec habens vnde viueret, sæculũ cum parœcia deseruit, & in quadã domo ordinis nostri, cuius nomen excidit, se conuertit. Facto eo nouitio, iterum diabolus adfuit, & huiusmodi verbis prędictũ dolum palliauit; Ne turberis, inquit, homo quod mortuus nõ es, vt prędixi, quia Deus sua prouidentia vitam tuã distulit ad multorum ędificationem: *Roman. 8.*

Universidad de Deusto Biblioteca

missus sum ab illo vt tibi assistam, instruam, & custodiam. Et credidit ei ille. Circa quem diabolus frequenter versabatur, & semper, sicut postea notauit ad ea quæ ad commodum sunt eum hortabatur. Cùm eum feruor quandoque impelleret amplius orare, vigilare, siue manibus laborare, arguit eum dicens; Discretio mater virtutum est; diu adhuc poteris viuere, & ideo tibi debes parcere, vt possis Deo diu seruire. Quando lapidem leuare volebat maiorem, iterum dicebat; Nimis est magnus, leua istum. Cùm factus esset monachus, ait; Roga Priorem, vt concedat tibi ire ad singulares labores, quatenus liberius vti possis colloquio meo, & ego tuo: & licentiauit ei Prior, vt causam cognouit. Nocte quadã, volens diabolus dolum diu protractum perducere ad effectum, intempesta nocte ad lectum monachi accessit, excitans eum & dicẽs; Surge, Dominus vult remunerare labores tuos magnos, vade ad cameram priuatam, & in tali trabezona tua suspendas te, vt sic martyrem recipiat te. Audito hoc verbo, monachus expauit, & contra diabolum crebrius spuẽs, clamauit; Recede inique à me, recede. modò noui quis sis: & signans se, fugauit illum. Vides quanta sit circa nos clementia diuina. Bene permisit vt seruum suum diabolus in bono, licet insidiosè, subtiliori propositione excitaret, noluit tamen, vt grossam assumptionem subinferret, ne simplex deceptus, conclusionem æternæ mortis incurreret. Statim surgens, ad lectum Prioris accessit, & dormientem excitauit, signum ei faciens cõfessionis. Illo innuente, vt expectaret vsque manè, cùm non acquiesceret, surrexit, atque cum eo capitulum intrauit: Mox se monachus prosternens ad pedes Prioris, confessus est, qualiter à diabolo sub angeli specie sit multo tempore deceptus, & per consilium suspendij à se deprehensus. Con-

Confessus est & alia peccata sua. Cui cùm Prior aliquam pœnitentiã iniunxisset, & vt de cætero cautior foret monuisset, ad lectum suum redijt. Monachus verò, ob necessitatem naturæ, priuatam ascendens, dum in vna sedium sederet, dæmonẽ per confessionem exacerbatum cum arcu extento, sagittaque imposita contra se vidit stantem, & clara voce dicentẽ; Malo tuo confudisti me, ecce nunc occidam te: Cui cùm ille responderet; Vade maledicte, iam non timeo te, ad signum crucis euanuit, sicque per virtutem cõfessionis liberatus, amplius dæmonem non vidit. APOLLONIVS: Quid est quod huic sacerdoti diabolus nocere non potuit; Arnoldum verò plebanum sancti Remigij, de quo supra dictum est, tam crudeliter occidit? CAESARIVS: Sicut dicit Psalmista; Custodit Dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet. Vnde & eiusdem plebani filiam corrupit, virgini verò de Niuella nocere non potuit. Non sine causa diabolus tantam potestatẽ accepit in vtrunque, patrem scilicet & filiam. APPOLLONIVS: Si dæmones tantũ turbantur cùm peccata nostra confitemur, puto eos plurimum exhilarari, cum eadẽ per silentium tegimus. CAESARIVS: Hoc certissimum est. hoc plenius agnosces in dis. vij. cap. ix. & x. Vbi gratia B. Dei genitricis quibusdam ad confitendum lingua reserata est; ipsi enim gloriosæ Virgini eadem distinctio assignabitur. APOLLONIVS: Ex his quæ dicta sunt satis intelligo, cõfessionem animæ esse medicinam; nunc nosse vellem, si aliquid salutis per eã corpus recipiat. CAESARIVS: Vtriusque hominis medicina est: nam sicut animam peccatoris liberat à pœna gehennali, sic nonnunquam corpus liberat à pœna temporali. APOLLONIVS: Videtur mihi vtile nimis de his exempla audire, quia multi sunt si scirent fru-

Psalm. 144.

Universidad de Deusto Biblioteca

fructum corporalem esse in confessione, paratiores essent in illius executione. CAESARIVS: Nunquid non memor es qualia, vel quanta dominus Vvalterus Abbas Vilariensis nobis dixerit de confessione veniens de solenni curia Frãckenfort, in qua filius Frederici Regis Romanorum electus est in regem? APOLLONIVS: Bene quidem recordor, sed quia mens hominis labilis est memoriæ, placet semel audita, maximè quæ saluti sunt necessaria, sæpius audire. CAESARIVS: Cùm essem, inquit, Franckenfort, & loquerer cum magisto Conrado, Decano Spirensi, inter cætera dixi illi; Quædam noui de confessione, quę vos prædicatores scire deberetis; prædicabat enim crucem, & rogauit me illa replicare, quorum tenor talis est.

CAPVT XV.

Confessionẽ etiam corpori prodesse.

APud ciuitatem Atrebatensem ante paucos annos, iuuenis quidam clericus extitit, de eadem ciuitate natus, delicatius ibidem ab infantia educatus, & inter honestos clericos conuersatus, qui cùm non haberet aliquod stipendium ecclesiasticum, & mater eius cępisset egere, puduit eum manere cum illa; inflatusq; spiritu diabolico, ad domũ cuiusdã diuitis argentarij venit cum dolo, cui & dixit: Mercator quidam diues venit in domum meam, volens comparare scyphos argenteos; calices etiã, & alia quædam vascula, siue ornamenta de auro, siue argento fabrefacta, si quid de tali opere vẽdere volueris, in sacculo pone, & tali hora solus, quia secretum vult esse, venias ad domum meam. Argentarius de clerico, bene sibi noto, nullam habens suspitionem, vt iusserat fecit, tamen quò iturus esset familiæ suæ notificauit: quem cùm clericus solum venientem aspiceret, post ostium se abscondit, intrantisque cerebrum securi diuisit, & occidit: deinde cum sorore virgine, hominem, mem-

membratim diuidentes, in cloacam proiecerunt. Familia verò artificis, cùm redire tardaret, ad domum clerici venit, vbinam dominus suus esset, inquisiuit, Clerico cum sorore respondentibus, non venit huc. Quorum verba suspecta habentes, & oculis circumspicientes, vestigia fusi sanguinis repererunt, quibus crimen homicidij mox imponentes, accitis iudicibus, cùm iam negare non possent, tum profusi cruoris ostensione, tum thesauri repertione, sententia data est, vt ambo mitterentur in ignem. Similis casus Coloniæ contigit cuidam monetario temporibus meis. Quid plura? Cùm ducerentur ad pœnam, dicebat puella germano; Frater, propter te modò ducor ad mortem, neque ob aliam causam cooperata sum tibi in hoc homicidio, nisi vt crimen tuum celarem; attamen quia euadere non possumus mortem imminentem, cõsilium meum est, vt de commisso faciamus confessionem, vt saltem pœnam euadamus æternam. Ad hæc verba clericus indignatus, quia desperatus, respondit; Non faciam, quid enim mihi prodesset confessio tam tarda? Illo indurato, puella petiuit sacerdotem, cui cum multa contritione confessa est crimen. Deinde ambo ligati sunt in stipite vno, igne copioso circumposito. Mira virtus confessionis, mira clementia Saluatoris; Clericum desperatum flamma deuorauit, puellam verò ignis non tetigit, neque contristauit, nec aliquid molestiæ intulit, vincula tantùm eius, sicut legitur de tribus pueris, combussit, ita vt liberè deambulare posset, nec aliter sensit flammarum ardorem, quam ventum roris flantem. Viso tanto miraculo, iudices puellam innocentem estimantes, iusserunt vt exiret, sicque per confessionem, incendij illius euasit ardorem. APOLLONIVS: Quid iudicas de Clerico? CAESARIVS: Hoc quod

Daniel. 3.

quod in superiori distinctione cap.vj.de se iudicauit Hildebrandus latro desperatus; AEternaliter, inquit,damnatus sum,æternisque incendijs, propter disperationem maximè, deputatus: si egissem pœnitentiam confitendo culpam,per pœnam temporalem euasissem æternam. Retulit nobis idem Abbas aliud miraculum, in quo adhuc amplius manifestata est virtus confessionis in hunc modũ.

CAPVT XVI.

IN Camoraco ciuitate episcopali, infra hoc quinquennium, plures hæretici comprehensi sunt,qui omnes timore mortis suam perfidiam negauerunt. Missus est ab Episcopo clericus,qui negantes per candens ferrum examinaret, adustos, hæreticos esse sententiaret. Examinati sunt omnes, & combusti sunt omnes: qui cùm traherentur ad pœnam,vnus ex eis vir nobilis sanguine, reseruatur à clerico ad vitam,si fortè illum quoquo modo reducere posset ad pœnitentiam,cui sic dixit: Homo nobilis es,misereor tui, & compatior animæ tuæ,rogo,& moneo,vt adhuc de tanta perfidia resipiscas,& de errore ad veritatẽ redeas,ne per mortem temporalem, mortem incurras æternam. Ad hæc ille respondit;Experimento didici me errasse, si sera pœnitentia mihi prodesse posset, nõ renuerem confiteri.Cui cùm ille diceret, pœnitentiam veram nunquam esse seram, vocauit sacerdotem, confessus est homo suum errorem, ex toto corde Deo promittens,si vita concederetur, satisfactionem.Vt autem pius Dominus vim ostenderet confessionis,mox vt pœnitens cœpit peccata sua confiteri,cœpit & ipsa combustura in manu confitentis paulatim minui, quæ in tantum eo aspiciente decreuit,in quantum confessio profecit. Medietate confessionis peracta, media pars plagę est sanata;vt

autem confessionem totam compleuit & virtus ipsa confessionis,combusturam tam in dolore, quam in colore deleuit, & manus pristinam sanitatem recepit.Vocatus est vir à iudice ad ignem,ad quẽ clericus;Quare eum vocatis?Vt ardeat,inquit, eò quod in examinatione combustus sit. Tunc clericus ostendens manum eius sanissimam,liberauit eum à pœnis,cæteris igne consumptis. Hæc cùm audisset magister Conradus,respondit Abbati; Et ego dicam vobis simile, quod ante paucos annos apud Argentinam recordor contigisse.

CAPVT XVII.

DEcem hęretici in eadem ciuitate.scilicet Argentina, quæ & Straesburg,comprehensi sunt;qui cùm negarent,per iudiciũ candentis ferri conuicti,sententia incendij sunt damnati. Die statuto,cùm ducerentur ad ignem, quidam ex comitantibus vni illorum dicebat; Miser,damnatus es,age vel nunc pœnitentiam,peccata tua confitendo,ne post incendia corporis,quæ momentanea sunt,animam tuam ignis gehennalis æternaliter comburat.Cui cùm ille diceret; Considero quidem me errasse,sed timeo pœnitentiam tantæ necessitatis minus acceptam esse Deo;Respondit; Ex corde tantum confitere,Deus est misericors,& pęnitentem suscipiet. Mira res,mox enim vt homo confessus est perfidiam, manus eius plenam recepit sanitatem. Tardante eo in confessione,cùm à iudice vocaretur ad pœnam, confessor eius iudici respondit;Non iustum est,vt homo innocens damnetur iniustè.In cuius manu dum nullum vestigiũ combustionis reperiretur,dimissus est. Habebat idem homo vxorem nõ longè à ciuitate manentẽ, horum quæ dicta sunt, prorsus ignaram, ad quam cùm venisset gaudẽs,dixissetque; Benedictus Deus qui

Universidad de Deusto Biblioteca

qui me liberauit hodie ab interitu corporis & animę, causam ei exponens; Respondit illa; Quid fecisti ô miserrime, quid egisti? vt quid propter momentaneum dolorem, recessisti à fide tua sana & sancta? magis debueras, si fieri posset, cēties corpus tuum incendijs subijcere, quàm à tam probata fide semel recedere. Sed, quem non seducat vox serpentina? Immemor ille beneficij sibi diuinitus collati, immemor tam euidentis miraculi, consilio vxoris acquieuit, & errorem pristinum resumpsit. Deus verò nō immemor vindictę pro tanta ingratitudine, manum plagauit vtriusque. Renouatum est incendiū in manu hæretici, & quia coniunx auctrix extitit resumpti erroris, consors facta est rediuiui doloris. Tam vehemens erat incendium, vt ossa manuum penetraret, & cùm vti non auderent clamoribus in villa, quos vis extorsit doloris, fugerunt in nemus vicinū, illic vt lupi vlulantes. Quid verbis immorer? Proditi sunt, in ciuitatem reducti sunt, simulq; in ignem, nondum plenè extinctū, missi, & in cinerem reducti. APOLLONIVS: Iustè actum est cum istis. CAESARIVS: Confessione pura pugnantes merentur victoriam, damnandiq; indulgentiam.

CAPVT XVIII.

TEmpore illo, quo Henricus Imperator, pater Frederici, qui nunc regnat, nouissimè intrauit Longobardiam, accusatus est apud eum ab eisdem Longobardis castellanus quidam de rapinis, alijsque insolentijs multis, à quibus etiā adductus est pugil quidam fortissimus, gigantęæ altitudinis, qui eum monomachia impeteret. Nolens eis Imperator negare iustitiā, militem adesse præcepit. Quem cùm gigas ille ad duellum secundum ius ciuile citaret, frater eiusdem militis ad pedes Impe-

Imperatoris se prostrauit, & vt sibi, pro germano tenerrimè dilecto pugnare liceret, multis lacrymis obtinuit: qui cùm se præparasset diligentissimè per contritionem, confessionem, & orationem, omnem suā spem in Christo posuit, cuius signaculum tam in veste, quàm in clypeo, atque manu pugnaturus pro munimento circumtulit: erat enim vir gracilis, nec multum fortis; cui cùm occurrisset pugil aspectu horribilis, alterum se exhibens Goliath, ictum tam validè in clypeo eius dedit, vt tonitruum putaret: miles verò ictum ictui continuans, antequam manum retraheret, cùm tanto nisu illam percussit, vt baculum lapsum leuare non posset; deinde crēbris ictibus mactans pugilem, per confessionis virtutem vicit insuperabilem: qui, sicut mihi retulit Henricus monachus noster, qui præsens fuit, sicut bos mugiens in hæc verba prorupit; Væ mihi misero, quomodo tam turpiter confusus sum ab hoc homunculo? sicque per fratris humilem confessionem, homo morte dignus euasit mortem, adeptus est victoriam. Quod autem damnandis cōfessio tribuat veniam, præsto est exemplum.

CAPVT XIX.

CIrca illa tempora quando positus fui ad literas, fur quidam in cippo tenebatur ante portam Martis Coloniæ; quem sacerdos quidam satis laudabilis vitæ, nomine Eustachius, eiusdem portæ capellam regens, inuisit, confessionem audiuit, & per eleēmosynas suas visitauit. Et, sicut mihi retulit idem sacerdos, sæpe ei ex industria mittebat scyphum suum, in quo ipse bibere consueuit. viderunt hoc homines, & mirabantur. Et cùm honor à sacerdote tali furi exhibitus, delatus fuisset ad iudices, hominem innocentem putantes, dimi-

Universidad de Deusto Biblioteca

dimiserunt illum. APOLLONIVS: Quare nõ consequuntur omnes rei huiusmodi beneficia per confessionem? CAESARIVS: Non expediret, quia multis fieret occasio peccandi; vult Deus aliquando huiusmodi miracula fieri per confessionem exempli causa, vt quantum animæ, cuius medicina est, valeat, per signa exteriora ostendat. Bene vult vt reus post confessionem puniatur in præsenti, ne eum in futuro puniat; quia non punit bis in idipsum. De hoc tibi dicam manifestum exemplum, à quodam ordinis nostri Abbate mihi relatum.

Nahum. 1.

CAPVT XX.

IN ecclesia Leodiensi Episcopus quidam fuit, vir religiosus ac timens Deum: die quadã, cùm sederet in capella sua solus tempore quadragesimali, & psalterium lectitando, venisset ad locum illum Psalmi 105. scilicet: Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Ingressus quidam ex officio, orationem eius interrupit dicens; Domine, quid iubetis vt fiat de illo criminoso? Episcopus misericordia motus, respondit illi: Parce pauperi propter sacrum tempus quadragesimæ. Recedente iudice, vt reum dimitteret, Episcopus reflexit oculos ad psalmum dimissum, statimque occurrit ei versiculus; Beati qui custodiũt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore. Qua voce territus, ac si diuino responso correptus esset, & etiam instructus, sicut reuera fuit, iudicem reuocauit, dicens; Discute causam diligenter hominis, & iustè iudica illum: sicque ob vocem prophetiam, reus vita priuatus est. Fortè iste contritus decessit, & si superuixisset, deterior factus, mortem æternam incurrisset, sicut supra legitur de hæretico Straesburgensi, per confessionem sanato & recidiuo. APOLLONIVS: Placet quod dicis. CAESARIVS:

SARIVS: Confessio summum remedium est in periculis, etiam in mari longè.

CAPVT. XXI.

PEregrini quidam, sicut magister Ioannes Xantensis populo recitauit, in suis stationib. crucem prædicans, cùm tempore quodam transfretarent in succursum terræ sanctæ, orta est eis in mari tempestas tam valida, vt nauis ipsa operiretur fluctibus. Fremebant venti, excitabãtur fluctus turbulenti, nutabãt viri fortissimi, spes omnis nautarum defecit; videntes ante oculos mortem, cœperunt singuli, vnusquisque sibi vicino de peccatis suis facere confessionem, & meritò: nam propter vnius hominis peccata, Dominus eandem excitauerat tempestatem: erat enim in naui illa homo quidam miserrimus, homo fœtidissimus, cuius peccata fuêre tam grauia, tam turpia, tam horrenda, tam in quantitate, quàm in qualitate, vt nec ipsum mare pondus illorum posset portare. Cùm natura eius sit, eijcere immunditias quaslibet corporales, quomodo æquanimiter sustineret tantas immunditias spirituales, id est, peccata creatori suo contraria? Timens homo ille peccator vitæ suę, simul & animæ, & propter se omnes alios periclitari considerans, surrexit, & ait: Audite fratres, audite, propter peccata tempestas hęc orta est, ego occasio sum tanti periculi, rogo vt audiatis confessionem meam. Tacentib. omnibus, cœpit voce valida tantum venenum peccatorum euomere, vt aures humanæ etiam horrerent audire. Mira clementia Dei, mox vt massam iniquitatis per confessionem eiecit, mare furens siluit, & facta est tranquillitas magna, ita vt omnes mirarentur. Miris miranda succedunt, statim vt nauis ad littus peruenit, audita peccata Deus de memorijs singulorum deleuit:

Universidad de Deusto Biblioteca

Bene permisit, vt quàm diu erant in naui conclusi, confunderetur in aspectu illorum; & ne exeuntes fortè eius peccata propalarẽt, vel improperarent, induxit eis obliuionem. Benè retinuerũt se in mari fuisse periclitatos, hominem aliquid fuisse confessum, sed quid dixisset, prorsus ignorauerunt. Et hoc ipsum dedicit experimento. APOLLONIVS: Valdè lætificant ista, sed mirum videtur, quod ob vnius hominis peccata Dominus tantam turbauit multitudinem. CAESARIVS: Legitur propter inobedientiam Ionæ mare turbatum, & nautas periclitatos, illoque eiecto, mox mare stetisse à feruore suo. Nam sicut ob vnius hominis peccatum aliquando Dominus multitudinem temporaliter affligit; ita propter vnius iusti merita, frequenter multis parcit. De hoc plurima habentur exempla. APOLLONIVS: Scio nihil fieri sine iusto Dei iudicio, sed summæ iudico esse dementiæ, quod homo sciens se esse in peccatis mortalibus, periculis se audet committere. CAESARIVS: Quibus nota est medicina cõfessionis, nec vna die morari debent in peccatis, neque differre confessionem, nisi necessitas exeludat confessionẽ. Audi de hoc Episcopi cuiusdam verbum bonũ. verbum sanctum, verbum memoria dignissimum.

Ionæ 1.

CAPVT XXII.

Confessionẽ non differendum.

SIcut didici à quodam Abbate, nuper in Anglia defunctus est Episcopus ordinis Præmonstratensis, vir bonus, & magnæ religionis: hic cùm ageret in extremis, nec confessorem requireret, dixerunt ei clerici sui: Domine, debilis estis valdè, quare non facitis confessionem vestram? Respondit Episcopus: Non faciam. Illis verbum exhortationis repetentibus, adiecit: Putatis stolidi, quod vsq; ad hanc horam distulerim confessionem meã?

Dixe-

Dixerunt ei iterum: Consilijs regis interesse solebatis. Quibus rursum respõdit; Non aliter fui coram rege, quàm Christus coram Pilato. Hoc quidẽ dixit, & fecit Episcopus ille sanctus pro exemplo, sciens scriptum: Ante mortem confitere, à mortuo quasi nihil confessio perit. Confiteberis viuens, viuus & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & glorificaberis in miserationibus illius. Quotidie solitus fuit mundare conscientiam, nec differre confessionem suam de die in diem, sicut multi faciunt: qui etiam post mortem miraculis claruit. APOLLONIVS: Sicut colligo ex verbis Episcopi huius, non est perfectorum confessionem differre. CAESARIVS: Dilatio ista confessionis, ad memoriam reuocat casum quendam, qui anno præterito apud nos contigit.

Eccle. 17.

CAPVT XXIII.

QVIDAM ex senioribus nostris, quem nolo nominare, habebat hanc consuetudinem, sicut cæteri multi, sæpius reuocare confessionem, ita vt Abbas putaret quod generalis esset, eò quod à pueritia vsque ad senectutem peccata sua commemoraret. Ante mortem suam per aliquod tempus debilis, subitò defecit & obmutuit. Accurrimus omnes, inungentes eum oleo sancto. Die, vt puto, sequenti, dominus Abbas venit, in cuius aduentu Dei misericordia desperati linguã reseruauit, & cœpit confiteri peccata quædam mortalia, ante conuersionem commissa, quæ nunquam ei fuerat confessus. Territus verò Abbas, requisiuit si vnquam eadem fuisset confessus peccata, Alijs, inquit, Abbatibus dixi ea, habuerat ante ipsum tres Abbates: & sicut retulit nobis Abbas noster, propter hoc Dominus, qui magnos eius labores respexit, os aperuit,

Universidad de Deusto Biblioteca

vt esset confessio eius integra. APOLLONIVS: Quid si alijs Abbatibus, de quibusdam peccatis mortalibus nouissimo confessis Abbati, simili modo aliqua ex verecundia subticuerat? CAESARIVS: Sicut dixi in primo capitulo huius distinctionis, sicut confessio esse debet nuda, & debita, ita esse debet integra & pura, id est, non per plures confessores debet esse diuisa. Quid prodest, vt ait Beda super Lucam, si tota custodiatur ciuitas, & vnum foramen, per quod hostes intrent, relinquatur? Audi quid dicat Osee propheta de semiplenè confitentibus; Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius dolores parturientis venient ei. Spero autem eum alicui Abbatum integram fecisse confessionem, quia vir erat prudens, & multas vidimus in illo virtutes. APOLLONIVS: Si peccaret confitens cum confessore, posset ei fructuosè eadem confiteri peccata? CAESARIVS: Talis confessio nulla * est, quia nulla ibi erubescentia, neque aliqua ibi denudantur peccata. Dicam tibi pro exemplo, & ad solutionem tuæ interrogationis quendam mirabilem casum, qui ante paucos annos contigit, quem dominus Abbas Cysterciensis omnibus Abbatibus in generali capitulo loco sermonis recitauit, monens vt singuli eum monachis suis in cautelam referrent.

Osee 13.

Confessio nõ faciendaei, cum quo peccauit quis.

* *Videtur autor præsumere in istiusmodi confessione non esse verum dolorem de peccatis, dum tantopere refugit peccator erubescentiam. Vel quia deest in confessario potestas iurisdictionis.*

CAPVT XXIV.

IN quodam, inquit, monastio, sacerdos quidam nuper defunctus est: cui Abbas suus ob meritũ vitæ iniunxerat, quatenus fratrum suorũ confessiones audiret: nomen verò domus, & personæ subti-

subticuit. Erat in eadem domo adolescens quidam, qui ad eum cõfitendi causa frequenter venit, cum quo, diabolo instigante, & humana fragilitate consentiente, idem confessor semel tantummodo peccauit. Statim opere perpetrato, cœpit dolere & flere amarissimè, dicebatque iuueni; Malè fecimus, alijs hoc peccatum confiteri ob verecundiam non possumus, sed consulo vt tu mihi cõfitearis, & ego tibi, alterque ab altero suscipiat pœnitentiam. Quid plura? Placuit iuueni consilium, cõfessi sunt peccatum inuicem, & tam duram vnus ab altero suscepit pœnitentiam, qualem nec Abbas, siue aliquis confessorum illis iniunxisset. Paruo post tempore sacerdos idem infirmatus est vsq; ad mortem & cùm iam in extremis ageret, & ad exitum festinaret, timore gehennæ peccatum vtriusque dixit, personam verò, peccati consortem, non expressit. Defuncto eo, Abbas vehementer doluit, quod scire non potuit cum quo peccasset. Ait tamen intra se; Ad confessionem tibi veniet, quisquis est ille. Interim mortuus, clara die apparuit adolescenti cùm esset solus, facie lurida, & veste trita: quẽ cùm ille vidit, mox agnouit, timuit, & exhorruit. Cui mortuus, Sta, ne timeas, quia propter te veni, vt iudicem tibi de statu meo. Confortatus iuuenis verbis eius, & animatus, cùm interrogaret, vnde veniret, vel quid quæreret, respondit ille: In maximis pœnis sum propter illud tantum quod recum commisi peccatum: ignea enim catena genitalia mea astringit, qua suspensus torqueor. Confessio illa, quam fecimus inuicem, nihil mihi profuit, quia nulla fuit: & nisi in extremis quoquomodo peccatum expressissem, æternaliter damnatus fuissem. Cui cùm iuuenis dixisset; Est aliquid, quod possit vobis prodesse? Respondit ille; Si tu purè, & plenè confessus fueris peccatum nostrum, mihi mul-

Universidad de Deusto Biblioteca

multum proderit: sin autem, æterna pœna te suscipiet, sicque disparuit. Territus iuuenis recenti visione, cùm facere vellet confessionem Abbati, nec posset propter Abbatis absentiam, interim distulit. Intercedente verò temporis dilatione, timor conceptus cœpit tepescere, & verecundia crescere, in tantumque est erubescentia victus, vt cùm Abbas venisset, nihil ei confiteretur. Abbas verò non immemor culpæ sibi confessæ, cùm ad confessionem non veniret, quem quotidie expectauit, cogitauit diligentissimè, qualiter malè latentem salubriter deprehenderet; præcepitque toti conuentui, sacerdotibus, & ordinis inferioris, sanis, infirmis, vt omnes, nescio in qua solennitate, ad maius altare communicarent. Visum est ei, quod nequaquam accedere auderet, reus de culpa illa. Sedensque contra altare, respexit ad ora singulorum. Adolescens verò, hoc propter se factum putans, & si se subtraheret notari timens, cum cæteris accessit: qui cùm propinquasset altari, tantus eum horror inuasit, tantus timor perculit, vt & præsumptuosus vetaretur procedere, & ocyus compelleretur redire; veniensque ad Abbatem, fecit ei signum confessionis; qui gaudens & exultans, dicebat intra se, Eia, certè cæpimus bestiam, inuenimus prædam, iste enim est. Et surgens intrauit cum eo capitulum. Cuius pedibus iuuenis prostratus, fecit de peccato confessionem, retulit visionem, suscepit pœnitentiam; sicque per prudentiam medici, denudatum ac sanatum est vulnus stolidi ægroti. Hæc nobis retulit dominus Geuardus Abbas noster, rediens de capitulo generali. APOLLONIVS: Magnum donũ Dei est, quod sic mortui viuos hortantur ad confessionem. CAESARIVS: Tantum bonum est confessio, vt etiam eo vtantur spiritus mortuorum. Sæpius percepi mortuos

Confessio mortuorum.

tuos viuis apparuisse in somnis, & ob quæ peccata detinerentur in pœnis, confessos fuisse, & quibus beneficijs liberari possent, veraciter indicasse: quod postea veracibus signis probatum est: similibus enim similia congaudent, quia corpus dormientis modicum distat à mortuo, & dum homo exterior quiescit, interior sæpe efficacius vigilat. Non semper somnia sunt vana, sed nonnunquam reuelationes diuinæ, sicut habes de Ioseph patriarcha, de Daniele, de Ioseph sponso Mariæ, de tribus Magis. APOLLONIVS: Vellem mihi aliquo demonstrari exemplo, quod spiritus mortuorum, spiritibus confiteantur viuorum.

Gene. 37. Danie. 7. Matt. 1. 2.

CAPVT XXV.

IVuenis quidam in quadam domo ordinis nostri susceptus est in nouitium; modico elapso tempore, idem nouitius grauiter infirmatus ad extrema peruenit: nondum autem secundum consuetudinem ordinis, confessionem generalem fecerat Abbati, quia absens erat. Quem cùm expectaret cum desiderio magno, & ille non veniret, confessus est Priori quæcunque commiserat, sicque ante Abbatis aduentum, diem clausit extremum. Eadem nocte, cùm Abbas in quadam sua grangia dormiret, & de obitu nouitij nihil prorsus sciret, ante lectũ Abbatis defuncti se, spiritus inclinauit, & vt suã audire dignaretur confessionẽ, humiliter supplicauit. Abbas iste esse dicitur S. Hugo Abbas Bonæ vallis, qui iam incipit clarescere miraculis. Respondente eo nouitio, Libenter te audiam: Ille omnia peccata sua cõfessus est ei, eo ordine & modo, quo confessus fuerat Priori. Cuius contritio tanta fuit, vt etiam lachrymæ ex oculis nouitij se inclinantis & confitentis, cadere viderentur super pectus Abbatis. Confessione completa, hæc verba

Universidad de Deusto Biblioteca

protulit; Modò, inquit, pater cum benedictione tua vado, quia saluari non potui, nisi fecissem tibi confessionem meam. Ad quod verbum Abbas euigilans, experiri volens vtrum visio esset vera, vel, sicut sæpè euenit, fantastica, cucullam supra pectus suum palpauit, quam toram inuenit madidam, lachrymarumq; stillicidijs perfusam, & respersam. Tunc satis admirans, cùm domum redisset, & Priori somnium recitasset, respondit ille; Vera fuit visio, & verissima confessio. APOLLONIVS: Quid est quod nouitius dixit, se non posse liberari, sine tali confessione, cùm confessionem debitam non excluserit ei tempus, sed necessitas? Si contritus decessit, iam de saluandis erat: sin autem, nil ei post mortem confessio profuit, quia à mortuo quasi nõ sit, perit confessio. CAESARIVS: Puto quod Deus tantum verbis, vel actis eius voluerit ostendere, quantum ei placeat debita confessio, id est, illa, quę sit proprio prelato. Quod autem ait. Non potui saluari, sic dictum intelligo, id est, tam citò de purgatorio, sicut modò, liberari. De huiusmodi collationibus mortuorum cum viuis, satis audies. in xij. dist. Nec te moueat, quod spiritus hominum electorum dixi confessos fuisse peccata sua post mortem, cùm etiam confessione criminum suorum vsi fuisse maligni spiritus memorentur. APOLLONIVS: Eorum confessionem audire delector. CAESARIVS: Quod dicturus sum, non legi, sed à viris religiosis audiui.

Eccl. 17.

CAPVT XXVI.

Dæmon confitetur.

SAcerdos quidam, cùm tempore quadragesimali in ecclesia sua sederet, & sibi commissorum confessiones audiret, alijs recedentibus, atque alijs accedentibus, inter expectãtes quidam stabat, quantum ad apparẽtiam corporis, iuuenis & robustus,

confitendi tempus expectans. Omnibus expeditis, ipse nouissimus accessit, coram sacerdote genua flexit, & ad confessionem os aperuit: qui tanta & tam enormia confessus est crimina, tam multa homicidia, furta, blasphemias, periuria, discordiæ seminaria, & alia his similia, quorum se auctorem, incentorem, siue suggestorem esse dicebat, vt sacerdos tam horrore, quàm tædio grauatus, diceret ad illum; Si mille esses annorum, nimis esset, tam grauia, & tam multa te commisisse peccata. Ad quod verbum ille respondit; Amplius sum quàm mille annorum. Tunc Amplius territus sacerdos ait; Quis ergo es? Respondit ille; Dæmon ego sum, vnus ex his qui cum Lucifero ceciderunt: peccata mea ex minima tibi parte confessus sum, si velles audire residua, quæ sunt innumerabilia, paratus essem tibi confiteri. Sciens sacerdos peccatum diaboli fore insanabile, dixit; Quid tibi commune cum confessione ô diabole? Respondit dæmon; Stabam ex opposito tui, vidiq́ue peccatores ad te accedere, & iustos redire, auscultans valdè diligenter quid illi dixerint, quidq́ue eis responsum sit à te, & quod post grauia peccata promissa sit eis indulgentia, vitaq́ue æterna. Ego verò, sperans idem consequi, veni peccata mea cõfiteri. Sacerdos verò exemplo Sancti Martini, diabolo fiducialiter respondit; Si volueris vti consilio meo, & agere pœnitentiam de peccatis tuis purè, sicut hi, quos hinc exire vidisti, similem indulgentiam consequeris. Respondit dæmon; Si tolerabilem mihi iniunxeris satisfactionẽ, parebo tibi. Ego, inquit sacerdos, valdè modicam, & minorem his, qui ante te cõfessi sunt tibi iniungam pœnitentiam; Vade, & tribus vicibus in die iacta te in terram, sicq́ue prostratus dicas; Domine Deus creator meus, peccaui tibi, ignosce mihi: hoc solummodo sit pœnitentia tua. Cumq́ue diabolus dice-

Seuerus in vita S Martini cap. 24.

Universidad de Deusto Biblioteca

diceret; Nõ possum hoc facere, nimis est mihi graue; respondit sacerdos. Quare in tam modico grauaris? Non possum, inquit, me in tantum humiliare ei; aliud quicquid iniunxeris, libens suscipiam. Tunc indignatus sacerdos, subiunxit; O diabole, si tanta est cordis tui superbia, vt nec velis, nec possis te in tam modico humiliare creatori tuo, recede à me, quia neque hic, neq; in futuro misericordiam ab illo cõsequeris. Ad quam vocem mox ille euanuit. APOLLONIVS: Mirum quod sic se superbus ille spiritus humiliare potuit homini, & non creatori. CAESARIVS: Hoc est quod Dauid de eo dicit; Superbia eorum, id est, dæmonũ, qui te oderunt, ascendit semper. vnde statim in sequenti Psalmo subditur, Confitebimur tibi Deus, confitebimur; quasi dicat: Non homines confitebimur tibi corde, confitebimur & ore: dæmones verò impenitentes sunt. APOLLO. Cùm peccator habeat os & linguam ad loquendum, sufficit ei quod peccata sua scripto confiteatur.

Psalm. 73.

Psalm. 74.

Cõfiteri scripto an sufficiat.

CAPVT XXVII.

CAESARIVS.

Rom. 10.

NOn videtur sufficere, quia ore confessio fit ad salutem: qui si semel peccata sua ore fuerit confessus, postea scripto se amplius confundere poterit, sicut pœnitentes, & sicut Sanctus August. fecisse legitur, in libris confessionũ. Scholaris ille Parisiensis, de quo supra dictum est dist. 2. ca. 10. quia propter nimiam compunctionem loqui nõ poterat, defectum illum scripto suppleuit. APOLLONIVS: Quid est ergo, quod in vita S. Ioannis eleemosynarij legitur mulier quædam peccata sua scripsisse, & sigillata eidem sancto tradidisse, & sine oris confessione, quam sola prohibuit vere-

Leontius in vita eius.

verecundia, indulgentiã consecutam fuisse? CAESARIVS: Simile aliquid legitur de Carolo Imperatore in vita Sancti Egidij: sed miracula nõ sunt in exemplum trahenda. Hoc etiam scias, quod huiusmodi scripturæ autenticæ non sunt. APOLLONIVS: Iterum quæro, si confitens confessori prodere debeat personã, cum qua peccauit? CAESARIVS: Nequaquam, quia pœnitentialis hoc prohibet. APOLLONIVS: Quare prohibet? CAESARIVS: Propter diuersa, quæ inde euenire possent mala: talis fortè esset confessor, qui personam proditam, & per pœnitentiam iam iustificatam, despiceret, vel aliquas propter illius inconstantiã, tentationes incurreret.

Complices criminum an nominandi in confessione.

CAPVT XXVIII.

ADolescens quidam infirmus, cùm cuidã suo concanonico, nondum sacerdoti, cõpellente necessitate, confessus fuisset, quod à quadam illectus sanctimoniali, osculatus fuisset eam, interrogatus est, si rem habuisset cum ea? Respõdente eo, non, sed illa libenter vidisset, satis me verbis inuitans ad commixtionem, ipsam etiam personã exprimens, confessor eandẽ personam ab illo tempore semper in corde suo despexit, nec potuit eam tantum diligere & venerari, vt ante. Talem posset confitens prodere personam, vt inter ipsum & confessorem odium perpetuũ nasceretur. APOLLONIVS: Verbi causa. CAESARIVS: Si diceret confitens; Domine ego peccaui cum sorore, filia, vel concubina vestra, puto vix posse fieri, quin ille turbaretur. APOLLONIVS: de hoc mihi dicas exemplum.

CAPVT

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT XXIX.

CAESARIVS.

SAcerdos quidam in Susatia habuit cõcubinam, quam adolescens quidam concupiscens, cum eadem peccauit: in quadragesima verò, ad eundem sacerdotem veniens, confessus est peccatum, simul & personam. Quod cùm audisset sacerdos, turbatus est valdè, & ab illius eum amore abstrahere volens, durius arguit, peccatum aggrauauit, pœnitentiamque duram nimis iniunxit. Rancor iste, sine periculo nõ fuit. Vnde inuectio tam aspera, pœnitentia tam dura, nisi ex propalata persona? Hæc mihi retulit Theodericus Susatiensis monachus noster, qui vtrunque nouit, sacerdotem videlicet, & adolescentem. Non ergo prodere debet confitens personam peccati cõsortem, cùm tamen ea, quę peccatum ipsum aggrauant, confiteri teneatur. APOLLONIVS: Vellem instrui, quomodo dicere deberet. CAESARIVS: Huiusmodi formam posset seruare; Domine, ego peccaui cum legitima, concubina, filia, vel sorore cuiusdam cognati, affinis, amici, vel inimici mei, solis peccatis meis exigentibus, siue ab illa inductus. Et in hunc modum de cæteris peccatis, siue carnalia sint, siue spiritualia. In hunc modum & fœmina dicat. Quædam tamen peccata sic committuntur, vt vix exprimi valeant, nisi confessor de persona intelligat. non inde multum curandum est. APOLLONIVS: Quid si duo contra suum prælatum conspirarent, & vnus illorum pęnitentia ductus, peccatum suum eidem prælato confiteretur, deberetne alterum prodere, an non? CAESARIVS: Video ex omni parte periculum, si non proderet personam, prælatus periclitari posset, si verò proderet, fortè perpetuum illi odium

odium aduersus conspirationem suscitaret. Audi exemplum ad cautelam satis necessarium.

CAPVT XXX.

ABbas quidam, de Claustro mihi bene noto, de quodam vitio notatus fuit per cuiusdam monachi sui confessionem. Cùm intellexisset hoc alium quendam scire, diabolo instigante, cœpit eum occultè persequi, timens ab eo in visitatione accusari; & cùm illum mittere vellet ad quandam domum remotam, nescio quid prætendens accusationis, ille bene considerans causam persecutionis respondit Abbati; Domine pater, domum meam non demerui, si vultis me mittere ad matrem nostram, ibo; sin autem, Visitatorem hic expectabo. Benè sciebat, quia illuc eum nõ mitteret, ne fortè detegeret, de quo timebat. Hæc mihi relata sunt à quodam seniore domus illius, in qua contigerunt. Si Abbas iste, tam durè persecutus est hominem innocentem, quomodo persequi haberet conspiratorem? Cernis qualiter vterque periclitatus sit, Abbas persequendo, monachus grauissimis tentationibus laborando. APOLLONIVS: Licet in aliquo casu cõfitenti prodere personam alterius? CAESARIVS: De hoc à me requisitus magister Hermannus Decanus Bonnensis, vir literaturæ magnę, respondit; si talis persona fuerit, de qua constet confitendi, quod peccatum cõmunune confiteri noluerit, bene eam prodere debet, ne tacendo pereat: de hoc mihi retulit exemplum vtile satis.

CAPVT XXXI.

DVM essem, inquit, plebanus apud sanctum paruum Martinum in Colonia, quidam ex parochianis meis vir honestus, cùm die quadam cuiusdam conciuis & amici sui domum solus intras-

Universidad de Deusto Biblioteca

intrasset, & vxorem illius solam in gradibus solarij reperisset, amplexibus atque osculis ipsius ad libidinem inflammatus, cum ea contra propositum peccauit: mox ad me, quasi hausto veneno, currens, de fonte confessionis bibit, venenum expuit, pœnitẽtiam suscepit, & adiecit: Domine, ego personam vobis exprimam, fœmina turpis est, & multos corrumpit, & certum mihi est, quia peccatum illud minimè confitebitur. Tempore verò quadragesimæ veniens illa, magis ex consuetudine, quàm ex aliqua contritione, peccata quædã minima ac quotidiana mihi confitens, adulteriumq; omninò subticens. Ego, non immemor peccati mihi confessi, cũ nollem eam confundere, neq; confitentem prodere, dixi: Domina ite modò, & cras reuertimini, interimq; dicite tres orationes Dominicas, quatenus Deus illuminare dignetur cor vestrum, vt dignè ac plenè confiteri possitis peccata vestra. Illa vadens, & in crastino rediens, nil adiecit, sed tantum peccata prius confessa replicauit. Quam cùm secundò iussissem abire, easdemq; orationes quas prius repetere; illa non sine suspicione discessit, & sequenti die reuersa, audiente quodam clerico cognato, quem secum adduxerat, in hæc verba prorupit; Ecce dominus iste, me digito demonstrans, adulteria mihi imponit, ego domino Episcopo conquerar de illo. Cumque verbis illius satis essem imuriatus, nec tamen motus, solus, soli cũ multa modestia dixi: Bona domina, quare peccata vestra absconditis, & quare negatis quod modò dicitis? nunquid non commisistis adulterium in tali loco, & cum tali viro? Illa intelligens crimen me non latere, tandem ad se reuersa, satis humiliter respondit: Domine verum est, ego cum tali viro adulteriũ commisi, parata sum pœnitentiam suscipere, & de cętero castè viuere: sicq; factũ est, vt q̃ pecca-

peccatrix venerat, plebani industria iustificata rediret. Si nõ fuisset à cõfitente prodita, fortè nõ esset iustificata. APOLLO. Si nõ licet confitenti personam peccati consortem, nisi in tali vel in simili casu prodere, quid sentis de confessore? Licet illi in aliquo casu peccata confitentiũ, siue personas ipsas confitentes prodere? CAESARIVS: Peccata quidẽ confitentium in multis casibus prodere poterit, tacitis personis: ipsas verò personas, prodere non debet, nisi in vno casu, quem infra hoc quinquenniũ dominus Innocentius Papa, tali modo determinauit.

CAPVT XXXII.

IN domo quadam Cisterciensis ordinis, monachus quidam sine ordine celebrauit: hoc cùm die quadam Abbati suo retulisset in confessione, nec tamen cessare vellet à tanta præsumptione, Abbas dolens ac lacrymans, vt à blasphemia tam magna desisteret, miserum rogauit, monuit, & prę cepit, sed non profecit. Ille verò timens notari, si cessaret, celebrauit vt prius. In sequenti capitulo generali, Abbas idem proposuit casum eundem, interrogans quid faciendum foret confessori, si fortè tale quid in aliqua domo emergeret. Cumque dominus Cisterciensis & cateri Abbates super hoc nihil auderent diffinire, casum scripserunt Innocentio Papæ; qui conuocans Cardinales, viroque literatos, casum eis proposuit, & quid de hoc sentirent, à singulis requisiuit; Omnib. penè in hoc cõsentientibus, quod confessio nõ esset prodenda, respondit; Ego dico in tali articulo esse prodendam; quia talis confessio, non est confessio, sed blasphemia; nec debet confessor blasphemiam tantam ac insaniam celare, per quam periculum incumbere poterit toti ecclesiæ. Et placuit sentẽtia omnibus: scripsitq; sequenti anno capitulo, quod à se fuerat deter-

Communis doctrina Theologorũ (quæ magis cõformis est decreto Concilij Lateranensis sub hoc eodem Innocentio 3 celebrati cap. 21.) contrarium tenet. Vide etiam Nauarr. in cap. Sacerdos. de pœnit. dist. 6.

determinatum, & à Cardinalibus approbatum: Nec debes dubitare, quin confessores multum torqueantur, cùm tale quid audierint, quod soli portare non possunt.

CAPVT XXXIII.

NOn est diu, quod monachus quidàm peccatum quoddam grauissimũ confessus est Priori suo, sed cuius fuerit generis idem peccatum, ignoro: quem cùm Prior, secundum consuetudinem, remittere vellet ad Abbatem, non acquieuit. Prior verò, cùm pondus auditi peccati solus portare nequiret, & monachus eius consilio minus acquiesceret, ex nimia animi mœstitia, corpore tabescere cœpit. Intelligens hoc per Spiritum sanctum frater Simon de Alna Conuersus, bene mihi notus, dixit Priori: Domine, quid habetis, vt quid sic marcesciti? respondente illo; Tristis sum: ait Simon, Nolite turbari, causam tristitiæ vestræ bene noui, in breui Dominus vos consolabitur. Accedensque ad monachum dixit, quare non confiteris peccatum tuum Abbati tuo? Deus mihi reuelauit illud, & si non fueris confessus debito modo, ego te prodam. Ille Conuersi sanctitatem non ignorans, magis ex timore, quàm ex deuotione, peccatum Abbati confessus est, & Prior ab angustia liberatus est. APOLLONIVS: Videtur mihi vir iste spiritum habere prophetiæ, CAESARIVS: Reuera habet spiritum prophetiæ, si tamen adhuc viuit, sicut ex sequentibus cognoscès. Notarius quidam Romanæ curiæ, cùm eundẽ Simonem ex multorum relatione didicisset spiritũ habere prophetiæ, desiderio videndi eum, ab Vrbe venit in Alna monasterium, volens illo præsente peccata sua cõfiteri, sperans ab eo corrigi, si aliquid omitteret; animari, si minus plenè diceret. Quem cùm nõ inuenisset in abbatia, ductus est in grangiam eiusdẽ cœnobij, quæ Celenies vocatur, in qua ille magister erat. Quem mox vt frater Simon respexit, causam aduentus eius intellexit, & ait: Domine expectate me hic; ego enim ibo pro negotio domus meę ad talem locum, & cùm rediero, paratus vobis ero ad omnem vestram voluntatem. Iuit, & redijt, & cùm à clerici ore didicisset, quod tamen ignorauit, misit ad monasterium, petens sibi transmitti confessorem discretum. Cui, cùm præsente conuerso, idem clericus peccata sua satis deuotè confiteretur, & in diuersis locis aliqua per obliuionem transiliret; quædam etiam, propter erubescentiam, minus integraliter cum suis circunstantijs exprimeret, interrumpens eius cõfessionem iam dictus Simon, ait, Quare hæc, & hæc peccata subticetis? Ista in tali loco ex leuitate, nulla ex necessitate fecistis; vbiq; eum corrigens, ita vt valdè miraretur, & cum Regina Austri mediam partem gratiæ eius non audisse fateretur. Rediens verò ad vrbem cum gaudio magno, per totã curiam in tantum suũ prophetam magnificauit, vt Dominus Innocẽtius Papa, ad consilium suũ generale illum vocaret, vocatumq; de plurib. interrogaret, à quo tam ipse, quã cæteri Cardinales didicerunt experimento, quod spiritu polleret prophetico. Hæc mihi retulit beatæ memoriæ VValterus de Birbach, monachus in Hemmenrode, qui ei familiarissimus fuit, & plura de illo recitare consueuit. Alio tempore, videns quãdam mulierculam peccatricem, hortabatur ad confessionem dicens: Confitere me audiente; quod cùm fecisset, non sinebat eam aliquid per obliuionem, siue per erubescẽtiam supprimere, vbiq; eius corrigens confessionem, sicut supra dictum est de clerico Romano, ac si illam peccasse vidisset. APOLLONIVS: Considero in isto viro quieuisse spirì-

De F. Simone de Alna spiritu prophetiæ.

3.Reg.10.

Universidad de Deusto Biblioteca

4. Reg. 5. ſpiritum Eliſæi, qui corpore abſens, & ſpiritu præſens, peccantem Gieſi corripuit. CAESAR. non alius ſpiritus operatur in iuſtis veteris teſtamenti, atq; alius in ſanctis gratiæ, ſed idem, diuidens ſingulis prout vult. APOLLON. Si noſti adhuc aliqua de hoc Cõuerſo, precor vt edifferas mihi. quia magis videtur miraculoſum, occulta cordiũ noſſe, & cogitationũ ſecreta reuelare, quã mortuos ſuſcitare. CAESAR. Verum quidẽ dicitis, quia ſcire interiora hominis, ſolius eſt Dei; vnde Apoſtolus: Quis ſcit hominũ, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? Solus hic excluditur ſpiritus diuinus, qui vbiq; eſt, & implet omnia, & cui ipſe voluerit reuelare. Tempore illo, quo dominus Cõradus, nunc Epiſcopus Portuenſis Cardinalis, nouitius fuit in Vilario, contigit fratrẽ Simonem cum VValtero monacho, nunc Abbate Vilarienſi, & alijs quibuſdam monachis, & Conuerſis ordinis noſtri, in quadam eccleſia ſeculari Miſſam audire. Infra canonem verò eiuſdem miſſæ, vidit idem Simon ſpiritum iam dicti Conradi, corpore ſatis à ſe remoti, coram ſe ſtare, & coronam auream in capite geſtare. Vidit & cogitationes cordis eius, atque orationes, in quibus tunc verſabatur in Vilario. Finita miſſa, ſecretè locutus eſt VValtero dicens; Cùm videritis nonnum Conradum nouitiũ Vilarienſem, dicite ei, vt caueat ſibi, quia huiuſmodi tentationes patietur hoc anno; tales enim cogitationes, talesq; orationes iam habuit in miſſa, & ſciatis quia magna perſona erit in ordine. Poſtea, cùm idem VValterus vidiſſet nouitium, cœpit per ambages illum interrogare, quid infra miſſas ſoleret orare, quidve cogitare: reſpondente illo, ſic & ſic orare conſueui: adiecit, Rogo etiam, vt dicatis mihi, quæ fuerit oratio, qualisúe cogitatio veſtra die illa Dominica infra miſſam. Cui cùm

1. Cor. 12.

1. Cor. 2.

cùm diceret nouitius, Cur tam diligenter inueſtigatis de cogitationibus meis? reſpondit; Dicite mihi, quod quæro, & ego vobis poſtea cauſam exponam. Tunc recitans ei nouitius per ordinem, quid orauerit, vel cogitauerit infra miſſam illam, in magnum eum vertit ſtuporem, quia nec in vno verbo diſcrepauit à verbis fratris Simon: mox ei inſinuãs quid de illo viderit, ſimul & modũm tentationis, monuit, vt cautus eſſet, ne fortè ſub ſpecie boni à diabolo deciperetur. Mira res: cùm ſatis idem nouitius admonitus, ſatisque præmunitus eſſet, non tamen euadere potuit tentationem prædictam, quin ſatis ab illa eodem anno vexaretur. Quam ſublimis perſona factus ſit poſtea, nõ ſolum in ordine, ſed & in eccleſia, nouimus oẽs. Primò Prior factus eſt in Vilaria, & deinde ibidem electus eſt in Abbatem; poſtea in Abbatem Clareuallis; deinde promotus in Abbatem Ciſtercienſem. Nec in illo gradu ſtare potuit, ſed à domino Honorio Papa vocatus eſt in Cardinalem & Epiſcopum Portuenſem. Quid adhuc futurum ſit de illo, ignoramus. Die quadam, cùm idem Simon in choro Vilarienſi ſtaret inter cæteros Conuerſos, Conuerſus quidam Euergildus nomine, frater carnalis, beatæ memoriæ, Vlrici eiuſdem domus monachi, ex oppoſito eius ſtans cœpit in eo ſcandaliſari, & dicere in corde ſuo: Non videtur mihi talis eſſe Conuerſus iſte, ſicut ab omnibus prædicatur; neque ea quæ dicit, ſpiritu dicere prophetico, ſed tantùm cõijciendo, & cœpit eum deſpicere. Mox finita hora, aſſumpto Vlrico monacho, cepit ei per ordinem replicare, quæ ille tractauerat in corde ſuo, dicens: Monete fratrẽ veſtrum, ne de cętero tam inſipienter gratiã Dei in alijs iudicet, ne fortè ex hoc vindictam ſentiat. Quod cùm feciſſet, expauit Euergildus, diſcens experimento, quod alijs narrantibus

Universidad de Deusto Biblioteca

credere non potuit de illo. Horum autem quę dicta sunt, testis est dominus Vvalterus Abbas Vilariensis, cuius superius feci mentionem, à cuius ore ea audiui. APOL. Stupenda sunt quæ dicis. CAESAR. Vix elapsi sunt anni quatuor, quod dominus Simon, nunc Abbas Fomacensis, tunc Prior ibidem, locum nostrũ visitans, eundem venerabilem Conuersum secum duxit, nec tamen, vt æstimo, ipso cõuerso petente; quamdiu apud nos fuit, quis esset, dicere noluit: cui quædam secreta, apud nos correctione digna, diuinitus sunt reuelata, quę recedens ipse quidam seniorum nostrorum indicauit, & ipse nobis, quæ postea vera esse comperimus. Eodem tempore veniens Coloniam, cùm in monasterio sanctæ Dei genitricis Mariæ ad orationem staret, sororesque psallere audiret, ingemiscens ait; Heu quod in omni collegio harum sanctimonialium, nec vna est de adultis, quæ charitatem habeat, id est, quæ sit sine peccato mortali. Hoc eum nosse per spiritum præscientiæ, nõ solum ex præcedentibus, sed & ex subsequentibus cognosces. Descendens cum prędicto Simone Priore frater Simon, ad partes inferiores, simul venerunt ad dominam Mithildam de * Sunthusen, matronam valdè honestam ac deuotam, quæ diu illum desiderauerat videre, eò quod multa audisset de eo; sedensq; iuxta eam per interpretem cogitationes cordis eius ei reuelauit, ita vt plurimum miraretur tantam in homine gratiam. Hæc ab eiusdẽ matronæ ore audiui; Verè, inquit, domine, ipse mihi dixit quæcunque cogitaui. Anno præterito, cùm dominus Engelbertus Archiepiscopus Coloniensis Decanum Hermannum, & Godescalcum eius concanonicus, direxisset ad curiam Romanam, pro absolutione crucis, & inuenissent eundem Simonem in quadam grangia, sciscitati sunt ab eo de processu negotij: sicut eis euenit

* al. Smitzhausen.

uenit, ita de eis prophetauit; Nuncij, inquit, Episcopi parum in curia proficient, monachus bene negotium suum expediet: vtrumque rei exitus comprobauit: nam illi, imperfecto negotio reuersi sunt: monachus verò noster, quẽ cum eis misimus, ibi obtinuit quod voluit. Sunt adhuc alia multa & magna Conuersi huius opera, quæ ad meam notitiam non peruenerunt, ex quibus tamen quædam audiui, quæ scribere nolui, eò quod relata minus bene retinuerim. Satius duxi etiam vera subticere, quàm falsa scribere. APOLLONIVS: Miror si vir talis ac tantus aliquas pertulerit tentationes? CAESARIVS: Sicut audiui à quodam eius familiari, ita eum vexabat, & fortè adhuc vexare non cessat, spiritus fornicationis per incentiua carnis, vt dicere possit cum Apostolo; Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus sathanæ, qui me colaphiset: Dicitur tamen adhuc corpore esse virgo; à pueritia enim in Alna nutritus, pecora eiusdem monasterij pauit; deinde factus Conuersus, adeò profecit, vt cuiusdã grangiæ magister efficeretur; qui bene ac fideliter administrans exteriora, sicut bonus ac fidelis dispensator, dona meruit interiora. APOLLONIVS: Vtinam haberent omnes confessores Conuersi huius spiritum, quia tunc confitentes nullum eis, siue per erubescentiam, siue per ignorantiam, possent subtrahere peccatum. CAESARIVS: Licet multis confessoribus desit spiritus prophetiæ, inest tamen plurimis spiritus sapientiæ atque prudentiæ, per quem defectus ille suppleatur. APOLLONIVS: Dic quæso, prodest aliquem peccata confiteri, retenta voluntate peccandi?

1. Cor. 12.

Universidad de Deusto Biblioteca

CAESARIVS.

CAPVT XXXIIII.

Confitenti necessarium esse propositum emendationis.

MOdicum prodest, quia Deus non proijcit iniquitatem, nisi homo prius malam proijciat voluntatem: qua proiecta, sequitur quod dicit propheta Michęas; Deponet omnes iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra. Iubemur enim per Prophetam Ezechielem, longè proijcere iniquitates nostras, non iuxta nos ponere, sicut illi faciunt, qui ante pascha peccata sua per confessionem, vt eis videtur, deponunt, & mox post octauam resumũt; Longè, inquit, proijcite iniquitas vestras. APOL. Estne melius sic confiteri, quàm omnino tacere? CAESARIVS: Melius, id est, vtilius est cum voluntate iterum peccandi confiteri, quã tacere. APOLLONIVS: Quare? CAESARIVS: Quia peccator in confessione a confessore per pœnam, quæ peccato debetur terretur, admonetur, & instruitur; & fit nonnunquam, vt tam verbis, quàm exemplis, ab illo edoctus, ad se reuertatur, & de sua peruersa voluntate conteratur. Quod si confessor iustus est, & pro confitente orat, Deus aliquando illum pro meritis eius illuminat. Vides quantus sit fructus in cõfessione? APOLLONIVS: Video & gaudeo, atq; de his exempla requiro. CAESARIVS: Quod quis à confessore territus, peccandi voluntatem deserat, exemplum hoc te doceat.

Mich. 7.
Ezech. 18.

CAPVT XXXV.

Per confessarium prudentem, pœnitentes interdum conuerti.

QVidam veniens ad confessionem, cuidam sacerdoti discreto cõfessus est illi peccata quædam criminalia: admonitus ab eo, vt peccata confessa desereret, deserta defleret, & de reliquo emendatius viueret, respondit; Confiteri possum, sed peccata dimittere non possum. Sacerdos hoc audito, pœnitentiam illi iniungere recusauit. Oblatus est ei ab illo nummus, quem quidem sacerdos recepit, sed in recedentis terga eundem cum clamore proiecit dicens; Pecunia tua tecum sit in perditionem. Ille verò tam de verbo, quàm de facto sui confessoris territus, in crastino redijt, & cõfessionem iterauit, pœnitentiam condignam suscepit & egit. Videns nunc quantum valeat prudentia confessoris? Si imprudens confitens tali modo non fuisset territus, fortassis nec esset iustificatus. Audi & aliud exemplum, quantum confitentibus prosit consilium bonum.

Actor. 8.

CAPVT XXXVI.

IN monasterio sancti Panthaleonis in Colonia Abbas quidam fuit, fratrem habens eiusdem ciuitatis conciuem, quem carnaliter diligens, sæpe pecuniam monasterij illi occultè largiebatur, quam propriæ substantiæ admiscens, & in ea negotians, quocunque perrexit, semper cum damno redijt, factaq; est ei, licet non aduerteret, monasterij pecunia, tanquam ignis, & substantia propria quasi stipula. Et cùm esset in mercationibus satis gnarus, atq; circumspectior cæteris suis sodalibus, illorum prosperitatem, suumq; dispendium mirari non sufficiebat. Cõpassus eius infœlicitati Abbas, cũ semper ei daret, & ille non proficeret, imò semper minus haberet, tandẽ ad paupertatẽ deuenit. Cui Abbas, quid est frater quod agis? quare tã viriliter cõsumis substantiã tuã ad confusionẽ tuã atq; meam? Respondit ille; Valde parcè viuo mercatũ meum diligentissimè custodio, & quid sit quod circa me agitur penitus ignoro. Tãdem in se reuersus venit ad sacerdotem, ei omnia circa se gesta aperiens per confessionem. Cui dixit sacerdos; Vtere consi-

consilijs meis,& citò diues eris; pecunia fratris tui furtum est,& ipsa substantiam tuam deuorauit; de cætero nihil recipias ab eo,& de modico, quod adhuc superest,negotiare , videbisque manum Domini super te bonam;quicquid autem lucratus fueris, medietatem fratri tuo reddes, de reliquo tu viues,& hoc tam diu facias,donec omnem pecuniam monasterij tibi datam illi restituas. Mira clementia Dei,obediens homo confessoris sui consilio, in breui adeò ditatus est,vt & ipse abundaret , & fratri recepta restitueret.Cui cùm Abbas diceret; Vnde tibi istæ diuitię frater?respondit,Quamdiu substantiam fratrum tuorum recepi , semper pauper & miser fui,& tu graniter peccasti , non tua mihi largiendo,ego verò aliena recipiẽdo: ex quo enim de his pœnitui,& furtum abhorrui , benedicente Domino abundaui. Ecce quantum valeat consiliũ bonum in confessione . Simile aliquid legitur in vitas patrum . Dicam tibi adhuc exemplum quod mihi retulit Hermannus Decanus Bonnensis,asserens etiam se audisse à sacerdote cui contigit.

CAPVT XXXVII.

DVO ciues Colonienses,inter cætera sua peccata , confessi sunt duo peccatorum genera, quæ quidẽ in se valde sunt magna , licet propter vsum,mercatoribus maximè, parua videantur,& quasi nulla, mendacium scilicet atque periurium;Domine,inquiunt,penè nihil possumus emere,nihil vendere,nisi oporteat nos mentiri, iurare,& sæpe peierare. Quibus cùm diceret plebanus,peccata ista valde sunt grauia , & à Saluatore prohibita, ipso dicente;Sit sermo vester,est,est;nõ non.Respõderunt; Non possumus hoc pręceptum in negotiationibus nostris custodire. Ait sacerdos; Vtimini consilio meo,& bene cedet vobis ; nolite men-

Matth.5.

mentiri, nolite iurare,sicut mercatum vestrũ dare vultis, sic ipsum laudate.Et promiserunt ei , quia tentare vellent vno anno;hoc enim petiuit. Impediente eos sathana,qui semper saluti humanæ aduersatur,penè nihil anno illo vendere potuerunt; reuersique anno euoluto ad suum plebanum, dixerunt ; Obedientia huius anni , multum nobis fuit damnosa, homines à nobis defluunt,nec aliquid sine iuramento vendere possumus.Tunc dixit sacerdos;Nolite timere,quia tentatio est , fixum tenete in corde vestro,quod nulla aduersitas, nulla etiam paupertas,vos à tali bono proposito auertat,&Dominus vobis benedicet.Promiseruntque ei Domino inspirante,quia custodire vellent eius consiliũ, & diuinum præceptum per omnes dies vitæ suæ, etiamsi oporteret eos mendicare. Mira res;statim Dominus immissam compescuit tentationem , & cœperunt eos homines plus quàm cæteros mercatores frequentare;factiq; sunt in breui diuites , ita vt mirarentur.Et reuersi ad suum confessorem, gratias egerunt,eò quod per eius salubre consilium,à tam grauibus peccatis forent exonerati, & foris in rebus ditati. APOLLONIVS: Huiusmodi exempla prædicari deberent in ecclesijs mercatoribus,fortè expauescerent de pecunijs malè conquisitis negotiari,& in suis venditionibus iurare,vel mentiri.CAESARIVS: Verum dicis. APOLLONIVS: Nunc audire delectat , quod quidam peccatores meritis sui confessoris iustificentur.

CAPVT XXXIIX.

CAESARIVS.

IN vita sancti Malachiæ Hibernensis Episcopi, qui nostris fuit temporibus, beatus Bernardus Abbas Claræuallis scribit, mulierem quandam

Universidad de Deusto Biblioteca

ita fuisse iracundam, vt animi eius furorem non vicini, non cognati, nec quidem ipsi filij eius possent sustinere; ad sanctum Malachiã illam ducentes, & querimoniam de ea facientes, vt eius miseretur deprecantur. Hortatur vir sanctus miseram ad confessionem; paret illa, iniungit pœnitentiam, orat Deum, vt impatienti tribuat patientiam. Et ecce, facta est super eam mutatio dexteræ excelsi. Tantam ab illa hora patientiam, & tranquillitatem propter confessoris sui merita Dominus illi tribuit, vt quæ prius omnes exasperare solita fuit, nullis damnis, siue contumelijs, deinceps turbari posset. Item quod quidam ex sola Dei misericordia in confessione conterantur, dictum est in secunda distinct. cap. ij. de monacho apostata, qui duo milia annorum elegit in purgatorio. APOLLONIVS: Quia tam multiplex est fructus confessionis, videtur mihi iustum, vt hi, qui alios debent mundare, ipsi sint mundi & sancti. CAESARIVS: Auscultа. Confessor vt sit perfectus, debet esse timoratus, prudens, & literatus, discretus & misericors, affabilis, paratus volentibus confiteri. Quantum inde bonum proueniat, si has virtutes habeat; mali verò, si eis careat, exempla varia te docebunt. APOLLONIVS: Existimo quòd multum detestetur in Sacerdotibus auaritiam Dominus.

CAPVT XXXIX.

CAESARIVS.

Auaritia sacerdotũ reprehenditur. Ierem. 6.

DE hoc non meam, sed ipsius Domini sententiam audias per os Ieremię prophetæ; Extendam, inquit, manus meas super habitantes terram: à minore vsque ad maiorem, omnes auaritiæ student: & à propheta vsque ad sacerdotem, omnes faciunt dolum. Item per Ezechielem;

Pre-

Propter pugillum hordei, & fragmen panis violabant me ad populum meum, vt interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent, quæ non viuunt. APOLLONIVS: Sicut audiui, quidam confessores pro vno gallinacio & vni sextario, multorum pœnam peccatorum vel relaxant, vel dissimulant. CAESARIVS: Idcirco eis per Osee dicitur; Peccata populi mei comederunt. Et hoc scias, quod non solum vitium auaritiæ, sed etiam vitium luxuriæ in sacerdotibus reprehendat Dominus, dicens per prophetam; Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ. Samaria interpretatur custodia, habitatores Samariæ sacerdotes sunt, qui semper in sui & aliorum sibi commissorum custodia manere debent: hi vaccas Bethauen colunt, dum luxuriosè viuunt; horum domus inutilis est, quia hoc Bethauen interpretatur; vaccæ, quæ animalia sunt lasciua, luxuriam designant, siue ipsas sacerdotum concubinas, quas heu multi hodie sine timore colunt. Quanta mala mali sacerdotes Deum non timentes committant in confessionibus, plurimis exemplis tibi possem ostendere, sed parcendum est ordini, parcendum serui, parcendum religioni. Vnum tamen tibi dicam ex remoto, quod quidam mihi sacerdos recitauit.

Ezech. 13.

Osee 4.

Osee 10.

CAPVT XL.

MAtrona quædam diues & honesta, peccata quędam commiserat tam inhonesta, vt nulli ea confiteri posset sacerdoti præ verecũdia. Die quadam infantem reperiens destitutum, leuauit, & loco filij illum nutriens, literis imbui fecit, atq; in sacerdotem ordinari. Tunc demum fiduciam sumens de exhibita caritate, cõfessa est ei peccata diu latẽtia: quib. auditis, stultus ille immemor impẽsi beneficij, ex hoc sumẽs audaciã, quia, si

quod

Universidad de Deusto Biblioteca

quod peteret negaret, minabatur se eius vitia velle propalare, cœpitque illam ad consensum suæ libidinis solicitare. Cuius verba cũ fœmina iam iustificata abhorreret, & ille contradicentem diffamaret, illa fiduciam habens de confessione, ne apud homines notæ perpetuæ subiaceret infamiæ, sufficienter se expurgans, beneficio confessionis liberata est, & criminator de prouincia eliminatus est. APOLLONIVS: Duo hæc exempla mihi sufficiũt de confessoribus malis; nunc aliquod mihi dicas de confessoribus timoratis.

CAPVT XLI.

CAESARIVS.

Confessarij probitas.

DVm quædam matrona nobilis, cum quodam Abbate ordinis nostri sub typo confessionis de secretis conscientiæ suę loqueretur, dixit se in eius amore grauiter succensam. Ille, sicut sacerdos iustus ac timens Deum, cor suum signauit, malè ad se conuersam, verbis quibus potuit auertit, dicens se monachum esse, senem, pannosum, ac neglectum: &, sicut ipse dixit cuidam monacho, qui mihi recitauit, fœmina eadem tam clara fuit, & tam potens, vt si essem, inquit, in seculo, sicut aliquando fui, nunquam illi de tali re nec in minimo verbo facere auderem mentionem. Cernis etiam, inquit, quomodo nobis iam mortuis seculo, diabolus insidietur? fuerat enim idem Abbas ante conuersionem miles in armis strenuus, pulcher, satisque nominatus. Et si vis scire, ipse erat dominus Abbas Carolus Vilariensis. APOLLONIVS: Vtinam haberent omnes confessores timorem Domini, vt vir iste. CAESARIVS: Non solum est eis necessarius timor Dei, quo se à peccato custodiant, sed etiam prudentia, per quam inter peccata discernant, vt cum claue potentiæ, in vsu habeant claue-

uem scientiæ, vt sciant differentiam inter scabiem & lepram, id est, inter veniale & mortale. Item inter lepram & lepram, id est, mortale & criminale, quia peccata peccatis sunt grauiora, siue venialia sint, siue mortalia, & secundum hoc satisfactio debet extendi, & de scabie siue lepra iudicari. *Confessarij prudentia.*

CAPVT XLVII.

QVidam sacerdos & plebanus in prouincia nostra est, qui in quadragesima venientibus sibi ad confessionem dicere consueuit; Qualis pœnitentia iniuncta fuit vobis ab antecessore meo, talem vobis modo iniungo: Alijs dicebat; Quod vobis iniunxi anno præterito, hoc & isto anno seruetis, non attendens quid postea peccauerint, vel qualiter pro præteritis satisfecerint. Hæc nobis recitauit vnus de parochianis eius.

CAPVT XLIII.

ALius quidam plebanus, sicut audiui ab eius successore, hanc habebat consuetudinem, vt in quadragesima cõfluentibus ad ecclesiam confessionis gratia parochianis suis, ipse sex, vel octo simul ducere ante altare, & stola collis eorum imposita, teuthonicè generalem eis prædiceret cõfessionem, singula verba eius illis post eum iterantibus; quibus omnibus similem atque eandem iniungens pœnitentiam, simul abire præcepit. Sic faciebat omnibus, nõ considerans quid fecerint, quis plus, quisue minus peccauerit. Defuncto eo, cum quidam ex parochianis vir grandæuus, & in secularibus prudens, pro successore eius mitteret, postulans sacram communionem, eò quod infirmaretur vsque ad mortem, veniens sacerdos dixit: Prius debetis facere confessionem. Respondit ille; Vos mihi eam facite. Notabat enim consuetudinem supradictam. Cumque sacerdos monendo illum, instaret,

Universidad de Deusto Biblioteca

ſtaret,commotus ille dixit;Certè domine nunquā mihi talia fecit prædeceſſor veſter. Et cùm negaret ei ſacram communionem,tandem in hæc verba prorupit;Confiteor me peccaſſe in adulterijs, furtis,rapinis,homicidijs,periurijs,alijsque criminibus multis.Tūc ſacerdos;Feciſti hęc omnia?reſpondit ille; Verè domine, nihil horum commiſi; ex antiqua tantùm conſuetudine ſic confitebatur, & non poterat eum inducere,vt peccata à ſe cōmiſſa confiteretur. Vides quales confeſſores, quales Doctores,quales animarum rectores. Vnde tanta negligentia, vnde tam ſtulta iudicia, niſi ex diuinæ legis ignorantia? Vis noſſe quantum proſint confitentibus confeſſores litterati? APOLLONIVS: Volo & deſidero.

CAPVT XLIIII.

CAESARIVS.

HErmannus Decanus Bonnenſis, quando plebanus fuit ad Sanctum Martinum in Colonia,venit ad eum mulier quædam tempore quadrageſimali peccata ſua confiteri. Flectens coram eo genua, quicquid ſe boni meminerat cōmiſiſſe,cœpit enumerare, & cum Phariſæo euangelico iuſtificare ſe dicens;Domine tot ſextis ferijs ſoleo per annum in pane & aqua ieiunare, & eleemoſynas dare,& eccleſias frequentare, & multa in hunc modum.Cui plebanus dixit;Ad quid domina veniſtis?nunquid pro iſtis operibus vultis ſuſcipere pœnitentiam?quare non dicitis peccata veſtra? Reſpondente illa:Nihil mihi conſcia ſum. ait plebanus;Cuius eſtis officij?Reſpondit mulier; Ferrū vendere ſoleo.ad quod ille; Soletis aliquando minores ferri particulas in ligaturis maioribus intermiſcere,vt ſic totum ſimul vendatis? Dicente illa; Soleo;Reſpondit; Ecce hoc mortale peccatum eſt, quia

quia dolus.Et adiecit; Soletis aliquando mentiri, iurare,peierare, æmulis veſtris maledicere,alijs plus vendentibus inuidere?Reſpondit illa;In talibus ſæpè excedo:Plebanus dixit;Et iſta omnia peccata ſunt mortalia,& niſi pœnitentiā egeretis condignam,ocyus ibitis in gehennam. Territa illa in verbis eius,peccaſſe ſe recognouit,& quid de cætero confiteri deberet,didicit. Bene iſte,vtpote vir prudens & literatus, nouit fodere parietem,& oſtendere idola in corde mulieris depicta. APOLLONIVS: Quid eſt fodere parietem? CAESARIVS:De peccatis, eiusque circumſtantijs interrogare cōfitentem;Verba ſunt Ezechielis, & à ſancto Gregorio plenè & excellenter expoſita. Cauere debet confeſſor,ne ſic incautè parietem, id eſt, confitentis conſcientiam per interrogationem fodiat,vt eum peccare doceat. Ezech. 8.

CAPVT XLV.

VIrgo quædam religioſa in partibus Brabantiæ ſacerdoti cuidam confeſſionem fecit; ille quidem, ſicut imprudens,incautè cœpit cōſcientiam eius fodere,id eſt,de quibuſdam peccatis ignotis,quæ nunquam fecerat, vel audierat, interrogare:quæ mox de eiſdē peccatis cœpit tentari,& in tantum turbari,vt diceret ſacerdoti:Malè habeat caput veſtrum, quod hodie feciſtis mihi horum mentionem.Et,ſicut alteri poſtea confeſſa eſt ſacerdoti, non ſine maximis laboribus ab eiſdem peccatis ſe continuit.Ita fodiendus eſt paries, ne domus deijciatur, ſic quærenda ſunt idola ſub ſtramentis,vt tabernaculum non euertatur. Debet tamen confeſſor valdè eſſe ſolicitus de peccatis ſibi commiſſorum, eoſque ad confeſſionem prouocare tam verbis,quam exemplo. Gregor.lib. 26. Moral. ca.4. & part. 2. curæ paſtor.cap. 10.

CAPVT

CAPVT XLVI.

ABbas quidam ordinis nostri, scire volens conscientiam alterius cuiusdam Abbatis filij sui, sicut ab eius ore audiui, generalem illi de peccatis suis fecit confessionem: deinde dixit; Domine Abbas, si vos aliquid vultis dicere, libenter audiam. verecundatus ille, confessus est ei versa vice peccata sua contra propositũ, prouocatus illius exemplo magis quàm verbo, non enim tenebatur ei confiteri. APOLLONIVS: Vt video, prudentia confessorib. satis necessaria. CAESARIVS: Hoc amplius in subiecto probabis exemplo: quod autem dicturus sum, didici à quodam venerabili sacerdote, Priore ordinis Præmonstratensis.

CAPVT XLVII.

ABbas quidam nigri ordinis, vir bonus & disciplinatus, monachos habebat satis mirabiles ac dissolutos. Die quadam, quidam ex eis præparauerant sibi diuersi generis carnes, & vina delicata: quibus cùm vti non auderent in aliqua officina, timore Abbatis, congregati sunt in vas vinarium maximum & vacuũ, quod vulgo dicitur tunna, illuc deferentes præparata. Dictum est Abbati, quod tales monachi, in vase tali, conuiuium celebrarent; qui statim cum magno mœrore animi accurrens, introspiciens, conuiuantium lætitiam sua præsentia conuertit in tristitiam; quos cùm territos aspiceret, iocunditatem simulans, intrauit ad illos, & ait; Eia fratres, voluistis sic sine me comedere & bibere? nõ hoc arbitror iustum: credite mihi, ego vobiscum prandebo, lauitque manus, cùm illis comedens & bibens, exẽplo tali, territos confortans. Die sequenti, Priore tamen præmonito, & quid facere deberet instructo, Abbas, monachis illis præsentibus, in capitulo coram illo surgens, & veniam

veniam petens cum multa humilitate, tremorem ac timorem simulans, in hæc verba prorupit; Confiteor vobis domine Prior, fratribus meis vniuersis, quod vitio gulæ victus, ego peccator heri in absconso loco, & quasi furtiuè in vase vinario, contra præceptum & regulam patris mei sancti Benedicti, carnes manducaui. Statim residens, cùm se inciperet præparare ad disciplinam, Priore vt hoc fieret prohibente, respondit; Sinite vt vapulẽ, quia melius est vt luam hic, quàm in futuro: qui cùm accepta disciplina, nec non & pœnitentia, reuersus fuisset in locum suum, prædicti monachi timentes ab eo proclamari, si dissimularent, vltrò surgẽtes, eundem confessi sunt excessum, quibus Abbas, à monacho ad hoc præordinato, dari iussit bonas ac fortes disciplinas, durius illos corripiens, & ne vnquam de cætero talia præsumerent, sub interminatione magnæ vindictæ præcipiens. Sicque prudens medicus, quos verbo minus emendare potuit, correxit exemplo. APOLLONIVS: Placet quod dicis. CAESARIVS: Audi nunc exemplũ, quod prudentia discretione temperanda sit.

CAPVT XLVIII.

Discretio confessarij.

PEccator quidam magnus, cùm pro suis peccatis nullam condignam suscipere vellet pœnitentiam, quia confessor valdè prudens ac discretus fuit, ait illi; Potes pro peccatis istis magnis saltem vnam orationem dominicam per singulos dies dicere? Respondente illo; Possum: eandem ei iniunxit. Mira clementia Dei, ita eadem oratio cœpit homini dulcescere, vt rediens amplius peteret, hocque tam diu faceret, quousque ad condignã peruenirem pęnitentiam. Ad discretionem confessoris pertinet, vt pro peccatis magnis, magnam; & pro paruis, paruam iniungat pœnitentiam. Et quia

Universidad de Deusto Biblioteca

omnis pœnitentia arbitraria est, secundum quaſitatem ſeu quantitatem pœnæ; Miſericordiam ſemper ſuperexaltet iudicio, ſiue ſecreta, ſiue manifeſta ſit confeſſio, vt idem ipſe conſequatur à Deo. *Iacob 2.*

CAPVT XLIX.

DOminus Giſilbertus Abbas in Hemmenrode, tantæ fuit miſericordiæ, vt ſi aliquando quis monachorum, ſiue Conuerſorũ coram eo proclamatus fuiſſet in capitulo, & ille, neglecta virtute patientiæ, extra ſe fieret, infirmitati illius compaſſus diceret; Bone frater, vade modò ſedere, & cras eandem culpam recognoſce. Qui datis inducijs, ad tranquillitatem animi reductus, & de cõmotione verecundatus in craſtino redijt, ſeq; peccaſſe recognoſcens, duram pœnitentiam, multa patientia ſuſcepit. Quantum etiam boni conferat pœnitentibus confeſſoris affabilitas, ſequens declarabit exemplum.

CAPVT L.

Affabilitas confeſſarij.

SVpradictus Decanus Bonnenſis, cùm tempore quodam quadrageſimali ſedens in eccleſia ſancti Martini, in qua erat plebanus, audiret confeſſionem cuiuſdam vetulæ, vidit eminus contra ſe duos ex parochianis ſuis in feneſtra ſedere, & fabulis vacare. Ex quibus vnus erat vſurarius, alter verò homicida manifeſtus. Vetula recedente, cùm acceſſiſſet ad eum confeſſionis gratia idem vſurarius, ait illi plebanus; Amice, ego & tu hodie bene decipiemus diabolum: tu tantùm verbotenus confitere peccata tua, voluntate peccandi depoſita, & acquieſce conſilio meo, & ego tibi vitam æternam promitto: ſic tibi temperabo pœnitentiam, vt non fiat tibi oneroſa. Bene nouerat vitium, in quo laborabat. Reſpondit ille; Si hoc quod pro-

promittitis conſtaret, libens vterer conſilio veſtro. Et promiſit ei. Qui cùm confeſſus fuiſſet, & abiurata vſura pœnitentiam ſuſcepiſſet, ſcio ſuo iam dicto homicidæ occurrens, ait; Verè dulciſſimum habemus ſacerdotem; nam pietate verborum ſuorum ad pœnitentiam me adduxit. Cuius exemplo ille prouocatus, ad confeſſionem venit, & ſimilia circa ſe pietatis ſentiens indicia, pœnitentiam ſuſcepit & expleuit. APOLLONIVS: Ex multis, quæ iam dicta ſunt, conſidero, quod confeſſio multam requirat perfectionem, tam in confitente, quàm in confeſſore. CAESARIVS: De vno adhuc ſupereſt dicendum, per quod omnes confeſſoris virtutes conſummantur, ſcilicet vt promptum & hilarem confiteri volentibus ſe exhibeat. De hoc habes exemplum in diſtinct. prima cap. ſexto, vbi Angelus domini Priori de Alna in ſpecie monachi improperauit, quod eundem monachum confiteri volentem, ſigno ſuſpendenderat. Si confeſſor ad hoc fuerit paratus, quantum placeat Deo, & quantum peccatoribus expediat, ſequens ſermo declarabit. *Promptitudo confeſſarij.*

CAPVT LI.

ANTE hoc biennium, cùm dominus Vvilhelmus Abbas Clarævallis cum cæteris Abbatibus contra Gallonem Cardinalem profectus fuiſſet Romam, quidam ex monachis eius cuidam ex confeſſoribus peccatum quoddam criminale confeſſus: cui dixit; Bene te audio, bonum conſilium do, ſed abſoluere te non potero, quia confeſſio hæc debita non eſt; conſulo, & rogo, vt confitearis Priori, qui poteſtatem habet. Illo reſpondente; Hoc nunquam faciam, confeſſor dolens, ac fluctuans corde, tacita perſona atque peccato, periculum confitentis domino Sigero

Priori reuelauit: qui multum dolens, & de salute periclitantis cogitans, magni cõsilij angelum cum lachrymis inuocauit. Eodem tempore, cùm Conuersus quidam ex eis peruersus multa furaretur, Prior Dei nutu, nacta occasione, in capitulo monachorum vitium furti exprobans, hoc adiecit; Si fortè aliquis est inter vos, cauteriatam habens conscientiam, ita vt non possit eam suo prælato aperire, pro tali tribus diebus vobis iniungo orationes. Omnibus orantibus, cuidam iuueni sacerdoti, nomine Vvilhelmo, in vigilia omnium Sãctorum cum lacrymis oranti, vox diuina respondit: Monacho pro quo oras, confessio sua, quia debita non fuit, nihil profuit, sed dic priori, vt cras dicta Prima, post Missam ante capitulum stet, ipse enim ad eum veniet: sicque factum est. Exhibente se Priore coram capitulo, ecce monachus venit, signumque confessionis Priori faciens, cum eo intrauit, & facta confessione cum multo gemitu & lacrymis, pœnitentiam condignam suscepit.

FINIS LIBRI Tertij.

CAPI-

CAPITA LIBRI quarti.

De eo quod vita religiosorum sit tentatio, & exemplum de rege Carlomanno, & de fure à sancto Bernardo à suspendio liberato cap. primum.

De septem vitijs principalibus cap. 2

De superbia & filiabus eius cap. 3

De Conuerso à spiritu superbiæ tentato, & per angelum, per ostensa cadauera mortuorum liberato cap. 4

De casto monacho, quem diabolus dixit se non timere, eò quod esset superbus cap. 5

De Theobaldo nouitio, qui immunditias bibendo, motus superbiæ restrinxit cap. 6

De sancto Bernardo Abbate, quem calceos suos inungentem, spiritus superbiæ subsannauit cap. 7

De monacho montis Cassini, qui in vigilia Paschæ, benedicto cereo, translatus est cap. 8

De clericis superbè cantantibus, quorum voces diabolus in saccum misit cap. 9

De sacerdote signato, quem diabolus, edito sermone à quodam prædicatore crucis, inuasit cap. 10

De vetula, quæ per choream verbum crucis à magistro Arnoldo prolatum impediens & irridens, infra triduum defuncta est cap. 11

De Philippo rege Francorum, qui nigrum monachum obstricta calceamenta reprehendit cap. 12

De Philippo rege Romanorum, qui Abbatem ordinis Cisterciensis eadem de causa notauit cap. 13

De Abbate, qui sedens in equo superbo, Frederico regi Roma-

Universidad de Deusto Biblioteca

Romanorum propinquare non potuit cap. 14
De pagano, qui apud Achonem dicebat Christianos propter superbiam, & gulam, de terra sancta eiectos cap. 15
De ira cap. 16
De eo, qui conseruum propter verbum cõtentiosum occidit cap. 17
De Priore, cui Christus in cruce nocte per visum apparuit spinis ligatus cap. 18
De Cellario, quem crucifixus per visum à se remouit, quia durius responderat Priori suo cap. 19
De scholare, qui tertio die defunctus est, eò quod maledixisset sancto Abrahæ cap. 20
De milite, cuius filium tonitruum occidit, eò quod ob intemperiem aëris in blasphemiam prorupisset cap. 21
De virgine iracunda, quam sepultam ignis ab vmbilico & supra deuorauit cap. 22
De Inuidia, & filiabus eius cap. 23
De monacho, qui ab altero ob inuidiam criminatus & incarceratus est, & gloriosè eductus cap. 24
De puella, quæ inuidebat studio consororis cap. 25
Exemplum contra inuidiam à magistro Rudolpho probatum cap. 26
De acedia & filiabus eius cap. 27
De monacho, quem acedia non sinebat surgere ad vigilias cap. 28
De sacerdote, cui in oratione dormitanti crucifixus dorsum verbebat cap. 29
De tentationibus atq; visionibus Christiani monachi vallis sancti Petri cap. 30
De Henrico Conuerso Vilariensi, qui grauiter tentatus fuit,

fuit, eò quod non esset filius legitimus cap. 31
De serpente, quem vidit frater Cõradus in dorso Conuersi dormitantis in choro cap. 32
De Conuerso, cui cattus visus est oculos claudere, cum in choro dormitaret cap. 33
De Frederico monacho, cui in choro dormitanti diabolus nodum stramineum in oculos iecit cap. 34
De monacho, circa quem in choro dormitantem, porci videbantur cap. 35
De domino Geuardo Abbate, qui monachos in sermone dormitantes per fabulam excitauit cap. 36
De Henrico milite apud nos curenam faciente, & de lapide in quo dormiebat tempore orationis cap. 37
De monacho in choro frequẽter dormitante, quem crucifixus in maxilla percussit & extinxit cap. 38
De puella reclusa, quæ Deum & Angelos esset dubitans, de corpore egressa, per spiritum vidit angelos scilicet & animas, sicq; ad corpus regressa est cap. 39
De sanctimoniali, quæ in fide dubitans & desperans, in Mosellam se præcipitauit cap. 40
De Conuerso, qui ex desperatione in piscina se suffocauit cap. 41
De sanctimoniali, quæ à quodã maligno Conuerso dementata, in puteum se præcipitauit cap. 42
De iuuencula, quæ ex tristitia se suspendit, ab amasio suo contempta cap. 43
De adolescente, qui vestibus suis delusis, ex tristitia se suspendit cap. 44
De Baldeuino monacho quandoq; in Brunsvich aduocato cap. 45
De Scholastico, qui annum probationis impleuit in ma-

Universidad de Deusto Biblioteca

gro ordine timore silentij cap. 46
De prælato, qui ordinem vocauit tentationem cap. 47
De milite, qui ordinem vitauit timore pediculorum cap. 48
De tentationibus Godefridi Scholastici sancti Andreæ in Colonia cap. 49
De tentatione Reyneri successoris eiusdem cap. 50
De nouitio, qui anno probationis completo, se radi non permisit cap. 51
De nouitio à spiritu blasphemiæ tentato, & in contemplatione crucifixi liberato cap. 52
De nouitio tentato, & per nocturnam visionem duarũ viarum ad vitam reducto cap. 53
De Gerhardo nouitio in Alna, qui per Alleluia, in somnis audito à tentatione sua liberatus est cap. 54
De monacho in Ottirburg, qui per versiculum, Diabolus egredietur ante pedes eius, à tentatione apostasiæ liberatus est cap. 55
De sanctimoniali, quæ dum nocte vellet ire ad seculum, & caput ostio illideret, à tentatione liberata est cap. 56
De auaritia & filiabus eius cap. 57
De Cæsario milite, qui canonicis Bonnensibus debitam pecuniam negauit, & gressum perdidit cap. 58
De monasterio, quod Dominus ob fraudem Cellerariĩ plagauit cap. 59
De plaga Domus Vilariensis cap. 60
De Abbate, qui Cellerario suo ob dolum deposito, aduersarijs bona, pro quibus contendebant: vltrò dimisit, & eadem ab eis coactus recepit cap. 61
De Vlrico præposito Steinueldensi, & Conuerso auaro, quem

quem amouit cap. 62
De Abbate, qui audiuit in oratione, Dedisti hæreditatem timentibus te, dum timeret Abbatiam à potente ædificatam suscipere cap. 63
Quid Episcopus Philippus dixerit, cùm domum nostrã construeret cap. 64
De largitate pauperibus famis tempore, à domo vallis S. Petri exhibita cap. 65
Item de humanitate, quam domus in Hemmenrode eodem tempore in pauperes fecit, & quòd multò plus à Deo recepit cap. 66
Item de claustro Vvestfaliæ, cui Deus expensas pauperibus exhibitas duplo restituit cap. 67
De claustro ob Abbatis auaritiam depauperato, & ob receptionem duorum fratrum, scilicet, Date & Dabitur, rursum ditato cap. 68
De fœmina, quæ hospitalitatem Abbatibus Cisterciensis ordinis exhibuit, & ditata est, & eãdem exclusa, pauperata cap. 69
Quomodo intelligendum sit, Date & dabitur vobis cap. 70
De hospitalitate monachorum de Lacu cap. 71
De inhospitali Præposito nigri ordinis cap. 72
De gula & filiabus eius cap. 73
De Conrado scholare, qui propter esum vnius pomi, auunculi sui gratia priuatus est cap. 74
De seruo, qui pixide contra præceptum domini sui aperta, gratiam eius perdidit cap. 75
De vxore militis, quæ tentatione victa, paludem à marito prohibitam intrauit cap. 76
De milite pœnitente, quem tentatio arboris vetitæ extinxit, sed non superauit cap. 77

Universidad de Deusto Biblioteca

De tribus granis, quibus Abbas Gisilbertus se condire dicebat pulmenta monachorum cap. 78
De sermone monachi illiterati ad Henricum Cardinalem Albanensem cap. 79
De clerico, cui Christus panem hordeaceũ lateri suo intinctum porrexit cap. 80
De nouitio, quem diabolus formam dimidij panis offerendo decepit cap. 81
De Arnoldo monacho, cui in choro dormitanti, diabolus carnes obtulit cap. 82
De Conuerso in Missa dormitanti, diabolus carnes obtulit cap. 83
De virgine abstinente, cui diabolus anserem obtulit cap. 84
De Conuerso in cellario comedente carnes cap. 85
De gallina, cuius viscera versa sunt in bufonem cap 86
De Hermanno incluso, cui diabolus pro piscibus obtulit stercera equina cap. 87
De Steinhardo proditore, qui per allia cecidit cap. 88
De Florino Præposito, cui morsellus carnium gutturi infixum est cap. 89
De cellerario, qui post completorium sitiens, inclinando liberatus est cap. 90
De Henrico cognomento Fig. cap. 91
De luxuria & filiabus eius cap. 92
De milite Conuerso, quem vxor tempore tentationis repetiuit cap. 93
De graui tentatione Richvvini cellerarij ob literas cuiusdam sanctimonialis cap. 94
De iuuene per verba hæc, Diabole, confessor meus præcipit tibi, vt cesses me tentare, à stimulo carnis liberato cap. 95

De ten-

De tentationibus monachi, qui resistendo coronam meruit imperialem cap. 96
De Bernardo monacho tentato, qui se in somnis vidit eunuchizari cap. 97
Vita domini Euerhardi plebani sancti Iacobi cap. 98
De Clerico in Susatia ad accusationem adulteræ combusto cap. 99
De Conuerso, ad cuius pedes ancilla sibi lectum fecit cap. 100
De Præposito, qui moriens spe conualescentiæ cum fœmina peccauit cap. 101
De nobili Castellana, quæ stimulum carnis in aqua restrinxit cap. 102
De sanctimoniali in Anglia, quæ à suo pronisore tentata est cap. 103

FINIS CAPITVM.

DE

Universidad de Deusto Biblioteca

DE TENTATIONE LIBRI QVARTI

CAPVT PRIMVM.

CAESARIVS:

Tentatio quid sit, & vnde.

Exod.15.16.

ASCENDENTES filij Israel de Aegypto, mox tentati sunt in deserto. AEgyptus designat mundum, siue peccatum, desertum monasterium: respectu enim multitudinis, à multis deseritur, & à paucis incolitur. AEgyptus interpretatur tenebræ, vel tribulatio, vel angustia, persequens: & vbi maiores tenebræ, tribulationes, angustiæ & persecutio, quam in mundo, & in peccato? Nusquam. Filij Israel sunt electi quique, qui statim vt egressi fuerint de seculo per conuersionem, & de peccato per contritionem atque confessionem, vix esse potest, quin in monasterio quasi in deserto, circa principium maximè, multimodam incurrant tentationem. Et congruè videtur in quarta distinctione esse tractãdum de tentatione, quia quaternarius stabilitatis numerus est: corpus enim quadratum, in quamcunque partem vergat, stationem naturalem seruat. Cùm peccator ad Dominum corpore, deserendo seculum, fuerit conuersus, corde pro peccatis suis contritus, & oris confessione iustificatus atq; confirmatus, tunc ad pugnam tentationis procedet securius, & cũ hoste dimicabit efficacius. Vnde Saluator post baptismum, non ante, permisit se tentari à diabolo. Confessio oris cum contritione cordis, secundus baptismus est. Hinc est quod Apostoli post

Matth.4.

li post aduentum Spiritus Sancti, persecutionibus exponuntur, in cuius figuram mox post Pentecosten, libri Regum leguntur, in quibus bella fidelis populi cum gentibus, id est, virtutum cum vitijs, commemorantur. APOLLONIVS: Videtur is rectus esse ordo iustificationis, vt sicut contritionem confessio, ita confessionem sequi debeat satisfactio. CAESARIVS: Iustè quidem moueris, sed tentationis vim non intelligis. Quod apud religiosos, & maximè in ordine monastico, satisfactio pro peccatis siue pœnitentia sit tentatio, facilè tibi ex verbis bene experti, id est, sancti Iob probabo: ait enim, Militia est vita hominis super terram. Alia translatio habet, Tentatio est vita hominis super terrã: & militia est, & tentatio; militia est propter exercitium; tentatio propter laborem & periculum. Et nota quod non dicitur, tentatio est vita animalis, sed hominis, id est, humanè & rationabiliter viuentis, qualis est vita religiosorum, qui secundum spiritum viuunt, & carnis desideria non perficiunt. Seculares verò atque carnales, qui secundum carnem ambulant, impropriè tentari dicuntur, quia mox vt tentamenta sentiunt, vel consentiunt, vel tepidè resistunt, similes equo & mulo, quibus non est intellectus. Si ergo tentatio est religiosorum vita, qui vigilando, ieiunando, orando, in prosperis & aduersis obediendo propter Christum, nihil in hoc mũdo terreni possidendo, semper vitijs & concupiscentijs contradicunt, necesse est, vt ipsam tentationem concedas pro peccatis illorum satisfactionem. Venientibus ad ordinem nostrũ, etiam si innumera & grauissima commiserunt peccata, nil eis aliud iniungitur pro satisfactione, nisi vt ordinem seruent. Hinc est quod Sanctus Bernardus, cùm tempore quodam quendã regem Francorum in ordinem recepisset, illi solum-

Actor.2.

Iob 7.

Galat.5.

Psalm.31.

Universidad de Deusto Biblioteca

summodo post confessionem, dominicam orationem iniunxit: quo turbato, putans sibi à sancto illudi, respondit Abbas beatus: Tu tantùm orationem hanc dicito, & ordinè custodi, & ego pro peccatis tuis rationem reddã in die iudicij. Item cùm idem sanctus casu trãsiret, vbi homo reus erat suspendendus, & peteret eum sibi dari, iudexq; diceret, Domine fur est, & suspendio dignus. Respondit Abbas; Da mihi eũ, & ego suspendam illũ; ordinis districtionẽ suspendiũ appellans. Hoc indultũ est ordini à sede Apostolica, vt eius obseruatio, pro qualibet satisfactione peccatorib° sufficiat. APOLLONIVS: Si religio nostra pro peccatis nostris est satisfactio, & eadem satisfactio exterior est tentatio, nosse vellem in quibus, vel à quibus tentemur. CAESARIVS: In quibus tentamur, quatuor sũt, Deus, caro, mundus, & diabolus. Quod à Deo tentemur testis est Moyses dicẽs: Tentauit Deus Abraham. Item: Tentat vos Dominus Deus vester. Deus verò, secundum quod Apostolus Iacobus ait, intẽtator malorũ est. Tres residui tẽtatores, hostes sunt, & ideo vt hostes cauendi. Cedendo eis, confundimur; resistendo, meremur; vincendo, coronamur. Quantus sit in tentatione labor, quantus timor, quantum dispendium, quantumúe meritum, sequentia declarabant exempla.

Genes. 22. Deut 13. Iac. 1.

CAPVT II.

De 7. vitijs capitalibus.

SEPTEM sunt vitia principalia de vna virulenta radice, superbia scilicet, pullulantia, ex quibus vniuersa penè procedunt tentamenta. Primum vitium superbię succedens est inanis gloria, secũdum ira, tertium inuidia, quartum acedia, quintum auaritia, sextum gula vel gastrimargia, septimum luxuria. Ex his quædam spiritualia sunt, vt inanis gloria, ira, inuidia: quædam corporalia, vt gula & luxuria: quddam mixta, vt acedia, auaritia. Acedia, quantum pertinet ad dolorem cordis, vitium spirituale est; quantum ad torporem corporis, corporale est. Septem istæ pestes, septẽ sunt riuuli, quibus irrigatur terra AEgypti, id est, tenebrosum cor peccatoris. Et sicut Nilus, ex cuius abundantia diuiduntur septẽ riuuli, fluit de paradiso, & deriuatur per AEgyptũ: Ita Lucifer eiectus de cælo propter superbiam, per hęc septem vitia se diffundit per cor humanum peccatis mortalibus tenebrosum. Septem ista vitia designant septem illas gentes immundas, quas Dominus à facie Israël de terra promissionis deleuit. Designantur etiam per dæmonia septem, quæ Saluator de corde Mariæ Magdalenæ eiecit. Ex quatuor rotis huius septenarij Ioêl Propheta quadrigam construit Pharaoni, dicens; Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuũ bruchi comedit rubigo. Per erucam beatus Gregorius notat libidinem, per locustam inanem gloriam, per bruchum ingluuiem ventris, per rubiginem iram. Multi domant libidinem, sed inde eriguntur in superbiam: de superbia ruunt in ingluuiem, de nimia comestione & ebrietate in iram vertuntur. Tres equi hunc currum trahentes, tria vitia sunt residua, inuidia scilicet, tristitia, & auaritia. Ecce tria & quatuor scelera, quibus diabolus vehitur secundum Amos prophetam in Damascum, in Gazam, in Tyrum, in Edom, in Ammon, in Moab, etiam in Iudam, & in Israël. APOLLONIVS: Cùm vitijs istis tentamur, sicut in nobis, vel extra nos? CAESARIVS: Post ingressum virtutum, non sunt in nobis per habitum & vsum, sed secundũ fomitem. Sicut in ingressu filiorum Israël, septẽ illæ gentes nõ sunt omninò deletæ, sed

Deut. 7. Lucæ 8. Ioel. 1. Gregor. lib. 33. Moral. cap. 39. Amos 1. 2.

Universidad de Deusto Biblioteca

tæ, sed tributis subactæ: sic ingressis virtutibus in terram cordis nostri, vitia non prorsus extinguuntur, sed restringuntur. Et sicut postea filij Israël sæpius à reliquijs earundem gentium impugnabantur, ita per fomitem vitiorum, frequenter virtutes nostræ tentantur & exercitantur. APOLLONIVS: Rogo vt de viribus horum septem vitiorum me expedias, & quàm acriter nos tentent, subiunctis exemplis ostendas.

CAPVT III.

CAESARIVS.

De superbia.

SVperbia, quæ primum locum tenet inter vitia, est singularis excellentiæ super alios quidam appetitus: vnde dicta est superbia, quasi suprabriam, id est, mensuram se extollens. Sub hoc vitio in prædicto septenario à quibusdam inanis gloria comprehenditur. Duo enim genera sunt superbiæ, vnum est intus in cordis elatione, alterum foris in operis ostensione: primum propriè dicitur superbia, alterum iactantia, vel inanis gloria. Superbiæ propagines & vires sunt inobedientia, inconstantia, hypocrisis, contentiones, pertinacia, discordia, nouitatum præsumptiones. Quantum per vitium superbiæ caro, mundus, & diabolus, non solum seculares, sed & personas claustrales tentent, sequentia declarabunt.

CAPVT IV.

Apostatare, ex superbia volens, in spectu cadaueribus, resipiscit.

IN Hemmenrode Conuersus quidam fuit natione Coloniensis, nomine Liffardus, vir satis humilis ac mansuetus; huius erat officij, sues monasterij custodire. Circa finem vitæ eius, sicut mihi retulit dominus Hermannus, tunc Abbas illius, tali ordine tetatus est à spiritu superbiæ. Cùm esset

esset senex, & diu porcos pauisset, talia cœpit in cogitationibus suis tractare; Quid est quod ago? Homo sum bene natus, sed propter hoc vile officium omnibus amicis meis despectus: nõ ero diutius in hoc loco subulcus ad illorum confusionẽ, ex quo mihi non parcitur, recedam hinc. Qui cùm fixum teneret in animo, quod manè recederet de monasterio, tentationes diutius non valens sustinere, nocte eadem, cùm in lecto suo sederet & vigilaret, persona quædam reuerenda illi apparuit, & vt se sequeretur manu signauit. Mox ille surgens, calceamenta induit, & præcedentem secutus, ad ostium dormitorij venit: quo cælitus patefacto, simul ad ianuam accesserunt ecclesiæ, quam eadem potentia considerans apertam, simul ingressi sunt. Ita ei signis erat importunus, vt non posset non sequi præcedentem. Cumq; duceretur per medium chorum Conuersorum, & coram altari Sancti Ioannis Baptistæ transiens, profundè inclinaret & ordinatè, inclinauit & ille dicens; Bene fecisti, sic profundè inclinando: venientesque ad meridionale ostium ecclesiæ, per quod itur in claustrum, viderunt illud ostium similiter apertum, quod ducit ad cœmiterium. Vniuersa hæc ostia noctibus etiã clauibus firmantur. His visis, frater Liffardus miratus est valdè, nec tamen ausus fuit illum interrogare, tu quis es; vel quò me ducis? Ingressis eis cœmiterium, statim aperta sunt sepulchra omnia mortuorum, & cùm Conuersum duxisset ad hominem recenter sepultum, dicebat illi; Vides hunc hominem? Citò talis eris, quò vis ire? Quem cùm adhuc ducere vellet ad alia corpora putrida, multumque fœtentia, cœpit Conuersus reniti & clamare, parce mihi domine, parce, nõ enim illa possum videre. Cui ductor respondit; Si non potes hoc quod citò eris videre, vt quid propter modi-

Universidad de Deusto Biblioteca

cam superbiam, vis de portu salutis recedere? Si ergo vis vt parcam tibi, promitte mihi, quod non recedas ab hoc loco. Et promisit ei. Quem cùm reduceret, mox clausa sunt sepulchra, clausa sunt post eos ostia singula; & cùm transiret ante altare Conuersorum, ibiq; inclinaret, denuo de hoc eum commendauit; satis ostendens, quod Deo placeret inclinatio profunda. Ingressis eis dormitoriũ, statim post eos clausum est ostium; mox verò vt Conuersus in suum lectum se reclinauit, persona ducẽtis disparuit, & ab illa hora tentatio immissa cessauit. APOLLONIVS: Puto angelum Domini fuisse personam illam, qui Conuersum superbientem tam horrenda visione erudiret, & ad statum humilitatis reduceret. CAESARIVS: Bene sentis: tanta enim est clementia Redemptoris, vt licet sinat suos aliquando seruos grauibus tentationibus pulsari, non tamen eosdem permittit, tentationibus cedendo, mercede suorum laborum fraudari. APOLLONIVS: Timeo quod sæpè inanis gloria religiosorum merita impediat. CAESARIVS: Vana gloria, virtutibus nimis est importuna, & de sanctitate nascitur.

CAPVT V.

Virginitas sine humilitate dæmon non timet.

OBsessum quẽdam amici sui ad quoddam cœnobium ordinis nostri, spe liberationis, traxerunt. Ad quem egressus Prior, assumpto secum monacho magnæ opinionis adolescẽte, quem nouerat virginem corpore, ait dæmoni; Si præceperit tibi monachus iste vt exeas, quomodo audebis manere? Respondit dæmon; Non eum timeo: superbus est enim. APOLLONIVS: Ex hoc loco satis intelligo, quod ex virtute corporalis innocentiæ, in mente huius monachi natum sit vitium inanis gloriæ. CAESARIVS: Nec Deo placet, nec diabo-

diabolus timet sine humilitate virginitatem, cùm tamen Deo placeat, & diabolus timeat sine virginitate humilitatem. Ecce exemplum:

CAPVT VI.

Humilitatẽ odit diabolus.

APud nos quidam monachus fuit, nomine Theobaldus, ante conuersionem leccator opere, vino, & tesseris deditus totus, & propter suam scurrilitatem in tota ciuitate Coloniensi notissimus. Sæpe illum nudum per plateas eiusdem ciuitatis intercedere vidi. Tandem de scurrilitate sua compunctus, ad intercessionem Priorum Coloniensium, à domino Geuardo Abbate nostro susceptus, in domo nostra nouitius est effectus. Cũ esset in probatione, sperans Deo nihil esse acceptabilius operibus humilitatis, vt sibi lauare concederetur panniculos cauteriorum petiuit, & obtinuit. Quod cũ fecisset per dies aliquot, tẽtator adfuit, & sagitta superbiæ cor eius vulnerans, huiusmodi cogitationes immisit; Quid agis ò stulte? quid ad te pertinet horum immunditias, quorũ tu fortè natione maior es, lauare? Dũ huiusmodi cogitationes aliquanto tempore in eius corde versarẽtur, à diabolo illas esse intelligẽs, qui rex est super oẽs filios superbiẽ, die quadam panniculos, solito diligentius lauit, & vt diabolum amplius confunderet, immissamque superbiam retunderet, ipsam ablutionem bibit. Vidit hęc diabolus, & inuidit, & quem per spiritum superbiæ prosternere non potuit, terroribus aggressus est. Hæc quæ dicta sunt retulit mihi dominus Henricus Abbas noster, asserens se ab eius ore audiuisse sub typo confessionis. Ex ipsa.n. immunda & fœtida potatione, ita in vẽtre torsionibus fortissimis torquebatur, vt oĩa eius interiora disrũpi viderentur. Nocte quadã, cũ natura cogẽte iret ad priuatã, duos homines in trabẽ

Iob 41.

ciusdem camerę suspensos vidit: erant eorum corpora nigra, vestimenta laniata, facies velatæ, vt nihil aliud quàm fures putarentur. Quos cùm nouitius ex improuiso conspexit, valde territus, & penè extra mentem factus, ad dormitorium recurrit, & iuxta lectum Henrici monachi, postea maioris Cellerarij, anhelus resedit, &, sicut mihi idem Henricus recitauit, ita contremuit, ita crebris singultibus pectus pulsauit, vt valdè miraretur quid haberet, vel quid vidisset. Cui cùm signasset vt iret dormitum, eò quod frigus esset, & ille in sola tunica sederet, non acquieuit. Tunc scapulis eius partē operimenti sui iniecit, sicque vsque ad signa matutinalia sedere permisit. APOLLONIVS: Mirum quod paries nouus tam validè impulsus, subsistere potuit. CAESARIVS: Diu non stetit, quia crebris tentationum ictibus quassatus, tandem sub specie boni deceptus est, & deiectus. Factus verò monachus, vt sibi liceret visitare cognatos suos in Francia, quos ante conuersionem in viginti annis non viderat, nec videre curauerat, & illic esse per annum in quadam domo ordinis nosti ab Abbate cū multa importunitate extorsit. Iuit, & redijt, ac deinde apostasiam incurrens, extra ordinem defunctus est. Retulit enim nobis quidam vagus clericus, qui etiam fini eius interfuit, quod cuidam secularr sacerdoti fuerit confessus, & ab eo inūctus, atque communicatus, sicque in bona contritione defunctus est. APOLLONIVS: Ex nimis importuna dæmonum tētatione hic disco, plus eos timuisse nouitij huius humilitatem, quam supradicti monachi virginitatem. CAESARIVS: Quàm contraria sit illorum superbię vera humilitas, ex sequenti capitulo pleniùs agnosces. Quod dicturus sum de S. Bernardo gestum audiui, & quia nusquam scriptum inueni, scripto mandare dignum duxi.

CAPVT

CAPVT VII.

DIE quadam, humilitatis causa, Sanctus Abbas Bernardus à ferrario sibi iussit vnguentum dari, & in calefactorio ignem fieri: qui super se ostium claudens, ne ex opere tam despecto laudem quęrere videretur, calceos suos iniungere cœpit. Inuidens tantæ humilitati superbiæ spiritus, officinam humilitatis in forma honesti hospitis intrauit, & vbi esset Abbas clara voce requisiuit. Ad quem cùm vir sanctus oculos leuasset, dæmon clamauit, VVach qualis Abbas? certè magis diceret illius honestatem hospitibus occurrere, quàm ad confusionem fratrum suorum in calceis inungendis occupari. Statim vir sanctus per sanctum Spiritum illum intelligens spiritum esse immundum, rursum ad opus humilitatis oculos reflexit, & spiritus ille ventosus in aërem resolutus nusquam comparuit. APOLLON. Si viri iusti in operibus despectis timent elationem, vel, quod minus est, notari ab illa, multum nobis cauendum est, de vana gloria, quando opera exercemus sancta & honesta. CAESARIVS: Quid appellas opera sancta & honesta? APOLLONIVS: Orare, cantare, prædicare, hisque similia. CAESARIVS: Nobis, qui iusti nondum sumus, vt dicis, plurimum cauendum est, de inani gloria, quia orantes frequenter etiam nolentes extollit ipsa lachrymarum gratia, & deuotio cordis; cantantes siue psallentes dulcedo vel sonoritas vocis; prædicantes sæpè tentat & inflat scientia, eloquentia, & sublimitas sermonis. Alij, quod omnino stultitiæ deputandum est, cùm non habeant gratiam orandi, vel vocem cantandi, siue scientiam facundiamque prædicandi, quasi de habitis gloriantur. Quod etiam maioris dementiæ est, quidam ad hoc tantum orant, cantant, prædi-

Inanis gloria cauenda in bonis operibus.

cant, vt laudem humanam, atque temporale emolumentum ex eis consequantur. De talibus Saluator dicit in Euangelio: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam, id est, hoc quod quæsierunt, laudem scilicet hominum & lucrum. Ita iam dictis operibus sanctis, quod quosdam tantum superbia ad meritum tãgit; alios per delectationem angit; plurimos, vt hypocritas, per consensum & desiderium victos fortiter premit. Vis nunc aliqua de talibus audire exempla? APOLLONIVS: Hoc dudum desideraui. CAESARIVS: De excellentia orationis habes exemplum in secunda distinctione, capite vicesimo secundo, vbi diabolus ad monachi lacrymas respexit, cùm eum gratia eadẽ extulisset. Quantum sit periculum in vocis extollentia, exempla te instruent subsequentia.

Matt. 6.

CAPVT VIII.

Iuuenis gloria ex voce canora quæsita.

SICVT didici, non ex lectione, sed ex cuiusdam magni, tam vita, quàm doctrina viri relatione, monachus quidam erat in monte Cassiuo, vocem habens suauissimã, hic cùm in Vigilia Paschæ in veste leuitica cereum benediceret, & voce dulcissima dulcissimam eiusdem benedictionis melodiam resonaret, & vox eius in auribus omnium, tanquam musica in cõuiuio vini, benedicto cereo, aliorsum translatus nusquam comparuit; & nescitur vsq; in hodiernũ diem, à quo sit translatus, vel in quem locum depositus. APOLLONIVS: Quid si illum transtulit Angelus Domini? CAESARIVS: Hoc non est visum Fratribus, qui eius vitam nouerant. Magis timetur, quod raptus eius fuerat vitiũ suborte elationis, quàm meritum deuotionis. Audi quid Augustinus dicat: Quotiens, inquit me plus delectat cantus, quàm res quæ cantatur, totiens peccaliter me peccare confiteor. Et organum illud sancti

Eccli. 49.

Lib. 10. Confess. cap. 33.

Sancti Spiritus, Beatus scilicet Papa Gregorius etiam dicit; Cùm blanda vox quæritur, vita sobria deseritur. Ecce exemplum.

CAPVT IX.

TEmpore quodam, clericis quibusdam in ecclesia quadam seculari fortiter, id est, clamorosè, cantantibus, nõ deuotò, & voces tumultuosas in sublime tollentibus, vidit homo quidam religiosus, qui fortè tunc adfuit, quendam dæmonem in loco eminentiori stantem, saccum magnũ & longum in sinistra manu tenere, qui cantantium voces dextra latius extensa capiebat, ac in eũdem saccum mittebat. Illis expleto cantu inter se gloriantibus, tanquam qui bene & fortiter Deum laudassent respondit ille, qui viderat visionem; Bene quidem cantastis, sed saccum plenum cantastis. Mirantibus illis, & interrogantibus cur hoc diceret visionem eis exposuit. Hæc mihi retulit Abbas ordinis Cisterciensis, vir summæ grauitatis. His exemplis non confunditur deuotus clamor, quo Deus laudatur in cantu & psalmodia, sed tantùm inanis gloria. Memini Prophetam dixisse: Circuibo & immolabo in tabernaculo eius hostiam vociferationis, cantabo & psalmum dicam Domino. Quantum ei placeat deuota vocum exaltatio, satis audies in sequenti distinct. cap. v. Ibidem inuenies, quantum dæmones lætentur ex hoc, si sine humilitate in psalmodia voces exaltentur. Audi nunc exemplũ satis terribile de superba, & lucratiua prædicatione.

Psal. 26.

CAPVT X.

EO tempore, quo Oliuerus Scholasticus Coloniensis, cuius in distinctione secunda mentionem feci, crucem prædicauit inter Brugas & Gan-

Cancionarii ob vanam gloriam.

Gandauum ciuitates Flandriæ, venit ad fratrem Bernardum monachum nostrum, qui tũc comes erat verbi, & collega eiusdem Oliueri, Sacerdos quidam Segerus nomine, in habitu religioso, cappam habens in pectore signatam, quasi Templarij: erat autem facie pulcher, statura procerus, atque in suo idiomate satis facundus. Hic cùm obtulisset iam dicto Bernardo gemmam diuersi coloris, & dixisset se illam attulisse de * Septia, & tantæ esse virtutis, vt victoriosos efficeret, quia ea vterẽtur. Respondit ille: Domine, vestra non recipiam, si potero vos apud magistrum rationabiliter promouere, bene experiemini. Ad hoc videbatur laborare, vt haberet auctoritatem ab illo prædicandi. Eadem die concessum est ei sermonem facere ad popolum. Sequenti die, cùm præfatus Bernardus in proxima statione verbũ exhortationis proposuisset turbis, & Segerus adesset, finito sermone idem Segerus pronus in terram corruit, & quasi obsessus, sicut reuera fuit, omnes sui corporis gestus formauit. Mox accurrens magister Oliuerus cum clericis, hominem signauit, & in ecclesiã tractum coram altari deposuit, vbi multas blasphemias, & verba quædã horribilia miser ille in Deũ, & in eundem Oliuerum euomuit. Tunc corio ligatus, curruiq; impositus, ad notos suos deportatus est; quem, vt aiunt, dęmon quinta die, prout ei promiserat, extinxit. Ex cuius vexatione seu morte satis datur intelligi, quod eius prædicatio non fuerit deuotionis, sed magis ambitionis. Dicitur & apostata fuisse, & à domino Papa literas, vt eũ prouincia toleraret, obtinuisse. Alij dicebat, quod etiam fuerit in naue illa excommunicata, quę Sarracenis arma bellica vendiderat in Septia. APOLLONIVS: Miror quare Dominus in isto huiusmodi contemptus tam acriter vindicauerit, cùm tales sint

Alia lectio habet Seuria

les sint hodie plures sacerdotes Christi sacrosancta mysteria indignissimè tractantes, & tantum per occasionem illum prædicantes. CAESARIVS: Ad terrorem arbitror esse factum aliorum sacerdotum, tum ne fermentarent illam purissimam prædicationem crucis, quę fuit ad honorem Christi, tum propter merita iam dicti Oliueri. Quàm durè Christus tunc temporis vindicauerit dolos & iniurias sibi in prædicatoribus illatas, habes exemplum distinctione secunda capite vij. de Godescalco vsurario, qui dispensatorem dolosè circumuenit: habebis & aliud in cap. sequenti de superba vetula, quæ magnum Arnoldum, prædicti Oliueri discipulum, prædicantem subsannauit.

CAPVT XI.

Irridens cõcionantem punitur.

CVm esset idem Arnoldus pastor in Burgende, quæ est villa Duentiæ, & in die Apostolorũ Petri & Pauli, eius parœciani ludum quendam annuum in choreis & musicis instrumentis recolerent, ipse iam habens prædicandi auctoritatẽ, cũ cruce ad choreã accessit, & vt à ludo diaboli recederent, oẽs monuit, rogauit, & præcepit. Qui cùm in eodem loco prædicare cœpisset, quidam obedientes ad prædicationem eius venerunt; alij cum indignatione recedentes, contra choream steterunt: nonnulli in sua pertinacia permanserunt, inter quos erat vetula vna stulta & superba, quæ quoties ante sacerdotem Domini in chorea circũeundo venisset, contra illum respiciens cantando subsannauit: quæ infra triduum subitò est defuncta; quã vir sanctus sic defleuit, ac si eã extinxisset. Per vitium superbię multos diabolus tentat, vnde studẽdum omnibus, religiosis maximè & claustralibus, vt sic se in verbis, in gestibus, in vestimentis, & in

& in cæteris omnibus, quæ ad vsum exteriorem pertinent exhibeant, ne apud seculares in vitio superbiæ notabiles fiant.

CAPVT XII.

Religiosi sint humiles in habitu, & externis gestibus.

NObilis quidam monasterium quoddam in Francia spoliauit; erat autem de ordine nigrorum. Placuit Abbati & fratribus, vt vnus ex monachis ad Regem Philippum, qui tunc regnabat, mitteretur, per quem ei violétia militis exponeretur. Missus est iuuenis sanguine nobilis, tãquam qui apud Regem propter cognatos aliquid amplius posset impetrare quàm cæteri. Veniens ad Regem ait; Domine, vir ille nobilis multum indebitè monasterium nostrũ damnis & iniurijs vexat, sæpe fratres ac familiam nostram minis ac contumelijs molestat; rogat maiestatem vestram humilis conuentus noster, quatenùs, intuitu diuinæ remunerationis, eundem nobilem ab iniurijs tantis compescatis, & ad satisfactionem cõdignam de ablatis cõpellatis. Considerans rex gestus, vel habitũ monachi, ait: Domine, quis, vel vnde estis? Cui cùm iuuenis diceret: Domine filius sum illius, patrem suum nominans; respondit Rex; Bene nobilis estis. Cumque Rex post hæc, nescio quid diceret, monachus subiunxit; Verè domine, omnia quæ, habemus rapit, & iam penè nihil nobis dimisit. Ad quod respondit Rex; Verè domine, hoc bene apparet in calceis vestris; si aliquid dimisisset vobis correi, non essent tam stricti: quanto estis cæteris nobilior, tanto esse debetis humilior. Tunc volens post correptionem illum placare, adiecit; Non vos grauare debet correctio mea, quia ad bonum vestrum factum est. Reuertimini ad claustrum vestrum, & de cætero non molestabit vos nobilis.

CAP.

CAPVT XIII.

PHilippus rex Romanorum simile verbum, nescio si habuerit à iam dicto rege Frãcorum, in quendam Abbatem ordinis nostri iaculauit. Ad quem cum Abbas in equo accessisset, de necessitate domus suæ cum illo locuturus, Rex eius calceamenta, quæ nimis erant stricta, considerauit; quẽ cùm interrogasset; Vnde esset? Respondit ille; Domine de paupere domo: & Rex; Bene apparet in calceis vestris, quod domus vestra pauper sit: nam coreum ibi carum est. De quo verbo valdè confusus est Abbas. APOLLONIVS: Meritò superbia confunditur.

CAPVT XIV.

CAESARIVS.

ANno præterito, Abbas quidã de ordine nostro, bene notus mihi, cùm occurreret Frederico regi Romanorum, qui auunculo suo Philippo successit in Imperio, habens cum illo loqui aliquid, ita cępit equus eius hinnire, lasciuire, & in saltus se dare, vt Regi in equo satis mansueto sedenti, nullo nisu posset propinquare. APOLLONIVS: Quid putas tantum principem tunc cogitasse? CAESARIVS: Puto illum nõ modicè fuisse scandalisatum; nam simile ei in equo eodem cõtigit mecum, & ego scandalisatus fui in eo propter equum. Recedens verò à Rege cum multa erubescentia, equo illo effreni vti noluit de cætero. Abbas iste homo erat senex, simplex, satisque humilis, ac disciplinatus, licet in hac equitatura minus fuisset circũspectus. APOLLONIVS: Quod iustè in religiosis secularib. displicet, Deo placere non potest. CAESAR. Verum dicis, quia Deo debemus conscientiam, hominibus famã. Omnibus

Chri-

Universidad de Deusto Biblioteca

Christianis dicitur à Christo: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Vt enim taceā de scandalo secularium in superbia religiosorum, cùm Iudæi & pagani superbiam vel signa superbiæ vident in Christianis, religionem Christianam horrent, & blasphematur nomen Christi per eos. De hoc tibi verba cuiusdam Saraceni referam memoria valde dignissima.

Matth. 11.

CAPVT XV.

Vita Christianorum scandalisat infideles.

FRater VVilhelmus aliquando camerarius noster, ante cõuersionem canonicus fuerat apud Traiectum inferius: hic tempore adolescentiæ suæ signatus cruce, gratia Dominici sepulchri transfretauit. Antequam nauis, in qua erat, portum Achonis attigisset, ignem facularum ante ortum auroræ circa ciuitatem in diuersis locis, tam ipse, quàm cæteri viderunt: qui cùm interrogassent nautas causam ignis, responderunt: Tempus est æstiuũ, & ciues propter calorem tentoria sua ob refrigerium circa ciuitatem metati sunt. Hoc ita esse putantes, in portum Achonis deuenerunt, & tunc primùm quia Saraceni obtinuissent ciuitatem cognouerunt. Eodem tempore, peccatis nostris exigentibus, data fuerat terra sancta in manus Saladini regis Syriæ, regnante Frederico Romanorum Imperatore. Noradinus autem filius Saladini, vir naturaliter pius & beneficus, tunc erat in ciuitate; hic cùm nauim Christianorũ in portu vidisset, & eum causa aduentus eius, eò quod esset sola, non lateret, misertus Christianorum, quendam nobilem paganum, in lingua Gallica satis expeditum, ad nauem cum galea misit, per quem ne timerent mandauit. Vsque ad illam horam fuerant in suspenso positi, ignorantes vtrum essent occidendi, vel capiendi. Interim nobilis quidã Christianus de Alemania

mania oriundus, in extremis laborans, omnia sua arma valdè decentia, cum tribus dextrarijs per eundem paganũ Noradino misit, pro vita fratrum illi supplicans: Ego, inquit, tribus annis voueram Christo in his armis seruire, sed vt video, non est eius voluntas. Destinati sunt & nuncij Christiani, ex quibus vnus erat frater VVilhelmus, propter scientiã linguæ Gallicæ, qui munera principi præsentarent: Noradinus verò, vt vidit xenia transmissa, cum multa deuotione suscepit, & singula, id est, loricam, clypeum, galeam, gladium, nec non & dextrarios deosculans, quia per semetipsum visitare vellet infirmum, remandauit. Interim milite mortuo, & cautè appenso lapide eiecto, ac etiam demerso, alioque milite ægroto, etiam æquè nobili viro, in loco infirmitatis eius reposito, Rex manè cum multis diuersi coloris galeis egressus aduenit, nauem intrauit, & de transmissis gratias referens ante infirmum sedit, atq; cum medico, quem secum adduxerat, de conualescentia illius disputauit: obtulit & quædam nobilissimi generis poma, quæ creuisse dicebat in horto patris sui apud Damascum; deinde ait infirmo: Propter te omnibus Christianis benefaciam. A quo cùm peterent conductum ad ciuitatem sanctam Ierusalem, quam adhuc tenebant Christiani, respondit: Non esset vobis tutum, neque mihi honestum, si latrunculi, qui modò per omnes vias illius vagantur, vos læderent, & conductum violarent. Egressus verò de naui, tam ægroto, quàm cæteris valedixit, dans eis licentiam repatriandi, contra impetus Saracenorum signo teli regalis illos muniens. Tunc supradictus nobilis paganus, reducens secum in ciuitatem fratrem VVilhelmum, interrogauit eum dicens; Dic ô iuuenis, quomodo seruant Christiani legem Christianam in terra tua? Ille, dicere nolens

lens quod verũ fuit, respondit: Satis bene. Ad quod Admiraldus: Ego dicam legem Christianorum terræ huius. Pater meus erat vir nobilis & magnus, & misit me ad regem Ierosolymitanorum, vt Gallicum discerem apud illum, ipse verò versa vice misit patri meo suum filium, ad discendum idioma Saracenicum: vnde omnis vita Christianorum bene & optimè mihi nota est. Non fuit aliquis ciuis adeo diues in Ierosolyma, qui pro pecunia sororẽ, filiã, vel, quod execrabilius erat, luxuriæ peregrinorum vxorem propriã non exponeret, sicq; illos mercedibus laborum suorũ euacuaret. Ita omnes gulæ & carnis illecebris dediti erant, vt nihil omnino à pecoribus differrent. Superbia verò sic in eis regnauit, vt cogitare non sufficerent, qualiũ modo vestimẽta sua inciderent, stringerent, atq; cultellarent. Idem dico de calceamentis. Et adiecit: Considera vestimenta mea, calceamẽta mea, quàm sint rotunda, quàm ampla, quàm simpliciter & humiliter formata. Sicut nobis retulit idem VVilhelmus, manicas habebat laxas & amplas, sicut monachus: nulla erat in vestibus plicarum multiplicitas, nulla curiositas, licet ipsa vestium materia foret satis preciosa. Ecce, inquit, ista sunt vitia propter quæ eiecit Deus Christianos superbos & luxuriosos de terra ista: non enim diutius potuit tantas illorum iniquitates sustinere. Putas quia nostris viribus obtinuerimus illam? nequaquam. Nouissimè etiam hoc adiecit: Neminem ex Regib⁹ vestris timemus, neque ipsum Imperatorem vestrum Fredericum, sed, sicut legimus in libris nostris, Christianus Imperator quidam surget Otto nomine, qui terram hanc cum ciuitate Ierusalem cultui Christiano restituet. Nos ista audientes, sperabamus quia prophetia illa implenda esset in Ottone Imperatore Saxone, qui ante aliquot annos defunctus

ctus est. Eodem tempore Saladinus humanitatem exhibuit Christianis satis magnam. Cùm esset exercitus Christianorum, partim ab eius exercitu occisus, partim captus, atque dissipatus, reliquias ciuitatum, quę se vltrò reddiderunt, in ciuitatibus eiusdem esse permisit, sub bona tamen custodia. Diebus aliquot elapsis, cùm requisisset à suis, quomodo se haberent Christiani, responderunt illi: Domine non aliter viunt quàm pecora, ludis tantùm, gulæ, & illecebris seruientes. Tunc iratus iussit eos de ciuitatibus expelli. APOLLONIVS: Proch, quod abhorret Iudæus, & quod execratur paganus, hoc quasi pro lege habet Christianus. CAESARIVS: Hæc de tentatione superbiæ sint dicta; nunc ad iram accedamus.

CAPVT XVI.

De Ira.

IRa est irrationabilis perturbatio mentis: Vel, Ira est, secũdum aliam descriptionem, strictus concitati animi furor, vlciscendi libidine feruens. De ira nascuntur rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ. Ira in corde latet, in verba prorumpit, iniurias exercet. Vnde Salomon in Prouerbijs: Vir iracũdus prouocat rixas; & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum procliuor. Item Ecclesiasticus; Ira furor vtraque execrabilia sunt. Et in epistola sua Iacobus Apostolus: Vbi zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus prauum.

Prou. 29.

Eccli. 27.

Iacob 3.

CAPVT XVII.

Ex ira homicidium.

DVo serui ex familia nostra verbis inter se contenderunt; ex quibus vnus ita est ira inflammatus, vt quasi in furorem versus, alterum, minus talia suspicantem, extra monasteriũ ei occurrens, occidet. Valida erat huius tentatio. Ecce quã modica scintilla in magnũ ignem profecit: scin-

ſcintilla ira, ignis ſequens homicidium. Noui aliquos ita propter verbulum vnum tentatos, vt apoſtaſiam incurrerent. Hos reuera tetigerat ſexta plaga Aegypti, ſcilicet veſicæ bullientes, id eſt, ira cum inſania. Apoſtatare, inſanire eſt. Naturale eſt iraſci, ſed cùm motus idem immoderatus eſt, pro vitio reputatur. APOLLONIVS: Vellem aliqua nunc audire exempla de viris religioſis, quæ nobis iram temperarent, & ad patientiæ virtutem amplius accenderent. Nam apud ſeculares iraſci & indignari, quaſi pro nihilo habetur, & niſi prouocati ſe vlciſcantur, à cæteris deſpiciuntur. CAESARIVS: Vis audire exempla, per quæ cognoſces quàm ſit periculoſum, Deoque contrarium ſubiectis iraſci, & indignari ſuis prælatis, etiam ab illis prouocati? APOLLONIVS: Volo. CAESARIVS: Dicam tibi ſicut ab ore eius audiui, cui contigit.

Exod. 9.

CAPVT XVIII.

Iraſci Prælatis quàm graue.

PRior quidam ordinis noſtri, vir bonus & diſciplinatus, ab Abbate ſuo plus quàm neceſſe eſſet, & quàm meruiſſet exacerbatus eſt, & hoc ſæpius. De qua re ſatis tentatus, non tam æquanimiter illius verbum, ſicut debuit, tolerare potuit. Volens illi Dominus exemplo ſuæ paſſionis temperare feruorem tentationis, oſtendere etiam, quod prælati inæquales æqualiter propter ipſum forent ſupportandi, tali exemplo eum informauit. Viſum eſt ei nocte quadam leui ſomno preſſo, quod ipſe ſimul cum Abbate ſuo crucifixum portaret, ille in brachio dextro, ipſe verò in ſiniſtro. Dum ſic illum tenerent æqualiter, brachium crucis quod Prior tenebat, de manu eius eſt elapſum, & alterum eſt erectum, factaque eſt inæqualitas. Mox euigilans viſum intellexit dicens, quid agis miſer? Non ęquè portas corpus cum Abbate tuo, ranco-

rancorem aduerſus illum ſeruans in corde tuo. Interpretatus eſt, ſicut reuera fuit, corpus Chriſti eſſe congregationem, crucem, cui fratres per obedientiam affixi ſunt, ordinis rigorem: ad Abbatem enim & Priorem ſpecialiter ſpectat cõuentum, qui Chriſti corpus eſt, portare, tenere & ſuſtentare: Portare per orationem, tenere per diſciplinam, ſuſtentare per conſolationem. Abbas loco patris, Prior vice matris. Cùm Prior cum Abbate ſuo minus bene concordat, nõ æqua lance cum illo Chriſti corpus portat. Idem Prior cùm hac viſione, eiuſque, vt iam dictum eſt, interpretatione minus eſſet correctus, nec à concepto rancore deductus, alteram ei oſtendit tanto efficatiorem, quanto terribiliorem. Nocte quadam, licet in ſomnis, nõ in pictura, non in ſculptura, ſed in carneo corpore, manifeſta viſione vidit Saluatorem contra ſe in cruce pendentem, eratque vinculis ſpineis, in quinque corporis ſui partibus eidem cruci alligatus: vnum vinculum ambiebat caput eius, frontem ſcilicet & tempora; aliud erat circa pectus; tertium circa manum dexteram; quartum circa ſiniſtram; quintum erat in pedibus circa talos & lignum. Ac ſi diceret illi Dominus; Ego propter te paſſus ſum cruciamina tam dira, & tu æquanimiter ab Abbate tuo propter me tolerare non potes, non dico verbera, ſed verba. Te grauat, quæ cordi tuo non ſapit obedientia; & ego factus ſum propter te obediens patri vſque ad mortem cruciſque opprobria, quæ ſunt quaſi vincula ſpinoſa. Sicut ipſe mihi retulit, Dominus mox dedit ei intelligere viſionem hoc modo: In hoc, inquit, quod Chriſtus, qui caput eſt eccleſiæ, ligatus fuit ſpinis, oſtendit tibi quod capiti tuo, id eſt, Abbati obedire debeas etiam in aduerſus: quod ligatus fuit in pectore, docet te quia tuum valle Abbatis tui voluntati debeat concordare;

dare. Cor in pectore est, & in corde voluntas. In tantum enim tentatio eius processerat, vt locum mutare, si posset, firmiter proposuisset. Vincula, inquit, manuum eius insinuant, te nihil aliud debere facere, nisi quod ipse præcipit: quod autem spinis pedibus se ad crucem ligatum ostendit, signat quod tibi non liceat sine eius consensu locum mutare, sed secundum illius arbitrium stare vel ambulare. Ex his duabus visionibus territus simul & edoctus, de cætero studuit verba siue facta sui Abbatis æquo animo, propter Christum sustinere. APOLLONIVS. Vt video non est nobis tutum cum prælatis nostris contendere.

CAPVT XIX.

CAESARIVS.

ANno præterito Cellerarius quidam maior cum Priore suo de rebus exterioribus verbis contendit, & videbatur ei, quia valdè rationabiliter moueretur. In ipsa nocte Saluator ei in cruce apparuit iacens in terra, eratque velamen tenue ac perspicuum super corpus illi⁹ expassum: cuius cùm vellet vulnera retracto panno deosculari, imago manu auersa, indignabundè illum amouit: tanquam diceret; non es dignus attactu corporis mei, qui serò me in Priore tuo prouocasti. Ille mox euigilans, & causam repulsæ non ignorans, dictis matutinis, me præsente, ad pedes Prioris se prostrauit, veniam pro excessu suo postulans.

Matth. 5. APOLLONIVS: Si dignus est iudicio, qui irascitur fratri suo, iam nõ ambigo, quin maioris pœnæ sententiæ subiaceat, qui iratus fuerit patri suo, id est, prælato. CAESARIVS: Ita est, vt dicis, quia maiorem reuerentiã debemus patribus, quàm fratribus, siue carnales sint, siue spirituales. APOLLONIVS:

LONIVS: Quid si ex commotione animi verbum iræ iaculetur in Sanctos, vel quod magis est, in ipsum Dominum? CAESARIVS: Tale verbum dicitur blasphemia, quæ ex ira nascitur, & sæpe multum acriter à Deo vindicatur.

CAPVT XX.

SCholaris quidam Parisijs, eo tempore quo Abbas noster ibi studuit, verbum contumeliosum in sanctum Abraham euomuit: quo die tertio defuncto, cognouerunt omnes, qui verbum audierant, quod per pœnam mortis Dominus sanctum suum vindicasset. *Blasphemia punitur.*

CAPVT XXI.

ANte hoc quinquennium, quando valida illa erant tonitrua, & penè à quotidiana aëris intemperie messis impediebatur, miles quidam prouinciæ nostræ homo liber, de villa satis nobis vicina, videns à parte occidentali aërem obscurari, nubesque imbriferas oriri, iratus dixit; Ecce vbi iterum diabolus ascẽdit. Vix sermonem finierat, & ecce orta tonitrua, filium eius in sinu nutricis percusserunt, ipsa incolumi permanente. Sed & in alijs, ædificijs scilicet & iumentis, blasphemus ille satis flagellatus est, vt disceret de cætero non blasphemare. Hæc eodem tempore gesta sunt, quando fulminata est turris villæ nostræ in Kassele; vnde stultum est valdè, vt homo mortalis, cinis & vermis, ponat in cœlum os suum. Ecce huiusmodi mala aliaque innumera parit ira. APOLLONIVS: Si Deus tam terribiliter peccatum iræ vindicat in præsenti, puto quod huic vitio subiectos acriter puniet in futuro. CAESARIVS: Ex capitulo sequenti hoc cognosces.

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT XXII.

Ira post mortem punita.

NArrauit mihi anno præterito Scultetus proximæ Villæ, quæ VVintere dicitur, rem satis terribilem. Non est diu, inquit, quod homo quidam religiosus & peregrinus in ecclesia nostra ad Missam stetit. Stabant iuxta eum matronæ delicatæ, quorundam militum vxores, fabulis vacantes, quæ illum orare nõ finebant. Expleta Missa, quosdam ex militibus seorsum ducens dixit illis: Vos domini, orationis causa ad Ecclesiam hanc diuerti, & ecce, diabolo instigante, tantus erat circa me clamor & susurrum illarum matronarum, vt omnino orare non possem. Dicam vobis rem terribilem, quæ meis tẽporibus in villa mea cõtigit: Erat ibi puella quædam bene nata, & diuitum filia, sed ita iracunda, ita contentiosa atque clamosa, vt vbicunque esset, siue in domo, siue in ecclesia, ibi rixas suscitaret, & beatum se iudicaret, qui euadere posset flagellum linguæ illius Tandem defuncta est, & in atrio ecclesiæ sepulta. Manè venientes ad ecclesiam, vidimus tumbam eius ad instar fornacis fumum eructantem: vnde exterriti, & videre volentes quid hoc portenderet, terram eiecimus; & ecce, medietatem corporis superiorem ignis cõsumpserat, inferior verò pars ab vmbilico, & deinceps, illæsa apparuit. APOLLONIVS: Quid hoc significabat? CAESARIVS: Quod homines qui nouerant illius vitam dixerunt, hoc & ego dico: Voluit Deus in eius corpore ostendere, quantum ei placeret virtus castimoniæ, & quantum abhorreret vitium iracundiæ: quia virgo fuit, castitatis gratia crura eius cum femoribus illæsa seruauit; & quia nimis iracunda erat, fel, cor, linguam, manum, cum suis sedibus ignis deuorauit. Ira ignis est: vnde Ecclesiasticus: Ne struas lignum in ignem iracundi, id est, ne des illi materiam & occasionem irascendi. Item: Homo iracundus incendit * ignem. Et Apostolus Iacobus: Lingua, ignis est, vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna. APOLLONIVS: Ita me tua terret oratio, vt proponam omnino non irasci fratribus meis. CAESARIVS: Tunc beatus eris. Qui autem, vt ait idem Apostolus, putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum; huius vana est religio, id est, inutilis, & immunda. Lingua inquietum malum est, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deũ & patrem, & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Vnde alibi scriptum est de illa: Mors & vita in manibus linguæ. APOLLO. Qua similitudine dicitur lingua habere manus? CAES. Quia sæpe causa mortis efficitur corpori & animę, si fuerit dura; vitæ verò vtrique, si fuerit mollis & gratiosa. Vnde Salomon; Responsio mollis frangit iram; sermo durus suscitat furorẽ. Hoc impletum est in Dauid: Sermo durus Nabal, in necem propriã gladiũ eidem porrexit, quem sermo sensatus Abigail retraxit. Et quia in manibus linguæ mors est, creator prudentissimus duplicem ei murum, osseũ scilicet & carneum, id est, dentes & similiter labia antepositit: propter vitam verò, vtrumque peruium fecit. Loqui de bonis vitale est. APOLLONIVS: Placet quod dicis. CAESARIVS: Hæc de ira dicta sint.

Eccli. 8.
Eccli. 28.
** Litem.*
Iacob 3.
Iacob 1.
Iacob 3.
Prouer. 18.
Prouer. 15.
1. Reg. 25.

CAPVT XXIII.

De Inuidia.

IRæ succedit inuidia, & de ipsa nascitur: Est enim inuidia ira inueterata, odium videlicet felicitatis alienę. Huius filię sunt odium, susurratio,

Universidad de Deusto Biblioteca

tio, detractio, exultatio in aduersis proximi, afflictio in prosperis eiusdem. Hoc vitium de angelo diabolum fecit: hoc vitium hominem de paradiso eiecit. Inuidia enim diaboli, mors introiuit in orbem terrarum. Quàm graue & periculosum sit hoc vitium, in epistola sua Ioannes breui sermone cõcludit dicens: Qui odit fratrem suum, homicida est. Hoc vitium quanto est occultius, tanto periculosius.

Sap. 2.

1. Ioan 3.

CAPVT XXIIII.

Inuidiæ exemplum.

NOn est diu, quod monachus quidam stimulis inuidiæ agitatus & superatus, quendam ex fratribus suis adolescentem accusauit apud Abbatem, imponens ei crimina pessima: cui cùm minus Abbas crederet, ille ad maiorem vindictam vsq; ad Visitatoris præsentiam suam accusationem reseruauit. Quid plura? Tanta apud illum inuidi machinatio profecit, vt ipse Visitator iuueni vitia relata in capitulo coram omnibus obijceret, neganti, & Deum innocentiæ suæ testem inuocanti, non crederet, sed habitu trũcato carceri mãciparet. Post cuius discessum, Deus iudex iustus, inuidũ infirmitate peremptoria flagellauit: timens verò mori, confessus est iuuenem ex inuidia se accusasse. Quod cùm ex cõsilio confessoris seniorib' propalasset, statim pro Visitatore missum est: qui territus ad monasterium ocyus redijt, ipse carcerem intrauit, ad pedes monachi se prostrauit, & vt sibi ignosceret, quod ignoranter in eũ deliquerat, supplicans, etiam reluctantem eum cum gloria eduxit. Hæc mihi relata sunt à quodam Abbate, qui visitationi eidem interfuit. APOLLONIVS: Puto monachũ istum in tam grãdi tentatione meruisse. CAESARIVS: Quod fornax auro, quod lima ferro, quod flagellum grano, quod vuæ torcular, hoc ei eadem fuit tentatio. Seruauit enim in tribulatione patien-

tiam. Inuido autem sua erat inuidia, quod venenum stomacho, quod tinea vestimento, quod erugo flori, quod tabes corpori. APOLLONIVS: Si nosti adhuc aliqua de tentationibus inuidiæ exempla, precor vt mihi recites illa. CAESARIVS: Quia latens morbus est inuidia, nullum ad præsens occurrit exemplum, quod vel memoria sit dignum, siue ædificationi necessarium. Referam tibi tamen quandam sanctam inuidiam, quam te audire delectet.

CAPVT XXV.

Inuidia sancta.

ANno præterito in monasterio quodam ordinis nostri iuxta Frisiam, quod Iesse dicitur, duæ paruulæ puellæ ad literas positę fuerũt. Quæ cum magno feruore discentes, satis inter se contenderunt, vt vna alteri in studio & scientia superior haberetur. Interim contigit vnam infirmari, quæ comparis sui profectui inuidens, satis cœpit tentari, timens quod interim multa discere posset, vocansq; Priorissam, cœpit illi supplicare dicens; Bona domina, quando venerit ad me mater mea, ego requiram ab ea sex denarios, quos vobis dabo, vt non patiamini discere sororem meam donec connaluero: timeo enim, ne præcellat me. Ad quod verbum subrisit Priorissa, puellæ feruorem satis admirans. APOLLONIVS: Dic obsecro quæ est medicina contra inuidiam. CAESARIVS: Obsequia charitatis.

CAPVT XXVI.

Remedia contra inuidiam.

MAgister Rudolphus Scholasticus Coloniensis, quem ego bene noui, & frequenter audiui, discipulos suos instituens, exemplum contra inuidos docuit dicens: Frater aliquis quendam ex fratribus suis ita exosum habuit, vt sine cordis sui cruciatu illum respicere non posset.

Universidad de Deusto Biblioteca

Quod ille sentiens,& vulnus cordis eius sanare cupiens, fratrem tam periculosè tentatum, imò in ipsa tentatione omninò superatum,obsequijs charitatis ad suum amorem,quantum potuit, inclinauit. Capitale eius vertit & mollificauit,vestes excussit,calceamenta circa lectum cōposuit, & quicquid ad illius commodum esse nouerat,in quātum licuit &potuit,exhibuit.Sic ille inuidus obsequijs eius deuictus,& ad cor reductus, conceptum inuidiæ venenum expuit,& quem prius oculo ęquo respicere non potuit, plus postea cæteris dilexit. Hæc de vitio inuidiæ pro exemplo dicta sint. Hoc vitium quia cæteris Deo, qui charitas est, plus videtur esse contrariū,idcirco ab omni homine magis cæteris vitijs est vitandum.

1.Ioan. 4.

CAPVT XXVII.

De Acedia

QVarto loco ponitur Acedia, quæ viris religiosis solet esse satis importuna. APOLLONIVS. Quia nomen huius vitij aliquantulū barbarè sonat, quid sit acedia, vel vnde dicatur,scire desidero. CAESARIVS: Acedia est ex confusione mentis nata tristitia, siue tædium & amaritudo animi immoderata,qua iocunditas spiritalis extinguitur,& quodā desperationis præcipitio mens in semetipsa subuertitur.Dicitur aūt acedia, quasi acida, eò quod opera spiritualia nobis acida reddat,& insipida;de qua per Salomonē dicitur: Manus remissa tributis seruiet. Item,Pigrum deijcit timor,à bono opere: animæ autem effœminatorū esurient.Dicit autem de ea Seneca: Turpissima est iactura,quæ per negligētiam fit.Acedię,siue tristitiæ propagines sunt, malitia, rancor, pusillanimitas,desperatio,torpor circa p̄cepta, euagatio mentis circa illicita. Acedia multos tentat, & multos p̄cipitat.APOL.De tētatione huius vitij exempla sub-

Prouer. 12.
Prouer. 18.
Seneca epist. 1.

rubiungas.CAESARIVS: Audi quam sit periculosum acedia vexari.

CAPVT XXVIII.

Acedia quā periculosa

MOonachum quendam diabolus,sicut exitus probauit,ita reddiderat acediosum,vt quotiens esset ad matutinas surgendum, statim ex quadam pusillanimitate & timore vigiliarum, sudore perfunderetur. Putās esse ex infirmitate,iacuit,vestibus se operuit,& sicut ostium,secundum Prouerbium Salomonis, vertitur in cardine suo,ita piger ille vertebat se in lecto suo.Nocte quadam ad signa nolarum surgentibus cæteris omnibus, festinantibusq; ad diuinum officium, cum ille surgere tentaret, audiuit de sub lecto, quando iterum vetante acedia se reclinaret, vocem quandam incognitam,clare satis sibi dicentem: Noli surgere, noli sudorem tuum interrumpere, quia non expedit tibi. Tunc primùm sentiens sibi à diabolo per vitium acediæ esse illusum, à fantastico illo sudore se excussit, nec postea tanto torpori facile consensit.Hoc scias quia non permittitur diabolus nos tē tare quātum vult,& quādiu vult, ne decepti ab illo pereamus: sępe inuitus, virtute diuina compulsus, his quos tentet fallaciam suam manifestat.

Prouer. 26

CAPVT XXIX.

SAcerdos quidam ex monachis nostris, solitus fuit dictis matutinis in illo interuallo,quo fratres solent vacare orationi,vel psalmis,super vnam sedium se deponere, & inter orationis verba dormitare.Volens illi Dominus ostendere,quia tali hora,& maximè in tali loco non esset dormitandum,sed in oratione vigilandum,apparuit in cruce ei verso dorso ad illum, vt dicere videretur: Qia tepidus es,& accediosus, nō est dignus faciem meā intueri, & hoc sibi sæpe contigisse testatus est.

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT XXX.

ALius quidam monachorum nostrorũ, Christianus nomine, ætate quidem iuuenis, sed vitæ tam sanctissimæ fuit, vt vnus crederetur de Sanctis, qui sunt in terra Domini. Hic corpore tam debilis erat, vt eum viuere tœderet. Nocte quadam, dictis matutinis vsque ad laudes, capiti suo parcere volens, super lignum quoddam ante altare se prostrauit, sub forma orationis ibi dormitans. Mox vt oculos clauserat, affuit gloriosa domina nostra virgo Maria, & veste eum feriẽs, excitauit dicens; Christiane, non est hic locus dormiendi, sed orandi. Statim ille euigilans, apertis oculis posteriora fœminæ recedentis vidit, & vocẽ fœmineam iam dictum sermonem concludentem audiuit. APOLLONIVS: Quantũ ex isto iuuene cõsidero, non omne tædium boni operis ex vitio est, sed aliquando ex corporis infirmitate. CAESAR. Ex vitio primi hominis omnis tentatio est & infirmitas, septẽ verò ex culpa illius contraximus pœnalitates, esuriem videlicet, sitim, frigus, calorem, lassitudinem, infirmitatem, mortem: quãdo motus harum pœnalitatum ordinatus est, pœnam habet, sed non culpã: quando verò inordinatus est, pœnã habet & culpam. APOLLONIVS: Quid appellas lassitudinem? CAESARIVS: Somnolentiam, & alium quemlibet laborem, vnde fatigatur. Caueamus ergo ne hoc quod est naturæ, vertatur in vitium; quia non solum per vsum malum gignuntur vitia, sed etiam ex virtutibus; verbi gratia, Iustitia dũ modum excedit, vertitur in crudelitatẽ; nimia pietas, in dissolutionem; indiscretum zeli studiũ, iudicatur iracundia; nimia mansuetudo, segnitia dicitur & acedia. Sicque sentias de cæteris. APOLLONIVS: Puto prædictum iuuenem non parui fuisse

fuisse meriti, quem beata virgo Maria sic familiariter excitauit. CAESARI. Quanti fuerit meriti, quantũ dilectus cælestis patriæ ciuibus, sequentia declarabunt. Cùm propter nimiam capitis infirmitatem, generalem habuisset in capitulo licentiam manendi ex vigilijs solennibus, quotiẽs voluisset, vix, nisi compulsus, de choro exiuit: dictis verò matutinis infirmorum, in oratorium redijt, & moram longiorem, quam ordo concederet, illic ex consuetudine fecit. Cui cùm diceret die quadam dominus Henricus Abbas noster, tunc monachus simplex; Bone frater Christiane, vos frequẽter nobis exponitis debilitatem capitis vestri, & tamen non vultis vti gratia vobis indulta: respondit; Nõ possum manere; stans enim extra chorum, & alios psallere audiens, quia intrare non licet, corde crucior, eò quod recorder consolationum, quibus Deus inter illos lætificat animam meam. Audito hoc verbo domin⁹ Abbas, de spiritali presumẽs amicitia, quę essent illę consolationes inquisiuit, & vt sibi diceret, cum multa precum instantia obtinuit. Confessus est ei, quia sæpius in choro tempore psalmodiæ beatos angelos videret circuere, & quod multo fuit excellentius, ipsum regem angelorũ hominem Christũ Iesum. APOLLONIVS: Magna dona cõcessa sunt huic inueni. CAESARIVS: Et meritò; ex quo enim ad ordinem venit, nunquam sine tentatione fuit, tum propter nimiam debilitatem capitis, tum ob desiderium patriæ cælestis; flagellum Domini in tanta patientia sustinuit, vt omnes eius fratres mirarentur. Tempore quodam Dominus, qui intentator malorum est, gratiam lacrymarum, quam illi copiosè contulerat, subtraxit, vnde satis tentabatur. APOLLONIVS: Antequã procedas, nosse vellẽ cur Deus huiusmodi gratias viris iustis subtrahat. CAESARIVS: Quatuor de causis videtur

Iac. 1.

Universidad de Deusto Biblioteca

Cur Deus aliquando iustis subtrahat gratias suas.

videtur illa subtractio fieri, ne videlicet gratia assiduitate vilescat; ne mens de vsu illius superbiat; vt cum maiori desiderio quæratur, & recuperata diligentius custodiatur; quarta causa est, culpa venialis. APOLLONIVS: Placet quod dicis. CAESARIVS: Christianus verò de amissa gratia satis dolens, & peccatis suis hoc imputans, cùm die ac nocte pro illius recuperatione oraret, nec proficeret, recordatus est ligni dominici, dixitq; in semetipso; Si facultatem haberes deosculandi lignũ pretiosum, in quo Saluator sanguinem suum fudit, gratiam tibi refunderet lacrymarum. Tali suspensus desiderio, in quadam solemnitate, dicta Missa, ad altare accessit, sacrumque lignum deosculans, cum augmento susceptam gratiam recepit. APOLLONIVS: duæ cruces sunt apud nos, quæ harum fuerit expediri volo. CAESARIVS: Illa, in qua est lignum nigri coloris, quæ de Apulia venit; alteram, quæ rubei coloris est, nondum habuimus, quam de ecclesia sanctæ Sophię apud Cõstantinopolim sublatam, contulit nobis Henricus de Vlme. APOLLONIVS: Vellem scire, quali fine vir tantæ gratiæ migrauerit ab hoc seculo. CAESARIVS: Sæpe ex manibus suis sentiebat tam aromaticum odorem, vt miraretur & dicere posset cum sponsa, cuius membrum fuit, etiam ad literã: Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni sunt myrrha probatissima. APOLLONIVS: Fortè manus habebat impollutas. CAES. Noueris eum non fuisse carne virginem, vt scias odorem eundem fuisse magis ex virtute mentis, quàm ex integritate corporis. Accedens verò ad mensam corporalem, gratiam perdidit spiritualem; licet semper debilis esset & infirmus, tamen ante obitum suũ per dies multos amplius in camino ægritudinis excoctus, & sicut aurum in igne probatus est. Nocte

Virtus sacri ligni Crucis Christi.

Cant. 5.

est. Nocte quadam in somnis Sancta Agatha martyr & virgo apparens illi, dixit; Inter ista consolatoria Christiane, non sit tibi onerosa infirmitas hæc, quia isti sexaginta dies, reputabuntur tibi pro sexaginta annis. Expergiscens, quia visionem intelligere non potuit, quibusdam eam reuelauit. Quã quidam ita interpretati sunt; quod tantum eum purgaret à peccatis infirmitatis illius acredo, quãtum sexaginta anni in purgatorio. Alijs videbatur, quod verius fuit, quia infirmitas illorum sexaginta dierum, propter patientiam, esset ei pro merito sexaginta annorum: nam in nocte Sanctæ Agathæ spiritum reddidit, qui dies fuit sexagesimus ab ea nocte, qua hæc audiuit. Consummatus in breui, expleuit tempora multa. Et vt scias verum esse sermonem propheticum, qui dicit; Filius non portabit iniquitatem patris, noueris monachum hunc filium fuisse clerici Bonnensis ecclesiæ Canonici. APOLLONIVS: Audiui de quibusdam, quod nimis timeant, eò quod de legitimo thoro nati non sint, illis expediret ista audire. CAESARIVS: Siue sint filij legitimi, siue fornicarij, adulteri, vel incestuosi, id est, de incestu nati, omnes ante baptismum eadem catena astricti tenentur. Omnes quidem nati sumus filij iræ, per baptismum verò effecti sumus filij gratiæ; sed soli illi beati, qui per vitam bonam, & gratiam finalem computabuntur inter filios gloriæ. Reuocat mihi ad memoriam oratio tua Conuersum quendam sanctum, sancti sacerdotis filium, qui de sua conditione ita erat tentatus, ita tristis & turbatus, vt penè lapsus esset in desperationem. APOLLONIVS: Scire vellem exitum tentationis eius. CAESARIVS: Dicam tibi quod audiui ab ore cuiusdam Abbatis, qui illum nouit & familiaris fuit: sed & ego illum noui.

Sapient. 4. Ezech. 18.

Saluti animæ non obest defectus natalium.

CAPVT

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT XXXI.

NOmen Conuerso Henricus fuit, in Vilario professus, & Domini Christiani de Claustro monachi filius. De hoc Christiano, mira tibi dicam in distinctione septima capite 16. Ministrabat autem idem Hericus in hospitali pauperibus, vir multæ humilitatis patientiæ, & compassionis; & quanto plus Deum timuit, tanto plus ab illo separari formidauit. Immiserat enim diabolus quandam desperationem cordi eius, ita vt diceret; quia non es filius legitimi thori, non eris hæres cælestis regni. Quæ cogitatio in corde eius adeò creuerat, vt à confessoribus, tam de scripturis, quàm de exemplis prolatam, nullam prorsus reciperet consolationem. Misertus eius Dominus, nocte quadam, cũ tentatio esset validissima, in domum amplam & longam illum transtulit, in somnis tamen; in qua vidit de vtroque sexu multitudinem magnam, & facta est ad eum vox; Henrice, vides hanc multitudinem? Omnes quidem de legitimo thoro sunt nati, sed omnes reprobi præter te sunt. Euigilans, statim lætificatus est valdè, intelligens visionem propter se factam. Ab illa hora tentatio immissa cessauit, & ipse quàm diu vixit, Deo, qui non deserit sperantes in se, gratias egit. APOLLONIVS: Est ne accedia, in choro dormire? CAESARIVS: Consuetudo vitium acediæ ex se gignit, quod quidam per infirmitatem palliant, cùm idem vitium magis ex diabolica operatione, quàm ex infirmitate fit.

CAPVT XXXII.

Somnolentia in choro & dtuinu à diabolo est.

LOquente me die quadam cum viro valde religioso ex Conuersis nostris, de his qui frequenter in choro nostro dormiunt, ipse mihi respondit; Sciatis pro certo, quod somnolentia illa ex diabolo est: die enim quadam tempore æstiuo, cùm laudes decantarentur, vidi in dorso fratris Vvilhelmi, qui etiam libenter ibi dormit, clara die serpentem serpere, & statim intellexi quia diabolus esset, qui in eius somnolẽtia pascebatur. Huiusmodi visionem, teste fratre Richardo, dicebat se de eodẽ Conuerso sepius vidisse. Conuersus, qui hæc vidit, vocabatur Conradus, vir bonus & iustus, de quo multa excellẽtiora tibi in distinctione octaua recitabo. Multos per somnolentiam tentat diabolus vexat, & hoc in diuersis formis.

CAPVT XXXIII.

IN Hemmenrode Conuersus quidam valdè acediosus fuit, in choro penè semper dormitans; in cuius capite, alter quidam Conuersus frequenter cattum sedere vidit, qui vt pedes suos oculis Conuersi superposuit, statim ille oscitare cœpit. Quod cùm intellexisset ex relatione eius, qui hoc videre meruit, ne diutius illuderetur à diabolo, sedem stalli sui sic parauit, vt dum dormitaret in partem declinando, sedentem præcipitaret, sicq; somnolentiæ dæmon per artem excussus est, & frater acediosus feruentior in Dei seruitio factus est. Hæc mihi à quodam Conuerso eiusdem cœnobij relata sunt. Quantum dæmones illic dormitantes irrideant, ex subiecto cognosces exemplo.

CAPVT XXXIIII.

QVidam ex senioribus nostris, Fredericus nomine, licet aliâs fuerit vir bonus, de vitio tamen somnolentiæ satis fuerat notatus. Hic nocte quadam, antequam emissus esset conuentus noster, cùm staret ad psalmodiam matutinarum in Hemmenrode, & dormitaret, vidit ante se, in somnis

Universidad de Deusto Biblioteca

somnis tamen, virum longum & deformem stantem, qui in manu nodum stramineum & lutosum, vnde equi terguntur, tenebat: qui cùm monachum proteruè intuitus fuisset & dixisset, quid hic tota nocte stas & dormitas magnæ fili mulieris? ipso fimoso stramine in facie eum cecidit: mox ille territus euigilauit, & vt ictum ferientis euaderet, caput retrahendo ad parietē durè satis illisit. Vide quanta subsannatio.

CAPVT XXXV.

NVper audiui, quod silere non debeo; In eodem monasterio monachus quidam est, qui in choro sæpe dormitat, & rarò vigilat, multum tacens, & parum psallens. Circa istum sæpe porci videntur, & porcorum grunnitus audiuntur: puto quia colligant siliquas de ore eius cadentes. APOLLON. Quid sunt siliquæ, vel quid significant? CAESARIVS: Siliquæ sunt folliculi leguminum, significantque verba psalmodiæ à virtute vacua, quæ somnolenti sine intentione proferunt, & eadem semiplenè prolata porcis, id est, dæmonibus colligenda proijciunt. Hi verò qui vigilant, & libenter deuoteque cantant, & psallunt intentè, medullam comedunt, quia gratiam, quæ in verbis latet propheticis, percipiunt: tales in futuro, cum laudatoribus cælestis Ierusalem, adipe frumenti Dominus satiabit, id est, visione suæ deitatis. APOLLONIVS: Satis ex his quæ dicta sunt colligo, quod tædium exercitij spiritualis sit à diabolo. CAESARIVS: Vt dicis ita est, quia quidam sunt, qui statim vt cœperint psallere, orare, & legere, mox dormitare incipiunt, vigiles in lecto, somnolenti in choro. Idem dico de audiendo verbum Dei; cùm verba secularia audiunt, bene vigilant; cùm verbum Dei eis proponitur, mox dormitant.

Psal. 147.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

IN solemnitate quadam, cum Abbas Geuardus antecessor huius, qui nunc est, verbum exhortationis in capitulo ad nos faceret, & plures, maximè de Conuersis, dormitare, nonnullos etiā stertere conspiceret, exclamauit; Audite fratres, audite, rem vobis nouam & magnam proponam. Rex quidam fuit, qui artus vocabatur. Hoc dicto, non processit, sed ait; Videte fratres miseriam magnā; quando locutus sum de Deo, dormitastis; mox vt verba leuitatis inserui, euigilantes erectis auribus omnes auscultare cœpistis. Ego eidem sermoni interfui. Non solùm personas spirituales, sed & seculares diabolus per somnolentiam tentat & impedit.

CAPVT XXXVII.

MIles quidam Bonnensis, Henricus nomine, tempore quodam quadragesimali carenā fecit apud nos: Postquam reuersus est in domum suam, die quadam occurrens prędicto Geuardo Abbati, ait ad illum; Domine Abbas, vendite mihi lapidē illum, qui iuxta talē columnā oratorij vestri iacet, & ego dabo pro illo quicquid postulaueritis. Cui cùm diceret; Ad quid vobis est necessarius? respondit; Ego illum ponere volo ad lectum meum, quia talis est natura eius, vt qui dormire non potuerit, & caput super illum posuerit, statim dormiat. Illam confusionem fecerat ei diabolus tempore pœnitentiæ, vt quotiens veniens ad ecclesiam se super eundem lapidem causa orationis reclinaret, mox ei somnus obreperet. Simile verbum nobilis quidam, qui ob similem pœnitentiam fuerat in Hemmenrode, fertur dixisse: Molliores, inquit, sunt lapides oratorij Claustri, omnibus lecti sternijs castri mei. Nō poterat se cōtinere, quin tempore orationis in illis dormiret.

Q APOL-

APOLLONIVS: Si non esset grauis culpa accedia in seruitio diuino, non nos ita diabolus ad illam solicitaret. CAESARIVS: Quanta sit culpa huius vitij, pœna te doceat vnius acediosi.

CAPVT XXXVIII.

VIX sunt duo menses elapsi, quod dominus Abbas Campensis retulit nobis de monacho quodam, qui semper in choro solebat dormire, rem terribilem valdè. Nocte quadam, cum ex more dormiret alijs psallentibus, crucifixus de altari venit, dormitantem excitauit, & cum tanto nisu maxillam eius percussit, vt infra tertium diem moreretur. APOL. Stupenda sunt quę dicis. CAES. Monachus acediosus, nauseam Deo prouocat, & angelis sanctis. Vnde cuidam acedioso in persona omnium per Ioannem dicitur à Christo: Vtinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. APOLLONIVS: Recordor te superius dixisse idem esse vitium, tristitiam & accediam. CAESARIVS: Verum est, quia acedia est ex confusione mētis nata tristitia, ex hac nascitur malitia & desperatio, sicut subiecto tibi ostendam exemplo.

Apoc. 3.

CAPVT XXXIX.

Desperatio ex accedia oria.

ABBAS de Brumsbach anno præterito retulit Abbati nostro tentationem quandam ex tristitia natam terribilem satis, sic dicens: In prouincia nostra quædam extitit puella nobilis, ac formosa, diuitiumque filia, quàm cùm parentes tradere vellent marito, renuit illa dicens; Non nubam alteri viro, nisi sponso cęlesti Domino meo IESV. Tandem virginis pertinacia parentes sedati, propriæ illam reliquêre voluntati. Quæ CHRISTO, quasi de victoria gratias agens, cellam sibi fieri fecit, in qua ab episcopo velata & reclusa, ipsi soli

soli sola satis deuotè per dies aliquot seruiuit. Inuidens tantæ virtuti diabolus, varijs illam tentationibus conquassauit, & veneno tristitiæ innocuum virginis pectus inficiens, sanam infirmauit. Mox illa cœpit varijs tentationibus fluctuare, in fide nutare, de perseuerantia desperare. Inuasit eam & defectus cordis, tabitudo corporis, torpor in oratione, dolor de reclusione. Interim dum sic periculosè puella nutaret, supradictus Abbas ordinis Cisterciensis, cuius curæ ab episcopo commissa fuerat, visitationis gratia aduenit, & quomodo viueret, vel quomodo haberet inquisiuit. Respondit illa: Malè viuo, malè valeo, & quare, vel propter quem hic reclusa sim prorsus ignoro. Cui cùm Abbas diceret; Propter Deum, & propter regnum cælorum. Illa respondit: Quis scit, si Deus sit, si sint cum illo angeli, animę, vel etiam regnum cælorum? Quis enim ista vidit? quis inde rediens visa nobis manifestauit? Huiuscemodi sermones vt dominus Abbas audiuit, totus contremuit, conuersusque ad virginem ait. Quid est quod loqueris soror? signa cor tuum. Respondit illa: Ego loquor sicut mihi videtur: nisi videam ista, non credam; rogo vt sinatis me exire, quia reclusionem hanc diutius sustinere non valeo. Tunc Abbas intelligens ex immissione diaboli tā repentinam esse tristitiam, & ex tristitia desperationē, ait; Soror, inimicus gloriæ tuæ inuidens, periculosè te tentat, tu sta in fide, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominū. Amicis & cognatis contradicentibus, tu sanctam hanc elegisti vitā, tu istam desiderasti reclusionem. Quæ cùm surda aure monentis & exhortantis verba perciperet, rogauit eam Abbas, vt saltem septem diebus ibi sustineret, donec ad claustrum iens & rediens, denuo eam visitaret. Quod vt promitteret cùm vix obtinuisset, ad

Psal. 26.

monasterium pergens periculum virginis fratribus exposuit, & vt orationes speciales per hebdomadam pro illa deuotè ad Deum funderent, omnibus præcepit. Ipse verò in propria persona, quantum valuit, Domino supplicauit pro illa. Hebdomada completa, reuersus ad eam ait; Quomodo habes filia? Respondit illa; Optimè pater, nũquam melius: infra hos dies septem plus sum lætificata, plus consolata, quàm ante tuum discessum fuerim contristata, vel desperata. Scisciante eo causam cõsolationis, ait illa; Pater oculis meis vidi, de quibus dubitaui: post discessum tuum anima mea de corpore fuit educta, & vidi animas beatorum, vidi præmia iustorum; corpus autem meum vidi oculis animæ in pauimento cellulæ meæ ita exange iacere, & pallidum, sicut herbam sine succo & arefactam. Interrogata ab Abbate, qualis esset effigies animæ; respondit: Anima est substantia spiritualis, & in sui natura sphærica, ad similitudinem globi lunaris, ex omni parte videt. Quando verò animæ existenti in corpore angelus, siue anima apparet, in lineamentis corporeis se ostendit: quando anima existens in carne à carne libera est, animæ consimili sicuti est apparet. APOLLONIVS: Huic visioni satis concordat, quod Abbas Morimundus animam suam à mortuis rediens, similem esse dixit vasi vitreo, & ex omni parte oculatam, sicut meminite dixisse in distinctione prima, cap. 32. CAESARIVS: Quædam etiam retulit eadem sanctimonialis de aduentu Antichristi, quæ hic ponere nolo, eò quod multi de illo prophetando decepti sint. APOLLONIVS: Satis me terret, quod Dominus mentem tam sanctam, tam mundam & virginalẽ, tam immundis & tam nephandis tẽtationibus vexari permisit. CAESARIVS: Incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius sicut

Rom. 11.

audies

audies de tentatione alterius cuiusdam sanctimonialis, cuius tentatio tanto est periculosior, quanto incertum est quali sit fine terminanda.

CAPVT XL.

INfra paucos menses quædam sanctimonialis fœmina prouectæ ætatis & magnæ, vt putabatur sanctitatis, à vitio tristitiæ in tantum est turbata à spiritu blasphemiæ, dubietatis, & diffidentiæ adeò vexata, vt caderet in desperationem: de his quæ ab infantia credidit & credere debuit, omnino dubitare cœpit, nec ab aliquo induci potuit, vt diuinis communicaret sacramentis. Quam cùm interrogassent sorores, nec non & neptis eius carnalis, cur ita esset indurata? respondit; Ego sum de reprobis, de illis scilicet, qui damnandi sunt. Quadam die, commotus Prior, dixit ad illam: Soror, nisi resipiscas ab ista infidelitate, cùm mortua fueris in campo te faciam sepeliri. Quo verbo illa audito, tunc tacuit, sed verbum bene retinuit. Die quadam; cùm quædam ex sororibus, nescio quò essent ituræ, illa latenter post eas exiens ad littus Mosellæ, super quod situm est monasterium, venit, & cùm nauis, quæ sorores portabat, amota esset de littore, in fluuium se præcipitauit: hi verò qui in naui erant, sonum aquæ motę audientes & respicientes, corpus eius canem putantes, nutu Dei vnus cognoscere volens certius quid esset, ad locum ocyus cucurrit, & vt hominem vidit, flumen intrauit & extraxit. Tunc considerantes quod supradicta foret sanctimonialis, iam penè suffocata, territi sunt omnes, & curam ei adhibentes, postquam aquam euomuit, & loqui potuit, interrogauerunt eam dicentes: Quare tam crudeliter egisti soror? respondit illa: dominus iste, digito Priorem ostendens, minatus est mihi, quia me mortuam

ſepelire deberet in campo, vnde magis elegi gurgitem hunc ſupernatando deſcendere, quàm beatialiter in campo ſepeliri. Tunc ad monaſterium illam reducentes, diligentiorem ei cuſtodiam adhibuerunt. Ecce quanta malitia naſcatur de triſtitia. Fœmina iſta, ab infantia nutrita eſt in monaſterio, virgo caſta, deuota, rigida, religioſa, &, ſicut mihi retulit vicini monaſterij magiſtra, omnes puellæ ab ea educatæ, cæteris virginibus magis ſunt diſciplinatæ, magis deuotæ. Spero tamen quod Deus, qui multum eſt miſericors, multiſque modis electos ſuos tentat, qui tam miſericorditer de flumine illam liberauit, priſtinos eius labores attendens, finaliter perire non ſinet. Multa tibi poſſem huiuſmodi triſtitiæ exempla recenter geſta referre, ſed timeo quod infirmis non expediat talia legere vel audire. APOLLONIVS: Ego iam ſatis didici, nihil fieri ſine ratione, fortè ideo Deus talia permittit, ne aliquis, quantumlibet ſit perfectus, de ſuis virtutibus, vel virtutum operibus præſumat, ſed Deo totum, à quo eſt bonum velle, poſſe, facere, & perficere, attribuat. CAESARIVS: Verum dicis. Idcirco vxor Loth inobediens, verſa in ſtatuam ſalis, vt ſit malis exemplum, bonis condimentum.

Geneſ. 19.

CAPVT XLI.

VIX ſunt tres anni elapſi, quod Conuerſus quidam, ex nimia triſtitia, finalem incurrit deſperationem miſerabiliter. Loquendo vel ſcribendo de huiuſmodi tragœdijs nephandis, inuitus exprimo nomina locorum, vel perſonarum, ſiue ordinis qualitatem, ne per hoc aliquam religioſis videar inferre verecundiam. Idem frater, bene mihi fuit notus, vir à iuuentute vſq; ad ſenectutem laudabiliter & ſine querela inter fratres conuerſatus, ita vt nullus illo videretur in ordinis obſeruatione diſtrictior, & in virtutibus ſuperior; rarò loquebatur, rarò indultis conſolationibus vtebatur: neſcio quo Dei iudicio ita triſtis & puſillanimis effectus eſt, vt tantum de peccatis ſuis timeret, & omninò de vita æterna deſperaret. Non quidem dubitauit in fide, ſed tantùm deſperauit de ſalute. Nullis ſcripturarum auctoritatibus poterat erigi, nullis exemplis ad ſpem veniæ reduci, modicum tamen creditur peccaſſe. Cui cùm fratres dicerent, quid habetis vnde timetis, quare deſperatis? Reſpondit: Non poſſum dicere, ſicut conſueui, orationes meas, & ideo timeo gehennam. Quia triſtitiæ vitio laborabat, idcirco acedioſus erat, & ex vtroque, nata eſt in corde eius deſperatio. Poſitus in infirmatorio, quodam mane ad mortem præparatus ad magiſtrum ſuum venit, dicens: Non poſſum diutius contra Deum pugnare. Illo verba eius minus conſiderante, ad piſcinam monaſterio proximam abijt, & in eam ſe præcipitans ſuffocatus eſt.

CAPVT XLII.

IN alio quodam monaſterio ſanctimonialium anno præterito ſimilis penè caſus contigit, licet cauſa impellens diſſimilis fuerit. Puella quædam, ſicut mihi retulit quędam ſanctimonialis eiuſdem ordinis, à quodam homine miſero, habitu quidem religioſo, non animo, ita magicis artibus eſt dementata, vt tentationes ab illa conceptas ſuſtinere non poſſet; nemini tamen ſuam paſſionem aperire voluit, ſed ſolummodo dixit; Exire volo, quia pœnitet me huc veniſſe. Quæ dum exire non permitteretur, triſtitia vrgente, in puteum ſe nullo vidente præcipitans extincta eſt: quam

quam dum vbique quærerent, nec inuenirent, recordatæ sunt quædã sorores eam dixisse: Ego suffocabo me in puteo. Quæsita est ibi, & inuenta, sed mortua. Eodem tempore quidam homo miserabilis, alterius cuiusdam monasterij sanctimonialem simili extraxit malitia & impregnauit, quæ in seculo mortua est.

CAPVT XLIII.

ANte hos annos tredecim, conuentus noster veniens de messione, cùm nauigio Rhenum ascenderet, & in villam Coloniæ vicinam, quæ Rodinkirge dicitur, veniret, iuuencula quędã in ipsa hora vitam finierat, adhuc iacens in terra; de qua dicebatur, quod à quodam viro genuisset prolem, & quia ab eo fuerat repudiata, ex tristitia vehementi, talem sibi inflixerat mortem.

CAPVT XLIIII.

ANTE illud tempus, adolescens quidam Coloniæ vestes suas deluserat, pro quo infortunio ita tristis effectus est, vt solarium domus suæ ascenderet, & laqueo vitam finiret. Vides nunc, quàm periculosa sit tristitia, quæ non est secundum Deum? APOLLONIVS: Quid sentiendum est de animabus istorum? CAESARIVS: Si sola tristitia & desperatio, non frenesis, aut mentis alienatio, in causa fuerit, haud dubium quin damnati sint. De furiosis & fatuis, in quibus ratio non viuit, quæstio non est quin saluentur, quocunque modo moriantur, si tamen prius habuerunt charitatem. De supradicto Conuerso, quidam vir sapiens, qui illum bene nouit, me audiẽte sic ait: Non credo quod vnquam perfectè fecerit confessionem suam: Deus enim iustos & timentes se, licet ex eis aliquando quosdã, iusto suo iudicio, per-

permittat in sensu periclitari, non tamen illos sinit tam miserabili morte finiri. Ecce exemplum.

CAPVT XLV.

IN Saxonia ciuitate Brunsvvich, miles quidam nobilis fuit, nomine Baldevvinus, eiusdem ciuitatis aduocatus: iste, inspirante Deo, seculum deserens, in domo quadam ordinis nostri, quæ Relaxhusen dicitur, habitum suscepit; qui toto anno probationis ita sibi rigidus extitit, vt tã ab Abbate, quàm à magistro suo sæpe argueretur. Factus verò monachus, tanti fuit feruoris, vt non sufficerent ei communia; imò etiam communibus superadderet multa specialia, & præponeret priuata. Cæteris quiescentibus, ipse laborauit; alijs dormientibus, ipse vigilauit. Tandem ex nimijs vigilijs & labore, exsiccato iam cerebro, tantam capitis incurrit debilitatem, vt nocte quadam, antequam conuentus ad matutinas surgeret, oratorium intraret, formam nouitiorum ascenderet, & funi cãpanæ collo suo circumligato, desiliret, ipsamque campanã, mole corporis trahendo, crebris ictibus pulsaret. Territus custos, festinauit in oratorium; sed multo amplius territus est, dum sic pendere videret monachum: accurrens tamen funem incidit, & adhuc palpitantem, & penè strangulatum, deposuit atq; refocillauit. Ab illo tempore nũquam sensum pristinum recuperare potuit. Adhuc dicitur viuere, nec est ei curæ, quid, vel quando comedat, siue quamdiu dormiat. Sic quandoque de indiscreto feruore, nascitur vitium acediæ. APOLLONIVS: Dictum est superius, de acedia siue tristitia etiam nasci pusillanimitatem, hæc non videtur mihi esse vitium. CAESARIVS: Arbor mala, non potest facere fructum bonum. Licet pusillanimitas cæteris filiabus acediæ siue tristitiæ minor videatur esse malitia,

Indiscreti feruoris exemplum.

Matth. 7.

malitia, ſatis tamen tentatio illius eſt periculoſa; ipſa conuerti volentes ad bonam vitam, ſæpè auertit; conuerſos, ne proficiant, impedit. APOLLONIVS: Da exemplum.

CAPVT XLVI.

CAESARIVS:

Pusillanimitatis exempla.

ABbas quidã nigri ordinis, modò monachus in ordine noſtro, narrauit mihi, quod magiſter quidam Pariſiẽſis ad ordinem noſtrum venire deſiderans, ſilentium primi anni, ex quadam puſillanimitate mentis ita timuit, vt ordinem nigrorum intraret, ibiq́ue probationis annum compleret: qui mox vt factus eſt monachus, dixit ad conuentum: Gratias ago vobis domini mei de beneficijs mihi à vobis exhibitis, quia ad quod veni, hoc apud vos expleui; modò cum licentia veſtra migro ad ordinem Ciſtercienſem: non enim veni vt vobiſcum manerem, ſed vt inter vos tentationes, quas timui mihi, temperarem. Veniẽſq́ue ad quandam domum ordinis noſtri, non vt nouitius probationem intrauit, ſed habitum tantùm mutauit.

CAPVT XLVII.

RECordor nunc cuiuſdam viri valde literati, & cuiuſdam nobilis eccleſiæ prælati; huic cùm nuper dicerem, quare non venitis, vt quid tandiu expectatis? Reſpondit mihi; Non audeo intrare in tentationem; diſtrictionem ordinis, tentationem appellans; ex multo enim tempore voluntatem habuit veniendi ad ordinem, ſed quadam puſillanimitate impeditus eſt vſq; huc. Huic congruit illud Salomonis: Qui obſeruat ventum non ſeminat. Ventus eſt tentatio, ſeminatio conuerſio: qui nimis timet in ordine tentari, vix poterit ad

Eccli. 11.

rit ad ordinem conuerti. Noui plures in ſeculo, tã clericorum, quàm laicorum, qui à multo tẽpore votum fecerunt, nec tamen audent conuerti timore tentationum; ſemper ante oculos habent tentationes, ſed non conſiderant multimodas, quæ in ordine ſunt, conſolationes. Ecce exemplum.

CAPVT XLVIII.

REtulit mihi Daniel Abbas Sconauiẽ, militem quendam honeſtum, & in militia nominatũ, in Campo factum fuiſſe monachũ. Hic cùm alium quendam militem, æquè in armis ſtrenuum, in ſeculo amicum habuiſſet, & die quadam ad conuerſionem eum hortatus fuiſſet; reſpondit ille magnæ puſillanimitatis verbum, Verè amice, ego fortè venirem ad ordinem, ſi non eſſet vna res quàm timeo. Interrogante monacho, quænam eſſet res illa. reſpondit miles; Vermiculi veſtimentorum; pãnus enim laneus, multos vermiculos nutrit. Tunc ille ſubridens ait; O fortem militem, qui in bello diaboli non timuit gladios, in militia Chriſti timere debet pediculos? Auferent tibi nunc pediculi regnum cælorum? Ille, licet ad hæc verba tunc tacuerit, tẽpore tamen modico emenſo, effectu reſpondit: nã & ordinem, tam verbis, q̃ exemplo illius prouocatus, intrauit. Cõtigit vt poſtea hi duo conuenirent Coloniæ in eccleſia beati Petri, Monachus verò Campenſis, cùm alterum regulariter ſalutaſſet, ſubridens adiecit; Quid eſt frater, times ne adhuc vermiculos? Ille, bene recordãs vnde talis interrogatio haberet originem, & ipſe ſubridendo reſpondit verbum bonum & memoria dignũ; Crede mihi frater, & hoc pro certo ſcias, quia ſi eſſent omnes vermiculi omnium monachorum in meo corpore, non me de ordine morderent. Quo verbo audito, ille multum ædificatus eſt, multis

multis ad ædificationem recitans. Vides quantæ fortitudinis sit factus is, qui ante conuersionem nimis fuerat pusillanimis? vnde hoc, nisi ex diuinis consolationibus, quæ sunt in ordine? Hæc de his dicta sint, quos vitium pusillanimitatis ne conuertantur auertit. Nunc audi aliqua exempla de his, quos post conuersionem, ne proficerent tentauit, & impediuit.

CAPVT XLIX.

Nouitiorum tentationes.

SCholasticus sancti Andreæ in Colonia Godefridus, cùm esset vir debilis, & decrepitæ ætatis, ad ordinem cum multa animi instantia venit. Ego verò cum ipso in probatione fui; de quo etiam plurima, quibus vexabatur tentationum genera vidi & audiui. Die quadam cùm ad chorum festinaret, & cappam suam induere conaretur, diabolus conatum eius impediuit, cappamque fortiter extraxit. Tandem post non modicam fatigationem ad se reuersus, à diabolo se impediri considerans, cappam induere cessauit, & signans se, fugauit inimicum, hec aliquid deinceps passus est impedimentum. Cum iam ad finem tenderet annus probationis, cœpit ei diabolus ad mentem reducere diuersa, quæ in seculo habuerat commoda, proponere etiam plurima, quæ in ordine esse videntur incommoda, pondus videlicet vestimentorum, longas vigilias, & silentium, calorem in æstate, & frigus in hyeme, regulare ieiunium, & tenuē dietam, & cætera huiusmodi similia: in quorum omnium consideratione ita pusillanimis affectus est, vt omninò de perseuerantia desperaret, & dixit mihi; Non putabam ordinem tantæ esse districtionis; vsque ad hoc tempus æstimaui, quod minuti carnes comederent, & quod monachi sine cucullis suis dormirent; pœnitet me huc venisse; propo-

positum meum est, vt per memetipsum eantem in ecclesia mea in Herlisheim, cuius pastor sum, quæ satis malè modò locata est, & spero per Dei gratiam, quod honestè & sine querela regere debeam in ea plebem mihi commissam. Cui respondi: Tentatio diaboli est, qui vos sub specie boni eijcere conatur. Tunc ait: Si istud non est bonum, reuertar ad præbendam meam, & in ambitu claustri cameram aliquam mihi eligam, vbi tam canonicè viuam, vt alij exemplo meo ædificentur; chorum frequentabo, & quicquid mihi subtrahere potero, pauperibus erogabo: Ad quod iterum respondi; Et hoc consilium diaboli est; si reuersus fueritis, omnibus eritis derisui, & qui hæc suasit, in peccata pristina vos præcipitabit. Sic eo fluctuante, cùm die quadam ego ad latus eius sederem, & verba cōsolationis impenderem, codicem psalmorum arripuit, & ait; Videamus quid de me dicturi sint fratres mei, si reuersus fuero: primus autem versiculus qui occurrit iste erat; Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum. Statimque exclamauit: Verum prognosticum: ego, inquit, tibi exponam prophetiam istam; Si rediero ad sanctum Andream, concanonici mei, quotiens in porticu ecclesiæ suæ sedebunt, ipsi aduersus me loquentur, me iudicantes, & de salute mea disputantes: noctibus verò, quando sedebunt ad ignem, & vacabunt potationibus, ero psalmus eorum. Sicque Dei misericordia ad mentem reductus, & à se confortatus, monachus effectus est, & non multo post in bona contritione defunctus, migrauit ad Dominum. *Psal. 68.*

CAPVT L.

REinerus, iam dictæ ecclesiæ sancti Andreæ Scholasticus, & fratris Godefridi successor, cùm

cùm post eius mortem fieret apud nos nouitius, in tantum cœpit varijs tentationibus vexari & turbari, vt pusillanimis effectus, die quadam Domino Geuardo Abbati diceret: Non possum hîc diutius manere, quia nec ordinem valeo diutius sustinere. Quem cùm interrogasset; quò vultis ire? Respondit ille; Ad præbendam meam oportet me redire. Tunc Abbas, quasi vir prudens, quandam seueritatem simulans cœpit (nescio ad quem) clamare; Afferte mihi securim: ui cùm diceret nouitius; Quid debet securis? respondit; vt præcidantur pedes vestri. Credite mihi, magis volo vos sine pedib' semper pascere, quàm vos sinam abire, & confundere domum nostram. Tunc ille subridens ait; Melius est vt maneam, sicq; per verba iocosa, cessauit tentatio satis dura. APOLLONIVS: Vt considero, nouitius facilè tentatur, & facilè sanatur. CAESARIVS: Hoc plenius scies in sequenti capitulo.

CAPVT LI.

NOuitius quidam cum in Hemmenrode satis tranquillè annum peregisset probationis, & volũtate stabilitatis expressa in capitulo, radendus esset in monachum, atq; is, qui eum radere debebat, rasorium in corrigia corrigeret, diabolus eadem hora sic iuuenem contristauit, sicque pusillanimen reddidit, vt mutato animo rasorem non admitteret. Quo viso, dominus Hermannus Abbas loci sanctę Marię, tunc ibidem Prior, simulata quadam iocunditate accurrit, collum iuuenis vtroque brachio strinxit, & quia eadem tristitia ex immissione esset diaboli docens, fluctuantem ocyus ad tranquillitatem perduxit. Tentatione verò sedata, mox adolescentis facies, non sine assistentium admiratiõe, est serenata, & permisit se radi. Sicut mihi retulit iam dictus Abbas, ita vultus nouitij subitò fuerat immutatus, vt nigredo maxillarum, & tremor labiorum satis ostenderent, quid corde concepisset. APOLLONIVS: Ecce istud est quod iam dixi, quia nouitijs tentatio facilè veniat, & facilè recedat. CAESARIVS: Quædam tentationes nouitiorum tam duræ sunt, & tam validæ, vt illas conpescere valeant non verba, non exempla, sed sola potentia atque consolatio diuina.

CAPVT LII.

NOuitius quidam tempore probationis suæ, ex quadam tentatione diabolica, quam nunquam ante conuersionem senserat, grauissimè turbabatur: Erat enim eadem tentatio de incarnatione Verbi, non quod de illa malè sentiret, sed diabolus per spiritum blasphemiæ feruorem mẽtis illius nitebatur extinguere, vt dum de ea dubitaret, tantos pro Christo subire labores recusaret. Die quadam, cùm staret ad Primam in choro nouitiorum contra altare, contemplatus est oculis corporeis imaginem crucifixi in aëre venire ad se, ac si diceret; Quare dubitas? respice in me, ego sum ille, qui natus & passus sum pro te. Per aliquã horã ante faciem eius pendens erat ipsa imago, quã tantùm videre potuit ab vmbilico & supra. Interrogatus à me, si sciret quid hoc signaret, respõdit; Dominus mihi contulit gratiã illam, vt nihil impudicũ, & ꝓ lædere possit verecundiam meam, cogitare possim de illo, & ideo intellexi, quod tantum partes corporis sui superiores, non inferiores mihi ostendere dignatus est, Ab eadem hora, omnis illa cessauit tentatio, quam ante nulla confessio, nulla sanare potuit oratio. Et licet iam dicta tentatio cessauerit, non tamẽ tentator cessauit: quem enim deijcere non potuit per blasphemiam, fugare

fugare conatus est per acediam. Nam per plurimos dies, quotiens ire debebat ad ecclesiam ad horas canonicas, venissetq; ad ostium cellæ, sensibiliter, & tam grauiter scapulis diabolus illum depressit, vt compelleretur residere & quiescere. Factus monachus, tam fortis, & tam feruens est in ordine effectus, vt tædere nesciret, quacumq; specie acediæ impugnatus.

CAPVT LIII.

ABbas Philippus de Ottirburg, retulit Abbati nostro de quodam suo nouitio tentationē satis grauem, & sola Dei reuelatione sedatam. Cùm enim idem nouitius tam grauiter esset tentatus, vt a nullo hominum posset consolari, & firmum cepisset propositum recedendi, eadem nocte, qua de mane ad seculum redire voluit, talē somnium vidit. Visum est ei, quia staret ante ostium portæ, de qua duas hinc inde consideraui vias exire; vna ex illis vergebat ad dexteram, altera ad sinistram; vtraque tamen ducebat in sylua oppositam. Stante nouitio in biuio, cùm dubitaret quam illarum eligeret, senem quendam cominus stare conspexit, cui sic ait; Bone vir si nosti, ostende mihi quæ ex his duabus vijs sit rectior, & ad ambulandum commodior. Ad quod ille respondit: Ego plenè & bene te expediam. Via hæc, quæ est à dextris, in nemore per breue spacium spinosa est, inæqualis, lutosa, & aspera; postea sequitur cāpus amœnissimus, longus, planus, varijsque floribus decoratus. Via verò quæ est à sinistris, in sylua quidem commoda est, plana, sicca, lata, & bene trita, latisque deliciosa, sed non longa, cui campus mox continuatur longus, scopulosus, lutosus & asperrimus, etiam ipsi visui horrendus. Ecce totum prædixi tibi, quodcunque volueris elige. Hoc dicto nō-

cto nouitius expergefactus est, non dubitans visionem propter se factam, vtpote bene suæ tentationi congruentem. APOLLONIVS: Vellem scire interpretationem huius visionis. CAESARIVS: Via ad dexterā, vitam signat monasticam & spiritualē; via ad sinistrā, vitam secularē, atq; carnalē; sylua, pſens vita est; in qua more arborū homines crescunt per ætatē, & succiduntur per mortem. Vtraq; vita breuis est, siue monastica sit, siue secularis: illa ni præsenti spinosa est, per rigorē ordinis, inæqualis per multimodam tentationem, lutosa per humilitatem subiectionis, angusta per raritatem voluntariæ paupertatis: Angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, quæ per dexteram designata est. Campus verò longus, & amœnus, paradisus est, quam per multas tribulationes oportet nos introire. Econtra, vita secularis atque carnalis, quam sinistra designat, eò quod ad sinistram Christi in se gradientes ducat cum hœdis iudicandos, in præsenti commoda est, ob carnis necessaria, plana propter prospera, sicca propter inobedientiam, lata & bene trita, eò, quod multi ambulent per eam, deliciosa propter concupiscentiam oculorum. In hunc modum visum interpretans, à tentatione apostasiæ liberatus est, atque à pusillanimitate spiritus & tempestate. APOLLONIVS: Satis est mirabile, quod Deus tam efficaciter spiritum instruit hominis dormientis. CAESARIVS: Recordor nunc cuiusdam nouitij; vigilando quidem satis tentati, & per visum nocturnum, non minori virtute, ab eadem tentatione liberati.

Matth. 7.

Act. 14.

Psalm. 54.

CAPVT LIIII.

ALNA domus est ordinis nostri in Flandria sita, cuius mentionem feci in distinctione

prima,cap.vj.in hac ante non multos annos miles quidã nobilis, Gerardus nomine de Castro Tuino oriundus,conuersus est;cumque nouitius in choro nouitiorum staret , & clamores monachorum in choro superiori super caput suum cãtantium frequenter exciperet,tentari cœpit. Amplius tamen caput eius turbabatur, quotiens Alleluia cantabatur,in illo maximè voces exaltari solent; & factus ex hoc pusillanimis,accessit ad Priorem,& ait;Domine Prior,caput meum doleo, nec diutius tãtum clamorem super caput meum tolerare potero.Cui Prior verba quædam consolationis impendit, sed parum illi profuit. Nocte quadam, cùm maximè de hoc nouitius tentaretur, vidit se in somnis à quibusdam militibus,aliquando inimicis suis, vndique vallatum,nec aliquod refugij superesse subsidium : cumque putaret se celerius esse capiẽdum, vel interficiendum , clamauit ad Dominum dicẽs; Domine libera me in hac hora: & circumspiciens, mox vidit exercitum candidatorum de longè venientem, sibique in auxilium properantem : signifer autem,qui præcedebat,pro signo militari Alleluia finaliter clamauit,crebrò id repetens, qua vociferatione hostes territi & dispersi , fugam inierunt,nouitium solum relinquentes. Qui expergefactus,non solùm gauisus est se fuisse liberatum ab eis, qui eum circundederant in nocturna visione, sed, quod magis eum angebat, prædicta videlicet tentatione.Manè accedens ad Priorem, dixit ei satis hilariter;Rogo vos domine Prior, vt adhuc altius & fortius cantetis Alleluia super caput meum, non me amodò turbabit clamor diuinæ laudis : & recitauit ei visionem per ordinem. Ista nobis retulit sanctæ recordationis VValterus de Birbach, qui eundem Gerardum vidit & agnouit. APOLLONIVS : Puto etiam nonnullos monachos de apostasia tentari. CAESARIVS : Multi de ea tentantur,& viriliter reluctantur : alij tentantur, & tam voluntate , quàm opere prorsus superantur: quidam verò tentantur, & concepta voluntate,diuinis reuelationibus,siue ordinatione,ante casum reuocantur : nonnulli verò, flagellis cohibentur. APOLLONIVS : De his mihi dicas exempla. CAESARIVS: De primis & secundis, quia tentatio eorum satis est vsitata,non est necesse tibi dicere exempla.De nouissimis verò tibi dicam quod audiui.

CAPVT LV.

De Apostasia tentati, resipiscentes.

MOnachus quidam de Ottirburg, teste domino Philippo Abbate eius, qui hæc retulit,tentationes incurrit, vt redire proponeret ad seculum. Nocte quadam, cùm staret in choro,& mente tractaret, quando, vel quomodo de monasterio exiret , præ tædio cantare non potuit. In laudibus verò, dum canticum sancti Habacuc psallerent, eò quod esset feria sexta,iam dictus Abbas ad excitandum fratres circumiuit; qui cùm venisset ad monachum illum fluctuantem, & non cantaret, putans eum dormire, se ad illum inclinauit,& versiculum, qui eadem hora psallẽdus erat,in aurem vigilantis fortiter clamauit, dicens: Egredietur diabolus ante pedes eius. Qua voce audita,satis territus est ille, putans Abbatem per aliquam reuelationem cogitationes suas peruersas scire, quibus tam manifestè sententia prophetica visus est respondere : nec aliter intelligens verba prophetæ,quam de se facta, timuit maledictionem eius si abiret incurrere, & diabolum itineris sui ducem habere : sicque virtute diuina reuocatus à malo proposito, stabilis factus est ; & miratus est Abbas vt intellexit,

Habac. 3.

CAPVT LVI.

SAnctimonialis quædam circa principium conuersionis suæ, sicut ipsa mihi retulit, tã grauiter tentata fuit, vt doleret se venisse ad religionem. Reduxit ei ante cordis oculos diabolus delitias seculi, quas dimiserat; penuriam monasterij, quam sustinebat, & cœpit ex hoc grauiter tentari & contristari. Quæ cùm tentationes diutius sustinere non posset, nocte quadam voti sui immemor, de lecto surgens, & de monasterio egredi volẽs, ad ostium quoddam, quod ad cœmiterium ducit, venit, vt transilito muro ad seculum iret. Nutu Dei factum est, vt in superiori limine tam fortiter capite impingeret, vt concusso cerebro retrorsum caderet, & diu quasi exanimis iaceret. Tandẽ ad se reuersa ait; Quò vis ire misera? quod diabolo debui sti, hoc exoluisti: reuertere nũc in claustrũ, quia nõ est voluntas Dei vt vsquam vadas. Vides quàm misericorditer Deus suos cõseruet, nunc per somnia, nunc per quædam præsagia, nũc per flagella. Ex his satis poteris colligere, quod quædam nouitiorum tentationes, nec non & monachorum, non verbis humanis, & exẽplis possint curari, sed sola diuina virtute. Hæc tibi dicta sufficiant de tentationibus acediæ vel tristitiæ. Vis nunc aliqua audire exempla de auaritia? APOLLO. Volo & desidero, quia hoc vitio non solum seculares, sed & claustrales satis tentantur. Vnde peto vt idem vitium mihi describens, filias eius enumeres, & sic exempla subiungas.

CAPVT LVII.

CAESARIVS.

De Auaritia.

AVaritia est gloriæ, seu quarumlibet rerum insatiabilis & inhonesta cupido. Hoc vitiũ alio nomine vocatur philargyria. Videtur tamẽ inter hęc duo aliqua esse differẽtia, quia, Auaritia

ritia est immoderatus appetitus habendi omnium rerũ; Philargyria verò per quam singulari appetitu pecunię colligendæ frena laxantur. Auaritia aũt filię sunt, fallacia, ꝓditio, periuria, inquietudo, violẽtia, contra misericordiam obdurationes cordis. Auaritia in duobus consistit, in acquirendo scilicet, & retinendo; de cuius malitia per Salomonem dicitur: Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam. Dominus volens Zachariæ ostendere vnde maximè procederent mala mundi, ostendit ei amphorã, per cuius amplũ os intelligeret cupiditatẽ. Ipsa in eodem propheta dicta est oculus in vniuersa terra. Secũdum Apostolum: Radix omnium malorum est auaritia. Per eã non solùm tentantur personæ seculares, sed etiam spirituales. Iacob regredientem ad terram natiuitatis suæ, secutus est Laban, volens eũ retinere; quẽ cum retinere nõ posset, ait: ad tuos ire volebas, cur furat' es deos meos? Iacob, qui interpretatur luctator, vel supplãtator, significat virũ monasticum, qui esse debet supplantator vitiorũ; Laban verò, qui sonat candidus, designat mundum. Contingit frequenter, vt aliquis mundum per conuersionem deserat, nec tamen conuersus ab auaritia cor suum cohibeat: hunc iustè mundus insequitur & dicit; Desiderio erat tibi domus patris tui, id est, patria cœlestis, cur furatus es Deos meos? ac si dicat; Cur sectaris auaritiam? de auro & argento, quod religiosi satis appetunt, idola fiunt. Non ergo sine causa auaritiam, idolorum seruitutem vocat Apostolus. Rachel, quæ interpretatur videns Deum, anima est Religiosi, quæ dum mundi huius diuitias concupiscit, quasi idola substramentis abscondit. Omnia enim corporis necessaria, quæ monachis regula concedit, quia vilia sunt, stramenta dici possunt. APOL. Sæpè ordo nostrer à secularibus de auaritia iudicatur. CAESAR.

Prouer. 15.
Zachar. 5.
Ibidem.
1. Tim. 6.
Genes. 31.
Colos. 3.

Religiosis sæpè falsò tribui auaritiam.

quod illi auaritiam, hoc nos dicimus esse prouidẽtiam: omnes hospites superuenientes, ex mandato regulæ tenemur sicut Christum suscipere, quibus si negaretur hospitalitas, qui modò ordinem iudicant de auaritia, tunc fortè amplius eundem iudicarent de impietate & immisericordia. Penè nulla domus est ordinis, quæ nõ sit obligata debitis, tũ propter hospites & pauperes, tũ ꝓpter eos, qui quotidiè conuertũtur, & sine scãdalo repelli nõ possũt. Vt enim dispensatores nostros excusem, non de toto, sed de tanto, sæpe hac necessitate oportet illos, velint nolint, auere. Quanta pœna vitium auaritiæ in præsenti, siue in futuro plectatur, vel quãta gloria & fructu diuitiarum contemptus in præsenti etiam remuneretur, quibusdam tibi ostendam exemplis. Magna erit eius gloria in futuro.

CAPVT LVIII.

Auaritia punita in hac vita.

MILES quidam Cæsarius nomine, de proxima villa Vvintere oriundus, fratrem habuit carnalem nomine Herminoldum Bõnensis ecclesiæ Decanum; iste eidem Cæsario accommodauerat de pecunia ecclesiæ 20. marcas Coloniensis monetæ. Mortuo Decano, Præpositus, & fratres militem, quia pecuniam sibi cõmodatam reddere recusauit, imò, quod deterius erat, omninò negauit, & quia illum testibus conuincere non potuerunt, iurare compulerunt. Miles verò, stimulatus auaritia, iurauit & peierauit, equum ascendit & abijt, sed manum Domini effugere non potuit. Cùm autem complesset medium viæ, ire volens ad domum suam, procedere non potuit. Nam propter auaritiam, quæ radix est omnium malorum, Dominus gressum illius in terra fixit, & quia mentitus fuerat, linguæ eum officio priuauit. Sentiens se ille iusto Dei iudicio non posse loqui, neque procedere

Periurium punitur. 1. Tim. 6.

cedere, vel saltem Bonnam redire, sanctum Abraham patriarcham, qui tunc ei in mentem venit, satis deuotè inuocauit, dicens; Sancte Abraham, si tuis meritis cum officio linguæ gressum recepero, mox Bonnam reuertar, & fratribus suam pecuniam restituam. Statim vt hæc vouit, loqui cœpit, gressumque recepit, pecuniam reddidit, & de periurio pœnitentiam egit. Hæc idem Cæsarius retulit Abbati nostro, vir quidem simplex, & satis bene morigeratus, obijtque nouitius in domo nostra. APOLLONIVS: Si Deus adeò durè punit auaritiam in personis secularibus, puto quod multo acrius illam puniat in claustralibus. CAESARIVS: Verum est, maximè vbi filiæ adsunt, fallacia scilicet, & fraus, violentia, & contra misericordiam induratio cordis.

CAPVT LIX.

Auaritia religiosorum punita. Prouerb. 11.

CEllerarius quidam ordinis nostri tentatus auaritia, viduam quãdam defraudauit, immemor parabolę Salomonis; Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam. Dominus verò non immemor vindictæ, anno eodem, totum penè vinum, quod monasterio creuerat, ita deteriorauit, vt nullius esset saporis vel coloris. Sentiens Abbas tantam plagam non esse sine causa, virginem Christi Azelinam, quæ tẽporibus meis Coloniæ fuit, vt sibi à Domino causã illi⁹ flagelli peteret reuelari, humiliter exorauit. Quod cùm fecisset, responsum est ei, quia propter fraudẽ esset Cellarij sui, quã in talẽ viduã exercuerat; & adiecit Dominus; Adhuc eum tangam vna plaga maiori. Quod factũ est ita: eodem enim anno, miles quidam omnem penè annonam monasterij incendit in horreis, sicque plaga cessauit. APOL. Cùm Deus valdè sit misericors, quid est quod propter vnius hominis fraudem,

Universidad de Deusto Biblioteca

Iosue. 7. omnem puniat congregationem? CAESARIVS: Sicut legitur in Iosue, propter auaritiam Achan, qui de anathemate Iericho tulit, in omnem populum ira Dei desæuit: nã sicut Deus misericors est, ita & iustus est. Si propter vnius meritũ sæpe multitudini parcit, quid miraris, si dictante eius æquitate, aliquando propter vnius delictũ, multos punit? APOL. Si hæc ita se habent, videtur mihi vtile subiectis, & necessarium prælatis, vt frequenter officiales suos moneant, ne alicui fraudem inferãt, ne fortè per hoc flagellum contra se iudici porrigant. CAESAR. Verum dicis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit. Non solum Deus punit, si instinctu auaritiæ damna alijs inferamus, imò etiam si nostra auarè retinendo, egentibus non impertiamur, vel exhibita immisericorditer ante tempus subtrahamus.

1. Cor. 5.

CAPVT LX.

IN Brabantia domus est ordinis nostri, quæ Vilarium dicitur, in qua hospitib⁹ & ægenis multa bona sæpè exhibita sunt, & adhuc quotidie exhibentur. Hoc anno, cùm essent in eadẽ prouincia tempora cara, fratres eiusdem cœnobij summã annonæ suæ taxantes, &, sicut mos est humanæ infirmitati, defectum timentes, ex diabolica, vt patuit, tentatione, subsidiũ quod pauperibus satis largiter impendere cõsueuerant, vsq; ad messem subtrahere consiliati sunt. Eadẽ nocte, sicut retulit nobis quidã monachus, de eadem domo veniens, piscina, quę erat vltrà claustrũ, erupit, & per diuersas se diffundens officinas, grauiter illos dãnificauit. Quod fratres, vtpote viri iusti & timorati, peccatis suis & maximè conceptæ auaritiæ in pauperes deputantes, mutato cõsilio, sicut ante beneficia illis solita impenderunt. APOLLON. Vellẽ nunc aliqua

audire exempla de pœna auaritiæ in vita futura. CAESARIVS: Hoc differendum est vsque ad distinctionem duodecimam, in qua tractandum est de pœna & gloria mortuorum. Interim tibi dicam quædam exempla contra auaritiam, vt cognoscas quantum boni, quantumue gloriæ consequantur hi, qui ab auaritia tentati, superati non fuerint.

CAPVT LXI.

Auaritia repugnantes remunerat.

ABbas quidam nigri ordinis, sicut retulit mihi quidam Abbas de ordine nostro, venit ad Abbatem quendam Clareuallis, dicens illi; Domine Abba, date mihi falcem, & ego dabo curuum vobis baculum. Ille, quid facere vellet statim intelligens, virum suscepit, habitum mutauit, & quia hominem prudentem eundem esse consideraui, non multo post domui cuidam ordinis nostri Abbatem eum præfecit. Eodem tempore domus illius fratres, pro quibusdam possessionibus cũ quibusdam personis secularibus contenderunt: ventilata est causa coram iudicibus, & data est sententia pro Abbate & fratribus. Postea Cellarius Abbati secretè dicebat; Domine bene hodie placitauimus; sciatis tamen, causam nostram non ex omni parte fuisse iustam. Auditam hoc verbo, Abbas satis turbatus est, tacuit tamen. Sequenti die capitulum intrauit, Cellarium proclamauit & deposuit, eò quod auaritiæ suæ consulens, suppressisset veritatem, & misso pro aduersarijs nuntio, ait illis; Boni homines, bona vestra vestra sint, ego à die hodierna non repetam illa: qui cum gaudio recedentes, ita in Abbatis simplicitate & iustitia ædificati sunt, vt cõpuncti ocyus redirent, & bona pro quibus diu contenderant, grato animo monasterio liberè conferrent; quæ cùm non consentiret Abbas recipere, responderunt; Domine, quicquid nostri iuris

iuris fuit in his bonis, remittimus, quod ad nos pertinebat, Deo in eleemosynam offerimus. Tunc primùm Abbas acquieuit sua recipere, magis claustrũ suum ędificans sua simplici iustitia, quã Cellerarius sua astuta auaritia. Simile penè audies de domino Petro Abbate Clareuallis, in distinctione sexta, cap. 11. Viri iusti multum detestantur auaritiam, sicut audies in sequenti capite.

CAPVT LXII.

APud monasterium sancti Chrysanthi Scholasticus quidam fuit, vir magnæ prudentiæ atque scientiæ, natione Gallicus, nomine Vlricus, cui cùm redditus scholasteriæ non sufficerent, necesse erat vt debitis obligaretur. Quidam ex fratribus Steinueldensis monasterij, ordinis Præmonstratensis, eò quod virum magnæ literaturæ illum conspiceret, frequenter monuit, vt ad domum suam gratia cõuersionis se transferret. Tandem ille diuinitùs inspiratus, in hęc verba respondit; Pecuniam aliquantulam debeo, soluite illam, & veniam ad vos. Quod cum intellexisset, Præpositus prædicti monasterij pecuniã libentissimè soluit, & Scholasticus statim habitum suscepit; qui nõ multo post eiusdẽ cœnobij factus est Præpositus; nondũ.n. in ordine Præmonstratensi erãt Abbates. Sciẽs ille cũ officio animas se regendas suscepisse, non pecora, vel possessiones, operã dabat extirpandis vitijs, non pecunijs cõgregandis, sciẽs auaritiã radicẽ esse omniũ malorũ & vitiorũ. Habebat aũt viuũ Conuersum, in administratione exteriorum, ita scioculum & circumspectũ, ita solicitũ & perfectũ, vt omnia per manus eius transirent & curtibus ecclesię, quæ necessaria erant, tã in aratris, quã in pecoribus, siue expensis, ipse quasi solus vniuersa prouideret. Omnia ipse erat, omnia disponens, nihil

1. Tim. 6.

nihil negligens, agrum agro copulans, & vineam vineæ coniungens. Prępositus ista considerãs, & in scripturis legens; Nihil auaro esse scelestius, die quadam Conuersum eundem ad se vocans ait; Nosti Barbate quare venerim ad ordinem? Quia non bene exprimere potuit theutonicum idioma, habere non potuit verba ornata, & ideo quicquid loquebatur Conuersis, videbatur esse peruersum atque distortum. Respondit Conuersus; Non noni domine. Tunc ille: Ego dicam tibi; Ad hoc veni, vt peccata mea in hoc loco defleam. Quare ergo tu venisti? Respondente eo; Domine simili de causa: ait Præpositus; Si venisti peccata deflere, formam debueras pœnitentis tenere, hoc est, vt frequenter sis in oratorio, vt vigiles, vt ieiunes, Deumq; pro peccatis tuis iugiter exores. Nõ enim pœnitentis est, vt tu facis, vicinos suos exhæreditare. & densum lutum cõtra se congregare. Ad hæc Conuersus respondit; Domine, bona illa quę cõparo, agris vel vineis Ecclesiæ nostræ continuãtur. Et Præpositus: Bene, cũ illa fuerint empta, necesse est vt emas etiam illa, quæ emptis coniungũtur. Nosti quid dicat Isaias? Væ, inquit, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis. nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? Tu verò auaritiæ tuæ nullum terminum ponis. Cùm omnia, quę in hac prouincia sunt, à te fuerint comparata, flumen Rheni pertransibis pede: deinde procedes vsque ad montana; nec sic quiesces, donec peruenias ad mare. Puto quia ibi gradum sistes, eò quod pelagus sit latum & spaciosũ, gressus autẽ tuus strictus. Mane ergo in claustro tuo, frequenta oratorium tuum, vt die noctuq; possis peccata tua deplangere: expecta paulisper, & habebis satis terræ subtus te, & supra te, & intra te, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Hæc audientes quidam

Eccl. 10.

Habac. 2.

Isai. 5.

Genes. 3.

quidam ex fratribus senioribus, dixerunt; Domine domine, si Cõuersus iste fuerit amotus, domus nostra subsistere non poterit. Ad quod ille respondit; Melius est vt domus pereat, quàm anima, & non acquieuit petitioni eorum. APOLLONIVS: Iste fuit verus pastor, sciens oues sibi commissas, non corruptibilibus auri & argenti fuisse redemptas, sed pretioso sanguine agni immaculati. CAESARIVS: Hoc satis in eius verbis & actibus claruit. Nam tempore illo, quo Reinoldus factus est Coloniæ Archiepiscopus, & essent Episcopij redditus obligati, cortesque desolatæ, suasum est ei, vt ex diuersis domibus ordinis Cistercienſis diœcesis suæ, Conuersos fideles atque prouidos accommodaret, qui & cortibus præessent, & annuos redditus sua industria reformarent. Qui cùm consilio tali acquieuisset, & tam ex Campo, quàm ex Monte, domibus religiosis, Conuersos aliquos collegisset, suasum est ei, vt etiam prædictum Conuersum assumeret. Pro quo cum honestum misisset nuntium, & ille ex parte Episcopi salutasset Præpositum, adiecit; Dominus meus Archiepiscopus modicam petitionem petit à vobis, quam ei negare non debetis. Cui cùm Præpositus respondisset; Non est domini mei rogare me, sed præcipere; subiunxit ille; Petit obnixè, vt talem Conuersum, ad tales vsus ei accommodetis. Ad quod verbum Præpositus satis humiliter, & constanter, ac mansuetè respondit; Habeo ducentas oues in tali grangia, in alijs verò tot, & tot; similiter boues & equos, dominus meus tollat ex illis quantum voluerit; Conuersum verò animæ meæ commissum, ad tales vsus non habebit. Ego autem non de ouibus & bobus, sed de commissis mihi animabus, summo pastori in die iudicij rationem redditurus sum. & non concessit ei. Reliquit & aliud liberalitatis suæ indicium,

1.Petr.1.

Universidad de Deusto Biblioteca

dicium, contra auaritiam religiosorum vtile satis exemplum. Die quadam, antequam amotus esset præfato modo supradictus Conuersus ab administratione sua, Præpositus ad vnam grangiarum suarum venit, in qua pullum equinum pulchrum satis vidit, de quo iam dictum fratrem, cuius esset, vel vnde veniret, interrogauit. Cui cùm Conuersus responderet, talis homo bonus & fidelis amicus noster moriẽs, eum nobis legauit. Ait propositus; Vtrũ ex deuotione, vel ex aliquo iure legauit eum? Respondit Conuersus; Ex decessu illius emersit; nam vxor eius, eò quod esset de familia nostra, iure curmediæ illum obtulit. Tunc ille mouens caput, respondit pium verbum; Quia bonus homo, & amicus noster fidelis erat, idcirco vxorem eius spoliasti? Redde ergo fœminæ destitutæ equum, quia rapina est, aliena rapere vel retinere, tuus enim antea non fuit. Quia idem Præpositus vir prudens erat, pro negocijs monasterij egrediens, secum iuuenes minus libenter ducebat; nouerat enim hoc eis non expedire, propter tentationes diabolicas. Die quadam, cùm vnum ex adolescentibus secum adduxisset, & simul equitantes, nescio quid, vel vnde conferrent, obuiam habuerunt iuuẽculam formosam; quam cùm ex industria equum suum retrahendo Præpositus salutasset officiosissimè, stetit illa, & inclinato capite resalutauit eum. Cùm paululum processissent, volens Præpositus tentare iuuenem, ait; Puella ista videbatur mihi multum formosa fuisse. Cui cùm ille diceret; Credite mihi domine, & hoc ipsum visum est mihi; respondit Præpositus; Vnum tamen deformat eam, scilicet quod monocula est. Respondit iuuenis; Verè domine vtrumque oculum habet; ego enim satis diligenter consideraui eam. Tunc motus Præpositus ait; Et ego considerabo dorsum tuum; tantæ debueras esse simplicitatis,

tatis, vt vtrum esset mas vel fœmina scire non posses. Reuersus verò ad monasterium, dixit senioribus; Vos domini, quandoque arguitis me, quod mecum non educam iuniores, & exponens eis causam, prædictum iuuenem durius arguit, atque castigauit. Tantæ autem erat literaturæ, vt tempore quodam pro negotio ordinis sui Cistercium pergens, in capitulo generali faceret sermonem. Hæc mihi retulit quidam ex senioribus domus illius. APOLLONIVS: Contingit frequenter, vt potentes viri pecunias siue possessiones titulo minus iusto à suis subditis obtineant, & ex eis domus religiosas ædificent; licétne religiosis recipere huiusmodi eleemosynas scienter? CAESARIVS: Quicquid conscientiam remordet, conscientiam polluit. Scias tamen hoc quandoque fieri iusto Dei iudicio, sicut subiecto doceberis exemplo.

CAPVT LXIII.

Ex bonis alienis monasterium fundare.

VIr quidam potens & nobilis, in terra sua domum ordinis nostri construere desiderans, cùm locum religioni congruum inuenisset, habitatores eius partim pretio, partim minis eiecit. Abbas verò, qui ad eúdem locum missurus erat conuentũ, timens Deo non placere, tali modo pauperes à suis possessionibus alienare, orauit Deum, vt sibi super hoc suam dignaretur voluntatem reuelare. Et non est permissus vir ille iustus de hac re diu turbari. Nam de quadam, cùm esset in oratione, huiusmodi vocem audiuit: Dedisti hæreditatem timentibus nomẽ tuũ. Qui surgens, mox intellexit per vocẽ prophetica cælitus demissam, volũtatis esse diuinæ, vt homines indeuoti de eisdẽ possessionibus eijcerẽtur, & viri timorati, Deũq; laudantes ibidẽ locarẽtur. Sic legitur Dominus terrã

Psal. 60.

Iosue 12.

Chana-

Chananæorum, & reliquarum immundarum gentium dedisse filijs Israêl. Non tamen ista trahenda sunt in exemplum, quia omnis auaritia, omnisque iniustitia, à religiosis detestanda est. APOLLONIVS: Tantò amplius in talibus scandalum vitandum est, quia seculares non libenter claustrales habent vicinos.

CAPVT LXIIII.

Multitudo monasteriorum exoptãda.

DVm conuentus noster à Domino Philippo Archiepiscopo super mõtem Stromberg vocaretur, quidam homines prouinciales hæredibus suis timentes, illum arguerunt. Quibus ipse respondit verbum bonum, verbum sanctum; Vtinam, inquit, esset in qualibet villa diœcesis meæ conuentus iustorum, qui & Deũ iugiter laudarẽt, & tam pro me, quàm pro mihi commissis orarent; puto quia tunc melior multò esse status ecclesiæ meæ, quàm modò sit; nulli nocerent, cùm multis prodessent; aliena non rapiunt, cùm sua omnibus impertiantur.

CAPVT LXV.

Ex eis pauperes aliũtur.

EO tempore, quo fames illa validissima, quæ anno Dominicæ incarnationis 1197. fuit, & plurimos extinxit, domus nostra, licet tunc tẽporis pauper fuerit ac nouella, multis subuenit, sicut dixerunt hi, qui numerum inopum ante portã considerauerunt: aliquando vna die, mille quingentis eleemosynę datæ sunt. Dominus Geuardus, tunc Abbas, singulis diebus ante messem, in quibus carnibus vti licebat, bouem vnum in tribus caldarijs, cum oleribus circunquaque collectis, coqui iussit, & cum pane per singulos pauperes diuisit. Simile factũ est de omnibus alijs pulmẽtarijs, sicq; per gratiam Dei omnes pauperes superuenientes,

vsque

Universidad de Deusto Biblioteca

Eleemosynæ distant largiẽtem, etiam in tẽporalibus.

vsque ad messem sustentati sunt. Et, sicut audiui de ore iam dicti Geuardi Abbatis, cùm timeret ne forte annona pauperum ante tempus deficeret, & pistorem pro eo, quod panes nimis magnos faceret, argueret; respondit ille; Credite mihi domine, in pasta valde parui sunt, & in fornace crescunt; parui immittuntur, & magni extrahuntur. Retulit mihi idem pistor, frater scilicet Conradus Rufus, qui adhuc viuit, quia non solùm panes in fornace, imò etiam farina creuerit in saccis & in vasis, ita vt pistores omnes mirarentur; nec non & pauperes, qui inde nutriebantur. Dicebant enim; Domine Deus, vnde venit omnis annona ista? Eodem anno diues dominus, charitatem seruorum suorum etiam in hac vita per centuplum remunerauit. Nam magister Andreas Spirensis per pecunias, quas in curia Frederici Imperatoris, nec non & in Græcia congregauerat, magnum allodiũ, in Blitirsdorp emit, & nobis in eleemosynam dedit. Vnde talis voluntas, nisi à Deo?

CAPVT LXVI.

EOdem tempore domus in Hemmenrode, mater nostra, non minorem charitatem, imò tanto maiorem, quanto ditior fuit, pauperibus exhibuit. Tanta enim fames pauperes premebat, vt mulieres pregnantes ante portam in nemore pariendi tempora implerẽt. Christus verò nõ immemor promissi: Date, & dabitur vobis, quia largi erant in dando, largam illis misit eleemosynam. Gerardus enim Præpositus Sancti Simeonis in Treueri moriens, circa ducentas libras argenti illis legauit, ex quibus centum ad portam in vsus pauperum sequestrauit. Portarius centum libras suas recipiens, non ex eis vineas, vel agros, sed totidem maldra siliginis apud Confluentiam comparauit, quibus

Luc. 6.

quibus satis sufficienter, vsque ad messem, pauperes sustentauit.

CAPVT LXVII.

RETulit mihi frater Godeschalcus de *Fulmẽsteine, monachus noster, post eadem cara tẽpora; Cellerarium quendam ordinis nostri de Vvestphalia occurrisse sibi; quem cùm interrogasset, quò festinaret; respondit ille: Ad concambium; ante messem, ob necessitatem pauperum, pecora nostra occidimus, calices & libros nostros oppignorauimus; modò Dominus misit nobis hominem, qui nobis tantùm auri dedit, vt ei quantitas in duplo erogatis respõdeat; vnde vado illud cambire pro argento, vt ex eo pignora nostra possim redimere, & greges reparare. Tria hæc exempla dicta sint contra illos, qui viros claustrales iudicãt de auaritia. APOLLONIVS: Nunc primùm intelligo quid sit, Date, & dabitur vobis. CAESARIVS: Non intelliges perfectè, nisi in futura vita quando pro terrena substantia, quam pro Christo dimisisti, siue pauperibus in illius nomine dedisti, recipies regnum, quod paratum est electis ante constitutionem mũdi. In illa die, filius hominis tibi cum cæteris electis tuum enumerabit datum, & tu eius recipies promissum. Quid enim dicet? Esuriui, & dedisti mihi manducare; & cætera, quæ ibi sequuntur. Viri tamen perfecti cum Domino iudicabunt. APOLLONIVS: Si tanta bona sequuntur eleemosynam, vẹ illis, qui in hoc breui tempore factantur auaritiam. CAESARIVS: Duo illa verba Domini scilicet, Date, &, Dabitur vobis, reuocant memoriæ meæ rem gestam, his qui hospitalitatem exercẽt pro exemplo satis necessariam.

** Aliàs Vvekmunsteine.*

Luc. 6.

Matth. 25.

CAPVT LXVIII.

De, Date, & Dabitur vobis.

ABbas quidam, vt puto de ordine nigro, sicut ex relatione cuiusdam Abbatis ordinis nostri didici, hospitalis erat valdè, & circa pauperes multum misericors. Et quia in operibus misericordiæ feruens fuit, tales despensatores domui suæ ordinare studuit, qui non eius feruorem impedirent, sed magis incenderent. Quanto plures hospites suscepit, quanto plus charitatis pauperibus exhibuit, tanto illi & Domui eius Dominus amplius benedixit. Post cuius mortem, successor eius stimulatus auaritia, pietatis officialibus amotis, & eis quos tenaciores nouerat institutis, ait: Prædecessor meus nimis erat dapsilis & indiscretus, eius officiales nimis prodigi, sic ordinare debemus expẽsas monasterij atque temperare, vt si fortè seges nostra grandinata fuerit, & tempora cara emerserint, habeamus vnde pauperibus subueniamus. Huiusmodi verbis auaritiam suam pallians, hospitalitatem prorsus exclusit, & consueta beneficia pauperibus subtraxit. Charitate subtracta, proficere non potuit monasterij substantia: imò in breui ad tantam deuenerunt paupertatem, vt vix haberent quod fratres manducarent. Die quadam vir quidam venerandæ caniciei venit ad portarium, quæsiuit hospitium; quem ille quidem clanculo, & cum timore collegit, atque hospitalitatis officia, pro posse & tempore, illi exhibens, adiecit; Non te scandalisare debet bone vir, quod tam negligenter te procuro, quia necessitas in causa est: aliquando vidi talem statum huius monasterij, vt si venisset episcopus, cum magna charitate & abũdantia fuisset susceptus. Respondit ille: Duo fratres expulsi sunt de monasterio isto, nisi illi duo fuerint reuersi, nunquam bonus erit status eius; vnus

vnus eorum vocatur Date; & Dabitur vobis, alter vocatur, sicque ab oculis eius recessit. APOLLONIVS: Puto aliquam fuisse personam angelicam, per quam Dominus primam fratrum illorum renocare voluit charitatem. CAESARIVS: Portarius, cùm esset laicus, nomina eadem retinuit, Abbati & fratribus audita recitauit: Resumpta est hospitalitatis, & cœpit eis mox Dominus benedicere vt prius. APOLLONIVS: Quid sentiendum est de illis, qui hospites colligunt & eleemosynas tantùm faciunt propter gloriam inanem? CAESARIVS: Tales dando sua peccant, & nihil aliud recipiunt, nisi quod quærunt, scilicet laudem humanam. Alij sua Christo dant tantùm propter vitam æternam, & hos Dominus non deserit in præsenti. Quidam verò propter vtrumque, videlicet vt in præsenti ditiores fiant, & in futuro habeant vitam æternam. Et istos Dominus sæpe duplici mercede remunerat, hic per bona temporalia, in futuro per bona æterna. Nonnulli verò sunt, qui etiam pauperes, sua Christo largiuntur, & dum cœperint ab ipso ditari, tunc ex diabolica tentatione amplius tentati, manum suam retrahunt, egestatem timentes. APOLLONIVS: De hoc dicas exemplum.

CAPVT LXIX.

CAESARIVS.

NON est diu quod fœmina quædam, adhuc fortè viuens, & in quadam ciuitate manens, in qua Abbates nostri, euntes ad generale capitulum, hospitari solent, plures ex eis lucri sui causa hospitio suscepit. Sentiens sibi illa ad ingressum illorum benedici, fœnum illis gratis dedit, deinde pabulum: quanto plus dabat, tanto plus habuit. Et cùm hospitium suorũ meritis & oratione

iam diues facta esset, bonisq; omnibus abundaret, cœpit defectum timere, & dicere intra se: Non potes diu sustinere tantas expensas, modò contrahe manum, ne fortè paupertatem incurras. Mira res, mox vt hospitibus stipendia consueta negauit, & Dominus illi manum subtraxit; non enim in domo illa frater Dabitur, habitare poterat, de qua germanus eius Date, expulsus erat. Eadem ad se reuersa, cum se egere conspiceret, de omissione pœnitentiam egit, & priora resumens opera, iterum ditari cœpit.

CAPVT LXX.

APOLLONIVS.

Matth. 13. NOsse vellem, quomodo intelligendum sit quod Christus ait, Omni habenti dabitur: ei autem qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo. CAESARIVS: Ei qui habet gratiam hospitalitatis, & charitatiuè, bonoque animo, & hilari vultu, hospites suscipit, atque libenter pauperes introducit, Domino procurante dabitur ei in presenti tantum, & nonnunquam, vt supra dictũ est, centuplum, & abundabit, & in futuro vita eterna. Qui autem gratiam hospitatitatis, & eleemosynæ non habet, ita vt inuitus pauperes hospitesque videat, & recipiat, atque cum malo animo & murmure hoc ipsum, quod negare non potest, impendat, huic iusto Dei iudicio hoc ipsum quod habet in substantia temporali, vel in seipso deficit, vel ab alijs rapitur atque distrahitur, nec fidelium eleemosynis augetur. APOLLONIVS: Satis placet expositio ista, & hoc propter exempla præcedentia. CAESARIVS: Frequenter contigit, vt claustrales propter Christum largi locupletentur, & contra ipsius mandatum tenaces depauperentur. De vtroque subiungam exemplum.

CAPVT

CAPVT LXXI.

IN Meinuelt prouincia diœcesis Treuerensis situm est quoddam cœnobiũ nigri ordinis, quod Lacus dicitur, nomen habens à re, personis possessionibusq; pollens, & in religione cæteris terræ nostræ cœnobijs amplius florens. Ad hoc die quadam Saxo quidam hospitandi gratia diuertit, qui multum charitatiuè illic susceptus, ædificatus recessit. Non multo post, diues quidam in Saxonia amicus eius in extremis agens, cùm testamentũ suũ illo præsente faceret, ait: Vellem aliqua legare pro anima mea, si scirem in quo loco optimè esset locatum. Cui ille respondit: Iuxta Coloniam claustrũ quoddam est valdè religiosum, in quo veraciter sunt homines Dei in hospitalitate, me teste, præcipui. Nusquam poteritis eleemosynam vestram melius, & animæ vestre locare vtilius, quàm in eodem loco. Ad eius consilium Saxo, vt puto, quadraginta marcas argenti legauit, & decessit. Missa est per seruum pecunia Coloniam, & quia status diœcesis Coloniensis propter schisma, qnod erat inter Ottonem & Philippum Reges, malus fuit, pecuniam ibi reliquit, & ad Lacum pedes veniẽs, Abbati rem per ordinem retulit; qui misso Cellerario, pecuniam ibidem recepit. Hæc mihi sunt relata à quodam religioso Conuerso ordinis nostri.

CAPVT LXXII.

E Iusdem ordinis cella quædam in episcopatu Coloniensi sita est, quam nominare nolo propter tempus, quam Præpositus tam tenax regit, vt neminem sponte sua hospitio secundum regulam suscipiat, cũm tamen satis abundet. Episcopus verò, qui & aduocetus eiusdem celle est, sciens hominem pecuniosum esse & inhospitalẽ, semel,

vel bis in anno, cum plurimo equitatu & multitudine militum hospitatur apud ipsum, in quorum receptione tantum expendit Præpositus, quantum sufficere posset ad susceptionem hospitum totius anni. Alijs verò monasterijs, multo ditioribus, idē episcopus parcit, & sua largitur, vt impleatur prędicta sententia Saluatoris: Omni habenti dabitur & abundabit, ei autem qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. APOLLONIVS: Satis mihi dictum fateor, tam verbis, quàm exemplis contra auaritiam, nunc precor, vt idem facere non pigriteris contra gulam. CAESARIVS: Prius expedire te debeo de gula quid sit, quæ sint eius filiæ, & quā periculosa sit illius tentatio, si ei consensus adhibeatur, corpori & animæ, & quibusdam tibi hoc ostendere testimonijs.

Matth. 13.

CAPVT LXXIII.

De Gula.

GVla est solius corporis causa immoderatus & illecebrosus comedendi bibendiqúe appetitus. Huius filiæ sunt, immunditia, scurrilitas, inepta lætitia, multiloquium, hebetatio sensus circa intelligentiam. In gula sunt quinque gradus peccandi, primus est cibos prætiosos & delicatos exquirere; secundus curiosè præparare; tertius ante tempus sumere; quartus nimis auidè; quintus in nimia quantitate. Gula primus homo victus in paradiso succubuit: hæc Esau primogenita surripuit: gula Sodomitas ad peccatum maximum incitauit; ipsa filios Israel in deserto prostrauit; Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos. Iniquitas Sodomæ fuit saturitas panis & abundantia. Homo Dei, Abdo scilicet, missus in Bethel, propter comestionem à leone occiditur. Dives, qui epulabatur quotidie splendidè, in inferno sepelitur. Nabuzardan princeps coquorum, id est gula,

Genes. 3.
25. 13
Psal. 77.
Ezech. 16.
3. Reg. 13.
Luc. 16.
4. Reg. 25.

est gula, Ierusalem destruit. Vides quanta sint pericula in illa? Accedant & testimonia; ait Salomon: Væ terræ cuius principes manè comedunt. Item; Omnis labor hominis in ore eius, sed animæ eius non replebitur. Et in Euangelio Dominus: Videte ne corda vestra grauentur in crapula & ebrietate. Item Apostolus: Honestè ambulemus, non in comessationibus &c. Prima Christi tentatio à diabolo per gulam facta est: vnde Hieronymus dicit: In pugna Christi, prius agitur contra gulam ieiunando, per quam victus est primus homo. Quam valida & importuna sit nobis vitij huius tentatio, quibusdam recentiori tempore gestis pandam exemplis. Ordinem etiam, in quantum potero, nec non & modum supradictarum tentationum Adæ scilicet, Esau, & reliquorum, qui illic enumerati sunt, seruare studebo.

Eccl. 10.6.
Luc. 21.
Rom 13.
Matth. 4.

CAPVT LXXIIII.

Gulæ tentatio quantum partana.

COloniæ in maiori ecclesia Decanus quidam erat natione Sueuus, vir dives, prudens, & honestus, in consilio Frederici Imperatoris satis acceptus. Hic cùm in pomario suo pomum nouellam plantatam haberet, & iam flores in poma profecissent, præcepit omni familiæ suæ, sub interminatione gratiæ suæ, nec non & pœnæ, ne aliquis aliquod ex eisdem pomis, quæ pauca erāt, ante maturitatem carperet, probare volens eius primitias. Cumque omnes præceptum illius custodirent, scholaris quidam nomine Conradus, cognatus eius, & per ipsum in ecclesia sancti Andreæ in canonicum promotus, poma eadem videns & desiderans, patrui præceptum neglexit, vnum tantùm, vt puto, de pomis tulit & comedit. Quod cùm Decanus intellexit, tanta ira & odio exarsit in illum, vt dilectum eijceret, nec ab aliquo posset induci, vt culpā ei cognosceret, & quē multū cogitauerat diuersis

diuersis stipendijs ditare, ab illo die, in quantum potuit, depressit. Ego eundem Conradum bene noui, & erat Cantor præfatæ ecclesiæ. Satis, vt vides, tentationis pueri huius pœna, concordat cum pœna Adam: ille propter pomum eiectus est de paradisi delitijs; iste de domo auunculi sui atq; diuitijs. APOLLONIVS: Cùm Adam in potestate haberet omnes fructus paradisi, mirum quod ab vna se arbore continere non potuit. CAESARIVS: Multi temere Adam iudicant de inobedientia, pomi vilitatem attendentes, & vim tentationis non considerantes, sicut subiecto probabitur exemplo.

CAPVT LXXV.

Adamum ob transgressionem temere iudicantes arguuntur.

QVidam paterfamilias seruum habebat fidelem & vtilem, omnium rerum suarum dispensatorem: contigit vt die quadam sermo esset de inobedientia Adæ inter eos de esu pomi cõtra præceptũ Domini; & seruus indignando illius inconstantiæ diceret; Vt taceam de Deo, si mihi tam districtè aliquid à vobis præciperetur, nunquam transgressor efficerer. Tacuit tunc dominus, & post dies aliquot, cùm ille minus sibi caueret, nec sermonem contra Adam prolatum in memoria haberet, pixidem ei clausam, sed non firmatam porrexit dicens; Pixidem istam custodiæ tuæ commẽdo, quod si aperueris illam, totius laboris mercede priuaberis, & gratia mea perpetuò carebis. Hoc cùm crebrius ei inculcasset, & ille in conclaui suo se recipisset, statim diuersis cogitationibus cœpit fluctuare, tentationibus æstuare, quid esset in pixide scire desiderans: & sæpius illam vertens, atque circumspiciens, ait intra se: Quid si aperuero illam? solus sum, nemo videt. Interrogatus, negabo: non est testis, qui me conuincere possit. Victus tandem tentatione, pixidem aperuit, & a

& auicula, quæ intus erat clausa, euolauit. Tunc tristis effectus valdè, mysterium intellexit, & ad domini pedes, pixidem requirentis, se prosternẽs, veniam postulauit, sed non inuenit. Ad quem dominus: Serue nequam & contumax, tu primum parentem nostrum de inobedientia iudicans, tuamq; constantiam apud me commendans, teipsum condemnasti; recede ergo à me, faciem meam de cætero non videas. Hæc mihi retulit canonicus quidam sancti Seuerini in Colonia, vir senex ætate, verax in verbis, & vita religiosus. Simile ex parte contigit in Saxonia.

CAPVT LXXVII.

HEnricus de Vvida miles fuit diues valdè, potens & nominatus, ministerialis Henrici Ducis Saxonum, adhuc plures viuunt, qui illum nouerunt, & rei, quam recitaturus sum, fortè recordantur. Habebat is vxorem nobilem ac dilectam. Die quadam, cùm sermo inter eos haberetur de culpa Euæ, cœpit illa, vt mos est mulierib⁹, eidem maledicere, & de inconstantia iudicare animi, eò quod pro modico pomo, gulæ suæ satisfaciens, tantis pœnis ac miserijs, omne genus humanum subdidisset. Cui maritus respondit; Noli illam iudicare, tu fortè in tali tentatione fecisses simile: ego volo tibi aliquid præcipere, quod minus est, & propter amorem meum minimè poteris custodire illud. respondente illa: Quod est mandatũ? Subiunxit miles; Vt die illa qua balneata fueris, paludem curiæ nostræ nudis pedibus nõ ingrediaris; alijs diebus, si libet, intres. Erat enim aqua putens & fimosa, ex totius curiæ sordibus collecta. Illa subridente, & præcepti transgressionem abhorrescente, & subiunxit Henricus; Volo vt pœnam addamus; si tu fueris obediens, quadraginta marcas

à me recipies; sin autem, totidem mihi solues. Et bene placuit ei. Ille verò, ipsa ignorante, secretos custodes paludi adhibuit. Mira res, ab illa hora matrona tam honesta, & tam verecunda, nũquam per curiam transire poterat, nisi ad prædictam paludẽ respiceret, & quotiens balneabatur, totiens de eadem palude tentabatur. Die quadam exiens de balneo, dixit pedissequæ suæ; Nisi ingressa fuero paludem illam, moriar: statimque succingens se, cùm circumspexisset, & neminem videre putaret, comitante ancilla, aquam illam fœtidam vsq; ad genua intrauit, & huc illucque deambulando, bene concupiscentiæ suæ satisfecit. Quod statim nunciatum est marito eius. Ille gaudens, mox vt eam vidit, ait: Quid est domina, fuistis ne hodie bene balneata? respondente illa fui; adiecit; In dolio, vel palude? Ad quod verbum confusa tacuit, sciens eum suum excessum non latere. Tunc ille: Vbi est domina mea constantia vestra, obedientia vestra, iactantia vestra? Eua vilius tentata fuistis, tepidius restitistis, turpius cecidistis: reddite ergo quod debetis. Et cum non haberet illa quod solueret, omnia vestimenta eius pretiosa tulit, & per diuersas personas distribuit, sinens eam per aliquot tempus bene torqueri. APOLLONIVS: Valdè miserabile est, quod sic mens hominis semper nititur in vetitum. CAESARIVS: Antequam sermo Dei audiatur, non est tribulatio, non est tentatio, sed vbi signum belli prædicationis tuba ostendit, tribulationum pugna consurgit. Verba sunt Origenis super locum illũ, Ex quo locutus sum Pharaoni, afflixit populum tuum, quàm valida sit quandoque pugna tentationis post prohibitionem, exemplum tibi proponam, militem quendam, qui magis elegit mori, quàm in tentatione sua superari.

Orig. hom. 3. in Exod.

Exod 5.

CAP.

CAPVT LXXVII.

MIles quidam, sicut audiui à quodam viro religioso, multa scelera commiserat. Tãdem ductus pœnitẽtia, venit ad sacerdotem, de commissis fecit confessionem, satisfactionem suscepit, sed susceptam seruare non potuit. Cumque hoc sæpius actitasset; die quadam dixit illi sacerdos: Nihil sic proficimus, dic ergo mihi; Estne aliquid quod pro peccatis tuis possis custodire? Respondit ille; Est pomus in possessione mea tali, cuius fructus tam amarus & pessimus est, vt nunquã ex eo comedere possim, si videtur vobis bonum, pœnitentia mea sit, vt quoadusq; viuam de eisdem pomis non gustem. Sciens sacerdos maximè post prohibitionem, excitante carne, vel diabolo, siue vtroque, consurgere tentationem; respondit; Pro omnibus peccatis tuis tibi iniungo, vt nunquam de fructu eiusdem arboris scienter comedas. Abijt miles, pœnitentiam iniunctam quasi pro nihilo reputans. Sic sita erat ipsa arbor, vt quotiens curiã suam exiret vel intraret, eandem arborem respicere posset. Respiciendo, semper prohibitionis recordabatur, & recordando mox grauissimè tentabatur. Die quadam ante arborem eandem transiẽs, & poma in ea considerans, ab eo, qui primum hominẽ per lignum prohibitũ tentauit & prostrauit, tã validè tentatus est, vt ad arborẽ quidẽ veniret, & ad pomũ nunc manum extendendo, nũc extensã retrahendo, totũ penè diem contrarijs nisibus cõtinuaret. Tandem adiuuante gratia triumphans, in tantũ concupiscentiæ restitit, vt corde coãgustato sub arbore iacens spiritum exhalaret. APOLLON. Si tentatio Adæ tam dura fuit, non mirũ si cecidit. CAESARIVS: Graniter cecidit tentationi consentiendo, quia sicut foris habuit causam impellentem, sic intus gratiam adiuuantem. Hæc dicta

Nitimur in vetitum.

sint

Universidad de Deusto Biblioteca

Gene.25. sint occasione pomi, propter quod eiecti sunt de paradiso protoplasti. APOLLONIVS: Non minus miror quod Esau esuriens, propter lenticulæ decoctionem, primogenita sua perdidit coram Deo, quàm quod illi propter pomum inobedientes, eiecti sunt de paradiso. CAESARIVS: Non esuriendo, non lenticulam comedendo, primogenituram suam perdidit; sed per contemptum, quorem tam pretiosam, tam indigno pretio, incitante gula, vendidit. Nec nobis hoc debet esse terrori, qui frequenter tali cibo vescimur, & ardenter sumimus, quia magnum Dei donum est, quando viris delicatis, postquam conuersi fuerint ad Christum, incondita pulmentaria leguminum, vertuntur in conuiuium. Audi de hoc verbum satis iocundum.

CAPVT LXXVIII.

Religiosis, quid cibos viles, sapidos efficiat.

EO tempore, quo milites illi honesti, & in seculo nominati, videlicet, Vlricus cognomento Flasse, & Gerardus cognomento VVaschart, Carolus & Marcinannus Colonienses, alijque tam ex clericis, quàm ex laicis viri diuites in Hemmerode conuersi fuissent, & in ordine confortati; quidam ex secularibus, & dictorum militum notus & amicus, ait beatæ memoriæ domino Gisilberto eorum Abbati: Non sufficio mirari, quod tales viri, in seculo tam delicati, oleribus incoditis, pisa & lente possunt vti. Cui ille respondit: Ego tria grana piperis appono, quibus eadem grossa pulmenta condiuntur, vt penè nihil in suis scutellis comedentes relinquant. Mirante illo, & non intelligente quod audierat, Abbas subiunxit dicens: Ego tibi exponam; primum granum piperis, sunt longæ vigiliæ matutinarum; secundum, labor manuum

nuum; tertium granum est desperatio ferculi lautioris. Ecce ista sunt tria grana, quibus appositis, optimi saporis fiunt pulmenta nostra. Et puto vehementer, quod monachun magis peccet pisam suam, siue leticulam propter torsiones, vel humores melancolicos vitando, quàm nimis ex illis sumendo. Si apposita sumere noluerit, necesse est vt lautiora vel appetat, vel requirat. Si ea data fuerint, ex consuetudine pusillanimes scandalisat: si negata, ante tempus deficiet. Monachos vacuo vẽtre, non potest bene ieiunare, vigilare, laborare. Hinc est quod S. Bernardus tales, in quodam sermone satis acriter reprehendit. Cibaria nostra non sunt multum confortatiua, & ideo oportet nos ex eis sumere vsque ad satietatem. APOLLONIVS: Quid sentiendum est de illis, qui per occasionem frequenter in seculo sunt, & penè quotidie cibis delicatis vescuntur? Erũt ne æquales fratribus suis in merito, qui cibis regularibus tormentantur. CAES. Non est meum illos iudicare, vnusquisque secundum suum laborem recipiet: dicam tibi tamen de hoc cuiusdam laici sententiam satis delectabilem, contra quendam Cardinalem ioculariter prolatam.

Bernard. ser. 3. c. in Cantica.

CAPVT LXXIX.

SAnctæ recordationis dominus Henricus Albanensis Episcopus & Cardinalis, anno 1188. missus à Clemẽte Papa temporibus Frederici Imperatoris, prædicare crucem in Alemania contra Saracenos, quosdam sibi terræ nostræ monachos ordinis Cisterciensis assumpsit. Die quadam, cùm simul equitarent, & ipse diceret in generali; Quis vestrum dicit nobis aliquid boni? Respondit vnus; Ille, demonstrato quodam Conuerso monacho

nacho laico, cuius nomen excidit; & præceptum est ei statim à Cardinale, vt verbum proponeret exhortationis. Ille primùm se excusans, dicens laicum non debere literatis aliquid loqui, tandem sic exorsus est: Quando mortui fuerimus, & deducti ad paradisum, occurret nobis sanctus pater noster Benedictus; visis nobis monachis cucullatis, cum gaudio introducet: viso verò Hérico Episcopo & Cardinali, mirabitur infulatũ eum & dicet; Quis enim es tu? Et ille: Pater ego sum monachus Cistercienſis; respondebit sanctus; Nequaquam, monachus non est corniculatus. Tunc Henrico satis pro se allegante, tandem huiusmodi data sentẽtia, dicet ostiarijs sanctus Benedictus: Ponite eum supinum, & stomachum eius scindentes aperite: si inueneritis olera incondita, fabam, pisa, lentem, pultes, cibosq; regulares, cũ monachis intromittatur: Sin autem, scilicet pisces grossos, & cibos seculares atq; delicatos, foris maneat. Deinde conuersus ad Cardinalem subiecit. Quid illa hora dicturus es pauper Henrice? Ad quod verbum Cardinalis subridens, sermonem commendauit. Ego eundẽ venerabilem Episcopum & monachum, in ecclesia sancti Petri Coloniæ adhuc puer audiui crucem prædicantem, & plurimos ibidem vidi signantem, eratq; iustus & sanctus, manus suas ab omni munere excutiens, & tam verbo, quàm exemplo multos ædificans. APOLLON. Recordor. superius te dixisse, iniquitatem Sodomæ fuisse saturitatem panis & abũdantiam. CAESAR. Verba sunt Ezechielis Prophetæ. ait Moyses: Antequam subuerteret Dominꝰ Sodomã, omnis eius regio irrigabatur sicut paradisus Domini, & sicut AEgyptus, eratq; nimiæ fertilitatis. Vnde quia Sodomitæ comessationibus vacabant, per libidinem effluebant. Gula luxuriam plurimum accendit. APOLLONIVS: quid ergo? Estne

Isaiæ 33.

Ezech. 16.

Gene. 13.

Est ne periculosum, si monachus pane saturaretur? CAESARIVS: Quod superius dixi de lenticula, hoc modò dico de pane. In pane Sodomorum, eò quod panis cibus sit principalis, intelligitur copia omnium cibariorum, quibus illi abundabant: panis verò noster, quia grossus est & niger, magis est necessitatis, quã superfluitatis, & puto magis monachum peccare, si illum abhorreat, vel delicatum requirat, quàm si eo satietur. Maxima quandoque in pane solet esse tentatio.

CAPVT LXXX.

DIu est quod ad Claramuallem conuersionis gratia clericus venit delicatus valdè; cumq; panem conuentus, qui tunc temporis valdè grossus erat, & pisa abhorreret, atq; ex iplo timore, non solùm famis, sed & futuræ refectionis tabesceret, nocte quadam Saluator ei in visu apparuit, quo fratres vescebantur, frustum panis in manu tenens, quem ei porrexit & ait: Comede panem hũc. Cui cùm nouitius responderet; Domine nequaquã vesci potui pane hordeaceo, Christus vulneri lateris sui Panem eundem intinxit, & porrectum comedere iussit. De quo cùm gustasset, factꝰ est sicut mel dulcis in ore eius. Ab illo enim tempore panem, siue cibos regulares, quos prius vix tangere potuit, cùm multa delectatiõe comedit. Hoc scias, quod diabolus eos, quos decipere nequit per gulam, deijcere per indiscretam & indebitam conatur abstinentiam.

CAPVT LXXXI.

Abstinentia indiscreta diabolus decipit aliquando.

SIcut referre solent nostri seniores, in Hemmẽrode, sub specie Angeli, dæmõ cuidã monacho minus circũspecto, per aliquot dies in mẽsa formam

mam dimidij panis ostendit, & ne plus simul sumeret persuasit. Obediuit ille dæmoni, & post breue tempus, tantam debilitatem corporis incurrit, vt in sensu deficeret & periret. APOLLONIVS: Dixisti superius, gulam prostrauisse filios Israel in deserto. Quod ergo incitamentum gulæ videtur tibi maximè fuisse causa illius plagæ? CAESARIVS: Desiderium carneum. Cùm enim Dominus dedisset eis manna, panem angelorum, omne habens in se delectamentum, ingrati tanto beneficio, murmurabant contra Moysem dicentes: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium quos comedebamus in AEgypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones porrique, & cepe, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. Et in alio loco; Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo. Vides quanta ingratitudo, & cum quanto iurgio? Cul pam mox pœna subsequens denudat. Adhuc, inquit, erant carnes in dentibus eorum, nec defecerat huiuscemodi cibus; & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Sæpe diabolus religiosos per carnes tentat, nunc dormitantes, nunc vigilantes, nunc visibiliter, nunc inuisibiliter; quosdam vincit, à quibusdã vincitur. APOLLONIVS: De his audire delectat exempla. CAESARIVS: Exempla satis vera & manifesta tibi dicam.

Psal. 77. Sap. 16.

Num. 11.

Num. 21.

Num. 11.

CAPVT LXXXII.

Carnium desiderio tentati à Diabolo in somnis.

NON est diu quod monachus quidam apud nos defunctus est Arnoldus nomine, Coloniæ in ecclesia sanctorum Apostolorum canonicus: fuerat autem ante conuersionem vir diues & delicatus valde. Iste mihi referre solebat, quod per gulam multum tentaretur à diabolo, etiam cùm

iam cùm leuiter dormitaret in choro; quandoque, cum propter lassitudinem in choro stans, oculos clauderet, scutellam carnibus plenam ante os suũ sensit, de qua etiam more canino, vt sibi videbatur, comedit; cumque sic bestialiter comedere erubesceret, caput quandoque retraxit, & satis durè parieti illisit.

CAPVT LXXXIII.

CONuersus quidam, sicut ab eius ore audiui, cùm die quadam auditor esset cuiusdam priuatæ missæ, in canone modicum quid dormitans, ex illusione diaboli, ipsum super quod prostratus iacebat lignum, dentibus rodere cœpit, ac si aliquid masticaret, & erat stridor dentium eius, vt sonus, muris testam nucis dentibus suis perforantis. Frater Richvvinus Cellerarius noster, qui ad missam eandem ministrabat, hæc audiens, in orationibus suis impediebatur: & cùm posset Conuerso loqui, interrogabat eum, quid in missa inter dentes haberet, dicens, non potui propter vos orare: respondit ille; Credete mihi; ego comedi bonas carnes. Vnde habuisti illas, inquit? respondit Conuersus: Diabolus infra illum canonem, præparauerat ori meo scutellam carnium bene refertam: si non creditis, notate lignum, in quo iacui, vestigia dentium meorum bene ibi reperietis; & narrauit ei, qualiter à diabolo dormitans fuisset illusus; lignum verò ex dentibus eius fuerat corrosum. Sic inimicus viros religiosos, quo decipere per gulam non potest vigilando, ad minus illis illudere conatur dormitando. Audi nunc de quadam virgine, quam per carnes non dormitantem, sed vigilantem visibiliter tentauit; nec tamen præualuit.

CAPVT LXXXIIII.

Etiam in vigilia.

VIrgo quędam de Niuella nata, domum patris & parentes amore Christi deserens, quibusdam fœminis religiosis illius prouinciæ se sociauit, cum quibus de opere manuum suarum victitans, orationibus, ieiunijsq; vacauit. Cuius virtutibus diabolus inuidens, anserē de domo patris eius tulit, & in triclinio, in quo cum cęteris fœminis sedebat, deposuit, dicens; Quid te misera fame crucias? accipe, & manduca. Cui cùm illa diceret: Non licet mihi ex eo comedere, quia de furto est; respondit diabolus: Nequaquam, de domo enim patris tui tuli illum. Tunc virgo: Non poteris negare quin rapina sit; tolle anserem velocius, & restitue vbi rapuisti. Videns ille nihil se proficere, fœminis videntibus, auem leuauit, & tuguriolo, vnde eam rapuerat, restituit. Testata est familia domus patris eius, magnum se, inter reliquos anseres, audiuisse clamorem & strepitum, & cum præfatum anserem tolleret, & cùm eundem loco suo restitueret. Dicam tibi adhuc duo exempla, per quæ scies qualiter diabolus eos, quos per desiderium carnium superet, terreat, & confundat.

CAPVT LXXXV.

Victi hac ratione & confusi.

CONuersus quidam, sicut audiui à quodā viro religioso, carnium desiderio tentatus atq; superatus, cùm illas requirere erubesceret, sicut nec licuit, die quadam assaturam sibi pręparatā, cellario intulit, & comedit: erat enim officio Cellerarius, & de ordine Præmonstratensi. Permissione Dei diabolus, quia aliud facere non potuit, gulosum illum rapuit, & in tecto campanilis in modum vestimenti sparsit. Vbi cùm hæreret, vel potius à diabolo sustentaretur, cui datus fuit ad terrendum

rendum potius, quàm ad occidendum, clamauit validè, fratrum auxilium implorans; quem ibi hærere cernentes, causamque ignorantes, satis mirati sunt, & turrim cum festinatione ascendentes, per foramen illum retraxerunt.

CAPVT LXXXVI.

NON est diu, quod quidam ex monachis Prumiensibus, feria tertia ante Cineres, in domo cuiusdam secularis sacerdotis conuiuātes, diuersas carnes cum vino exquisito vsque ad mediam penè noctem comederunt. Et cum saturati essent nimis, in ipso galli cantu, sacerdos vocans scholarem adultum, nomine Ioannem, quem ego bene noui, dixit; Certè adhuc comedemus, vade affer nobis gallinam, quam inueneris in pertica iuxta gallum sedentem, quia cæteris pinguior esse cōsueuit, & præpara nobis. Quam cùm strangulasset; & ventre aperto, manuque imposita, cùm se omnia intestina eius simul eijcere putaret, maximum bufonem extraxit; cuius motum cùm in manu sensisset & proiecisset, vidissetque quid esset, repentino suo clamore omnes aduocauit. Videntes gallinæ intestina in bufonem versa, confusi à loco conuiuij recesserunt, intelligentes opus esse diaboli. Hæc mihi vnus fratrum illorum, qui interfuit & vidit, recitauit. APOLLONIVS: Magis me tentant pisces, quàm carnes, quia istis mihi vesci licet, illis non. CAESARIVS: Puto te recordari cum filijs Israël piscium, quos comedebas in Aegypto, id est, in seculo. APOLLONIVS: Non possum quandoque non recordari. CAESARIVS: Ad memoriam mihi reuocant pisces isti, magnam quandam nequitiam cuidam incluso à diabolo factam:

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT LXXXVII.

Inclusus per pisces à diabolo tẽtatus.

RETulit mihi frater Godeschalcus de Volmũsteine, quod die quadam diabolus fratri Hermanno incluso de Arnisberg, in specie hominis sibi noti, scutellã attulit cum piscibus: ille, eò quod adhuc manè esset, dixit vt poneret & recederet. Tempore quo erant præparandi, in disco, in quo prius nihil esse videbatur nisi pisces, stercora reperta sunt equina. APOLLONIVS: Puto eundem virum religiosum pisces desiderâsse, & pœnam eiusdem peccati, illusionem fuisse diaboli.

Num. 11.

CAESARIVS: Hoc satis probabile est. Per hoc etiam, quod filij Israël cum carnibus & piscibus, desiderauerunt cepas & allia, recordor cuiusdam periculosæ tentationis, in qua quidam pœnitens per allia cecidit.

CAPVT LXXXVIII.

Alijs quidã tentatus.

DVæ cognationes militum sunt in episcopatu Coloniensi, tam multitudine, quàm diuitijs, & probitate fortes satis atque magnanimes. Ex quibus vna illarum de villa Bacheim originem ducit; altera de villa, quæ Gurzenich vocatur. Erãt autem inter eas quandoque tam validæ, & tam mortales inimicitiæ, vt tunc temporis à nullo hominum, siue episcopo ipsorum domino possent sopiri, sed quotidie rapinis, incendijs, & homicidijs renouarentur. At illi de Gurzenich in terminis suis fecerunt sibi domum munitam in nemore, nõ quidem timore inimicorum, sed vt ibi possent confluere, quiescere, & simul procedendo, illos acrius impugnare. Habentes autem seruum quendam originarium Steinhardum nomine, fidei eius claues munitionis commiserunt. Ille verò, instinctu diaboli, clanculo nuntium aduersarijs direxit, promittens quod tam dominos suos, quàm munitionem

tionem potestati eorum traderet, nescio quid causæ contra illos prætendens. At milites de Bacheim, traditionem timentes, verbis eius minus attenderunt. Quibus cùm secundò, ac tertiò, eundem nuntium destinasset, illi die præfixo se armantes, & cũ multitudine, timore insidiarum, venientes, in loco domui satis vicino seruũ præstolati sunt. Ad quos proditor exiens, cùm adhuc hæsitarent, allatis omnium dominorum suorũ, in castellulo meridiano tempore dormientium, gladijs, certos illos effecit. Ad quos armati intrantes, omnes occiderunt, seruum secundum quod illi iurauerunt, in sua recipientes. Postea miser ille, de tam execrabili facinore territus & compunctus, sedem Apostolicam adijt, vbi culpam confitens, pœnitentiam satis durã suscepit: sed tẽtationi succumbens, susceptam minimè custodiuit. Qui mox recurrens ad papam, renouauit pœnitentiam, sed non perseuerauit in obedientia. Cumque hoc crebrius actitasset, dominus pœnitentiarius tædio affectus, se ab illo liberare volens, cõsiderans nihil eum proficere, dixit: Nosti aliquid, quod possis pro pœnitentia suscipere & custodire? respondit ille: Nequaquã allia comedere potui, certum est mihi, quia illorum carẽtiam, si pro peccatis meis suscepero, nunquã transgrediar. Ad quod confessor respondit; Vade, & de cætero pro peccatis tuis allia non comedas. Egressus homo vrbem, in horto quodã allia conspexit, quæ ex immissione diaboli mox concupiscere cœpit: stans verò, & allia attẽdens, tentabatur: concupiscentia inualescens, non sinebat miserum abire, nec tamẽ allia prohibita ausus erat attingere. Quid verbis immorer? tandem gula vicit obedientiam, hortum intrauit, & comedit. Mira res; Allia, de quibus nunquam gustare potuit cùm essent cocta & accuratè præparata, & ad comedendum sibi licita,

licita, contra vetitum cruda mãducauit, & immatura. Sic viliter in tentatione victus, cum multa confusione ad curiam redijt, & quid egerit recitauit. Quem pœnitentiarius cum indignatione repellens, ne sibi de cætero molestus esset, præcepit. Quid post hoc miser ille fecerit, nõ audiui. APOLLONIVS: Misera est conditiõ hominis, quæ sic prona est ad transgressionem. Sed dic quæso, in quo genere gulæ peccauit homo Dei, qui comedẽdo in Bethel à leone occisus est? CAESARIVS: Non comedendo, sed contra diuinum præceptum, etiam in tali loco comedendo deceptus, talem pœnam incurrit. Quanta sit culpa, illicita, siue etiam licita, contra præceptum comedere aut bibere, nonnullis tibi ostendam exemplis.

3 Reg. 13.

CAPVT LXXXIX.

Contra præceptũ comedere quanta sit culpa.

MAgister Absolon vir honestus & literatus, in ecclesia sancti Victoris Parisijs canonicus, ante hos annos in Sprenkirsbach Abbas est electus. Est autem idem monasterium in episcopatu Treuerensi. Antequam idem Absalon in locum electionis suæ veniret, vnus ex fratribus in visu noctis vidit, quod candela ardens præfatum monasterium intraret, quæ suo lumine omnium fratrum candelas extinctas, quas in manu tenebãt, reaccenderet. Interpretatio visus talis erat, quia is aduenirет, qui disciplinam dissolutam repararet. Factus verò Abbas, honestas consuetudines, quas in suo monasterio didicerat, induxit, inter cætera præcipiens, vt tam suæ congregationis fratres, quàm subiectæ sorores, nec non & præpositi earum, ab escis carnium omnes abstinerent. Contigit post hoc, quandam secularem matronam religionis habitum in insula Sancti Nicolai suscipere; pertinent autem idem monasterium ad Sprenkirsbach.

bach. In die reclusionis supradictæ fœminæ, amicis eius cum Præposito sanctimonialium, nomine Florino, viro pinguissimo, & bene mihi noto, conuiuantibus, cùm ipsi carnibus vescerentur, & ipse piscibus propter mandatum Abbatis sui Absalonis, videns in scutella clerici iuxta sedentis carnũ assaturam, concupiuit, immissaque manu, morsellum rapuit, & cum quadam iocunditate in os suũ misit. Mox, iusto Dei iudicio, idem morsellus in guttur inobedientis integer descendit, ita vt meatum eius obstruens, nullo conatu posset in os reuocari. Quem de mensa trahentes, cùm iam euersis oculis putaretur suffocandus, Henricus monachus & Camerarius noster, tunc Decanus Monasteriensis, sicut ex eius ore audiui, pugno tam validè collum illius percussit, vt morsellus infixus exiliret. Et cognouerunt, quod dolor ille atque confusio, pœna peccati foret inobedienti Præposito. Et hoc pro certo scias, quod sicut diabolus plures, vt dictum est, tentat desiderio carnium, ita & vini.

CAPVT XC.

MOnachus quidam ordinis nostri, officio Cellerarius, die quadam post completoriũ opere, vt patuit postea, diaboli intolerabiliter sitire cœpit: tentatus igitur tam valdè, cùm fluctuaret & cogitaret, vtrum sibi contra regulam esset bibendum, vel cum periculo vitę abstinendũ; tandem victus, proposuit intrare cellariũ & bibere. Interim intrans oratoriũ, cùm ante altare quoddam transiret, & multum tepidè, de potu cõgitans, inclinaret, in se, cùm paululum processisset erubescens, ad idem altare redijt, stetit, & cum multa reuerentia inclinauit; leuans autem caput, dæmonem in specie monachi nigerrimi iuxta se stare conspicatur, huiusmodi verba proferentem: Pro certo

Reuerentia ante altare facta vinus.

certo tibi dico, si non fuisses reuersus ad inclinationem, ego tibi talem potũ in cellario propinassem, quem digerere vix posses, quàm diu viueres. Hora eadem diabolus disparuit, & omnis tentatio immissæ sitis cessauit. Hæc mihi retulit dominus Eustachius Abbas de Hemmenrode, asserens ante annos septem contigisse. APOLLONI. De cætero studiosior ero ad inclinandum profundè. CAESARIVS: Diabolus omnem odit humiliationem, illã maximè, per quam homo Deum agnoscit suum creatorem, se creaturam; quando videt hominem deuotè illud exhibere Deo, quod ipse facere contempsit, volens Deo similis esse, sustinere non potest, fugitque confusus. Vnde Abbas Philippus de Ottirburg, cuius suprà memini, vir prudens & litteratus, sorores de insula Sancti Nicolai, sicut mihi retulerunt, docuit dicens: Quãdo tentat vos diabolus, profundè inclinate in locis debitis, & statim fugiet à vobis. Loca inclinationi debita, sunt altaria, & vbicunque exposita est imago crucifixi, & reliquiæ sanctorum. Ad gloria patri etiam inclinamus, nec non & Abbati, alilsque in multis locis, in quibus ordo hoc præcipit. Vis nunc audire de quodam, quem gula, & maximè appetitus vini de ordine traxit? APOLLONIVS: Volo, quia multi vini desiderio afficiuntur. Vinum apostatare facit etiam sapientes. CAESARIVS: Dicam tibi visionem terribilem, quam ab eius ore audiui, cui datum est illam videre.

Eccli. 19.

CAPVT XCI.

Vini nimia appetentia, fecit apostatam.

QVidam ex senioribus nostris Hermannus nomine, Cãtor officio, vir bonus & disciplinatus, ante paucos annos defunctus est. Ipse plures habuit visiones, ex quib⁹ vnã præsenti loco exempli causa, inserã. Cùm nup monachus fact⁹ fuisset in Hemmenrode, alium quendam monachum, tam

tam in choro, quàm in refectorio proximum habebat. Ante huius ora, quandoq; in choro infra psalmodiam, amphoras cum vino vidit, Amphoras, vt dixi, oculis vigilantibus vidit, vini odorem sensit, sed manus tenentes videre non potuit. In quibus ille cogitando delectabatur, hæc ante eius oculos opere diaboli formabantur. Vidit etiam vrsum, cùm dormitaret, nocte quadam ante illum erectũ stantem, brachia super pectus eius ponentem, cuius os dormitantis auri coniungebatur. Non multo post, secundum quod ei suasum fuerat à diabolo, apostatauit. Neq; sine causa diabolus illum per vrsum extraxit; vrsus dicitur quasi orsus, eò quod ore fœtum suum formet; & diabolus ita informauit illum scurrulitate verborum, vt ob loquacitatem oris sui, tam regibus, quàm principibus sit multum acceptus: vocatur enim Henricus cognomento Fig. Susteptus à domino Gisilberto Abbate in nouitium, mox vt eum per confessionem cognouerat nigrum monachum fuisse, cappam illi mutauit in cucullam. Fertur etiam fuisse in ordine Præmõstratensi. Prius tamen, vt audiui, fœminam se simulans, pro fœmina in claustro quodam sanctimonialium susceptus, quasdam corrupit, & nonnullas impregnauit; nam vsque hodie histrionis officio fungitur, & fortè his peiora operatur. Hæc de gula sufficiant, quia ad vitium luxuriæ festino.

CAPVT XCII.

De luxuria.

LVxuria est, ex immundis desiderijs, lubrica & effrenata mentis & carnis prostitutio. Huius filiæ sunt amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror vel desperatio futuri, præcipitatio, inconstantia, inconsideratio, cæcitas mentis. Gradus luxuriæ sunt fornicatio, stuprum, adulterium,

terium, incestus, contra naturam. Luxuria, sicut & gula, mala plurima operata est in mundo. Luxuria diluuij permaxima causa fuit; ipsa pentapolim sulphure & igne consupsit. Luxuria Ioseph sanctum incarcerauit. Ipsa multos filios Israël in deserto prostrauit. Hoc factum est, quando peccantes cum Madianitis initiati sunt Beelphegor. Luxuria Sampsonem fortissimũ ligauit, infirmauit, exoculauit. Ipsa & filios Heli gloria sacerdotij, simulq; vita priuauit; Dormiebant enim cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi. Luxuria Dauid electum Domini, adulterum fecit & homicidiam. Ipsa Salamonem infatuans, sapientissimum perduxit ad idolatriam. Luxuria Susannam condẽnauit. Ioannem Baptistam decollauit. De luxuria dicit Dominus per Ozæe: Omnes nequitiæ eorum in Galgal, id est, in voluptatibus, quia ibi exosos habui eos. Dicit & Ioël de illa: Computruerunt iumenta in stercore suo, id est, in fœtore luxuriæ. Behemoth, secundũ Iob, dormit in locis humẽtibus, id est, in luxuriosis. In Euãgelio duobus se excusantibus, is qui vxorem duxit, superbè respondit, dicens; Vxorem duxi, & ideo non possum venire.

Gen. 6. 19. Genes. 39. Num. 25. Iudic. 6. 1. Reg. 2. 2. Reg. 11. 3 Reg. 11. Dan 13. Matt. 14. Osee 9. Ioël 1. Iob. 4. Luce 14.

APOLLONIVS: Quid est quod Dominus in Euãgelio apertè prohibet gulam, & figuratiuè luxuriã? De illa dicit: Videte ne corda vestra grauentur crapula & ebrietate. De ista verò: Sint lumbi vestri præcincti. CAESARIVS: Nouerat creator totius naturæ, de gula luxuriam oriri, illiusque fomentis nutriri: Genitalia ventri coniunguntur. Ac si diceret Dominus; Ne fias luxuriosus, gulæ indulge parcius. Sine Cerere & Baccho, friget Venus. Tria sunt quæ fomenta luxuriæ inflammant, victus immoderatus, vestitus pretiosus, otiositas. Hæc tria propheta fuisse dicit iniquitatem Sodomæ, videlicet saturitatem panis, id est, gulam; superbiam vitæ,

Luce 21. Luce 12. Isidor. l. 2. de summo bono c. 42. Hieron in cap. 1. ad Titum. Terent. in Eunuch. Ezech. 6.

vitæ, scilicet superfluitatem vestium, per quam libido prouocatur; & otium ipsius & filiorum & filiarum eius. Multa mala, vt dicit Salomon, docuit otiositas. Dauid propter otium peccauit cum Bersabæe. Vnde quidam ait: Otia si tollas, periêre Cupidinis arcus. Mala bestia est luxuria, castitatis impatiens, nulli sexui parcit, vix aliquem quiescere sinit: excitat dormientes, concitat vigilantes, nunc per motus naturales, nunc per cogitationes, nunc per formas oculis subiectas. Tentat incipientes, tentat proficientes, tentat perfectos. APOLLONIVS: Satis audiui luxuriæ pericula, audiui & contra illam medicamenta, nunc precor vt subiungas exempla. CAESARIVS: Non de illis dicere volo, qui luxuriæ consentientes ceciderunt, sed qui ab ea tentati & conquassati, Dei gratia conseruati sunt.

Eccl. 33. 2. Reg. 11. Ouid. li. 1. de rem. amor.

CAPVT XCIII.

Luxuriæ tentationem vincentes.

MILES quidam diues & honestus, more ecclesiastico ab vxore sua separatus, ad quandam domum ordinis nostri, gratia conuersionis, venit, cui omnia sua contulit tali pacto, vt domus, eadẽ vxori, quoad viueret, certam assignaret pensionẽ, quæ in loco religioso vitam promiserat ducere religiosam. Nolo nominare domum, siue militem, ne fortè aliquam ex his, quæ dicturus sum, quia adhuc vivit, sustineat verecundiam. Facto eo nouitio, in tantum diabolus illam stimulauit, vt à proposito resiliret, maritumque iam in fratrem conuersum repeteret. Dum sic nihil proficeret, cum amicis ad monasterium insidiosè veniens, vt sibi cum illo extra septa monasterij loqui liceret petiuit, & obtinuit. Quem milites rapientes, & vi super equum trahentes, abducere conabãtur. Ille verò in quãtum ex vna parte leuabatur, in tantum

tantùm ex altera parte deorsum labebatur. Tãdem nihil videntes se proficere, cum matrona reuersi sunt. Tunc illa siluit toto anno illo. Finito anno probationis, exigente necessitate, assumpto secum monacho, venit in domum suam, in qua supradictam reperit matronam. Illa simulans se velle ei loqui secretius, in cameram duxit, clausoque post illum ostio, clanculo amplecti ac deosculari cœpit. Sperabat enim, quia si illum ad peccandum inducere posset, quod deserto ordine, ad ipsam rediret. Sed filius integritatis Christus, qui innocentẽ
Genes. 39. puerum Ioseph liberauit de manibus adulteræ, eripuit & hunc militem suum ab amplexibus illicitis suæ legitimæ: nam de brachijs eius se excutiens, illæsus exiuit, & in igne non arsit. Rediens hic in domum suam, dicere potuit cum Salomone: Inue-
Eccli. 7. ni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius. Cui meritò congruit quod subiungitur: Qui placet Deo effugiet illam. APOLLONIVS: Grandis tentatio hęc. CAESARIVS: Grandior ista fuit, quæ sequitur.

CAPVT XCIIII.

IVuenis quidam Coloniensis, Richvvinus nomine, nouitius factus est in domo nostra. Hic cùm satis deuotè ac quietè per aliquod tempus in probatione ageret, ordinemque suum disceret, diabolus paci ac saluti eius inuidens, per quandam sanctimonialem beatæ Ceciliæ, iam dictæ ciuitatis, tantam guerram in eius corde mouit, tantis libidinum stimulis carnem eius vulnerauit, vt quiescere non posset. Literas reuocationis ipsa dictauit & scripsit, in quibus eum arguit de conuersione, hortabatur ad reditum, dicens seipsam, domũ, præbendam, vel si quæ haberet, in eius debere esse pote-

potestate quo ad viueret, si redire vellet. Has litteras cùm misisset per puerum, & ille quæreret nouitium; Henricus, nouitij eiusdem germanus, qui hodie Cellerarius noster est, seruo occurrens, & hoc ipsum etiam, quod postea euenit, formidans, non permisit vt ei loqueretur, præcipiens vt ocyus exiret de curia; qui tamen nouitium in oratorio præstolans, literas porrexit, & abijt; quas vt legit, mox totus incanduit, ac si telum ignitum cordi eius infixum fuisset. Ab illa hora cùm tentaretur nimis, ita vt singulis horis ad seculum redire proponeret, semper tamen pia fratrum oratione atq; exhortatione detentus est. Die quadam cum esset solus in probatione, & valdè fluctuaret, super terram se pronus prostrauit, pedes super limen cellæ extendit, voce satis alta clamans & dicens; Diabole, nisi vi pedibus hinc me extrahas, non te sequar. Tandem per Dei gratiã triumphans, factus est monachus. Requisitus à me, si adhuc aliquas de supractis cogitationibus sentiret reliquias, respõdit; Verè frater Cæsari, tentationes quæ tunc temporis sciderunt cor meum, modò vix vestimenta mea attingũt. Postea maior Cellerarius apud nos factus, in eodem officio defunctus est. Ecce sic diabolus quandoque per carnis incentiua tentat incipientes, tentat & proficientes.

CAPVT XCV.

RETulit mihi Abbas Hermannus, eo tempore quo Prior fuerat in Hemmenrode, iuuenem quendam monachum ibidem per carnis incentiua grauiter fuisse tentatum; cui cùm idem iuuenis eandem tẽtationem, qua nimis afficiebatur, cum lacrymis confessus fuisset, consolatus est cum Prior, & ait; Quando stimulus carnis te impugnat, sic diabolo voce satis alta dicere debes; Diabole, confes-

confessor meus præcepit tibi, vt cesses me tentare: Postea cùm idem tẽtaretur, & tentatio eadem maximè inardesceret, simpliciter, & valdè confidenter, voce satis clara, sicut fuerat edoctus, contra dęmonẽ clamauit dicens; Diabole, confessor meus pręcipit tibi, vt cesses me tentare. Mira virtus confessionis, ad hanc vocem diabolus, spiritus videlicet fornicationis, confusus fuit, & tentatio à iuuene cessauit. APOLLONIVS: Vnde habes, quod tentatio talis sit à diabolo? CAESARIVS: Apostolus stimulum carnis, appellat angelum sathanæ, eò quod ipsum excitet & inflammet. APOLLONIVS: Vt audio, confessio contra carnis tentamenta multum est necessaria. CAESARIVS: De hoc satis in præcedentibus dictum est, in distinctione ipsius cõfessionis: In confessione enim peccati fomes debilitatur, tentatio cessat, vel temperatur, gratia augmentatur, confitens consilijs animatur, diabolus confunditur, & eneruatur. Cùm alio quodam tempore supradictus monachus durè satis eadem tentatione vexaretur, supradictis verbis, ex consilio sui sacerdotis, etiam hoc adiecit; Quid me vexas ô diabole? Non poteris me plus tẽtare, quàm te permiserit Dominus meus, ipse est & Dominus tuus. Qui statim leuius sensit, quia spiritus ille superbus, pondus verbi, suam elationem deprimentis, portare non potuit.

2.Cor.12.

Lib 3.

CAPVT XCVI.

ALter quidam monachus, isto, de quo iam dictum est, ætate maturior, & in obseruantia religionis feruentior, à spiritu luxuriæ multifariè multisque modis & duris impugnabatur. Tempore quodam, cùm esset in oratorio, & dictis matutinis in angulo claustri stans veniam peteret cum angelica salutatione, diabolus post tergum eius

eius veniens, sagittam ignitam post eum direxit, ita vt illã monachus videret iuxta oculos suos volitare, fulgurare, & ex repercussione parietis scintillare: quem cum sic terrere non posset, neq; fugare à loco orationis, tantum circa illum strepitum excitauit, vt superficies totius pauimenti, in quo stabat, coturnis monachorum discurrentium atteri videretur: qui cùm de tali fantasmate nihil curaret, & completis orationibus abiret, quasi multitudinem Maurorum post se venientium vidit. Alio tempore spiritus fornicationis, cuius halitus prunas ardere facit, corpus eius igne libidinis intolerabiliter succendit: cuius importunitatem venerabilis vir ille considerãs, in hęc verba alta voce prorupit: Quid me tam crudeliter crucias ô diabale? non enim amplius facere poteris, quàm à Deo permissus fueris. Dominus meus, ipse est & dominus tuus. Doctrina est prædicti cõfessoris. Ad quam vocem tali ordine ab eo tentator discessit; verbis quidem prolatis, mox cœpit in vertice eius quasi aliquid motabile serpere, & paulatim per vtrasq; aures, vsq; ad collum descendere cum sudore: deinde per scapulas & latera, per coxas & crura sensim se trahens, per talos exiuit. Et, sicut mihi confessus est idẽ monachus, ita spiritus ille, vt iam dictũ est, gradatim descendit, vt sentiretur in vno loco, & nõ in alio. qui mox vt per pedes exiens fugit, ignis ab eo excitatus refriguit, & tentatio omnis cessauit. APOLLONIVS: Miror si aliquam occasionem præbuerit spiritui fornicationis sic terribiliter ipsum cruciantis. CAESARIVS: Sicut ab eius ore audiui, die quadam cùm visitaret cum Abbate in quodam claustro sanctimonialium, matrona quædam eiusdem congregationis, quam ante conuersionem bene nouerat, brachium suum super collum eius posuit, oculos in eum defigens: quod cũ considerasset

Iob 41.

plusquam

plusquam oportet, tunc quidem nihil ex hoc tentationis sensit, sed postea, quando diabolus illam oculorum defixionem menti eius reduxit, ita tentatus est ab illa hora, & postea per annos aliquot, vt eum viuere tæderet. quanto enim quis perfectior est, tanto plus sensus suos restringere debet, tactum maximè, & visum. Tactum quia sicut in vitis Patrum legitur, corpus mulierũ ignis est: Visum, quia mors ingreditur per fenestras oculorũ. Quantum autem monachus iste in tentationibus meruerit, sequens sermo declarabit. Cùm esset Prior in Claustro supra dictus Hermanus, nunc Abbas loci S. Mariæ, iam dictus monachus nocte quadam tentabatur grauissimè, & fuit eadem tentatio non tantùm valida, sed & periculosa, &, sicut ex eius relatione cognoui, talis erat status eisdem tentationis, vt tam breui morula, qua quis manum posset vertere, ei satisfecisset, si voluntas peccati affuisset; puto tamen quod fuerit de incentiuo carnis. Impugnabatur fortiter, restitit veriliter, vicit feliciter. In eadem hebdomada venit ad eum Conuersus quidam simplex de grangia, dicens se velle ei loqui secretius, & cùm dedisset ei copiam, ait: Domine in hac septimana visum est mihi in somnis, quomodo coram me staret columnia fortis, & ferrum infixum erat eidem columnæ, pendebatq; in clauo illo ferreo corona pulcherrima, quasi corona Imperatoris, & affuit quidam pulcherrimus dominus, qui ambabus manibus tollens de clauo coronam, ponensq; illam in manibus meis, sic dixit: Accipe coronam istam, & defer eam illi monacho, designans eum ex nomine, quia hac nocte meruit eam. Mox Prior, qui tentationem monachi nouerat, visum intellexit, & interpretatus est columnam fortem, monachum fuisse in tentatione sua insuperabilem; clauum, qui etiam de calibe videbatur

batur fuisse, duram, quam patiebatur, tẽtationem; coronam, de labore mercedem: Qui vicerit, inquit Dominus, faciam illum columnam in templo Dei mei. Quod corona appẽsa sit columnæ, id est, quod merces debeatur victoriæ, testis est Apostolus, qui ait; Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui; in reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ. APOLLONIVS: De quo certamine loquitur hic Apostolus? CAESARIVS: De eo quod sit contra hostem triplicem, carnem scilicet, mundum, & diabolum. Tantum Deo placet, fidelem, propter conseruationem innocentiæ, pacis tempore semper dimicare cum vitijs & concupiscentijs, quantum illi placet, si tempore persecutionis semel exponat corpus gladijs atque tormentis. Vnde ecclesia psallit: Plus currit in certamine cõfessor iste sustinens, quam martyr ictum sufferens, mucrone fundens sanguinem. APOLLONIVS: Mirari non desino, quod Deus, qui est summa mundicia, viros religiosos, sanctos atque perfectos, tam immundis tentationibus, & quandoque diu, vexari permittit. CAESARIVS: Hoc fieri creditur ex dispensatione diuinæ pietatis duabus de causis, videlicet ad custodiam humilitatis, & vt habeant materiam exercendæ virtutis. Quis in mundo maior Apostolo? Ipse est qui dicit; Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus sathanæ, qui me colaphiset, propter quod, & cætera. Sicut dicit scriptura: Relictæ sunt reliquiæ immundarum gentium in terra promissionis, vt experiretur in eis Israel. Nam cùm Domino placuerit, vna hora tentationes in nobis fortissimas compescit.

Apoc. 3.

2. Tim. 4.

2. Cor. 12.

Iosu. 2.

CAPVT XCVII.

IN Clarauallé sacerdos quidam religiosus est, si tamen adhuc viuit, genere nobilis, sed virtutibus nobilior, nomine Bernardus. Iste tempore quodam à sathana per stimulum carnis ita est vexatus, ita turbatus, vt iam proponeret tentationi omnino cedere, atque post plurimos sudores ad seculum redire. Confessus fuerat passionem eādem semel secundo, & multoties, sed non cessauit. Tandem, quasi victus, accessit ad Priorem, petens sibi cappam dari, dicens se velle redire ad seculum, eò quod non posset carere muliere. Multis precibus vix Prior obtinuit, vt expectaret illa nocte. Expectauit; & Dominus, qui saluat sperantes in se, consolatus est eum nocte illa in somnis, sicut & beatos illos magos, quibus præcepit, ne redirent ad Herodem. Vix tenuiter obdormierat, & ecce conspexit eminus virum horribilem, in effigie carnificis ad se properantem, & cultellum longum in manu tenentem, sequebaturque eum canis magnus & niger: quo viso contremuit; nec mirum. Ille verò multum impetuosè, arreptis eius genitalibus abscidit, canique proiecit, quæ mox ille deuorauit. Euigilans autem ex horrore visionis, putabat se fuisse eunuchizatum: quod reuera ita erat, etsi non vt visio ostendit cultro materiali, gratia tamen spirituali. Mane veniens ad Priorem, dicebat se liberatum à tentatione, visionem illi per ordinem exponens. Et glorificauit Prior Dominum, qui tam mirabiliter, & tam celeriter liberauit seruum suum Bernardum. Adhuc virgo dicitur esse carne: & est hæc historia satis celebris in ordine nostro. APOLLONIVS: Si sancti viri sic turpiter tentatur, non amodo verecundabor tantum, vt hactenus, confiteri meas immun-

Daniel.13.

immundas tentationes; timui ne confessores me despicerent, turpia confitentem. CAESARIVS: Si sunt confessores discreti, non debent accusantes se spernere, sed consolari, ne similem tentationem incurrant. Hoc cuidam sacerdoti sancto, & decrepito, contigisse cognoui.

CAPVT XCVIII.

COloniæ parochiam sancti Iacobi Apostoli sacerdos quidam sanctus & religiosus regebat, quem splendor multarum virtutum illustrem fecerat; erat autem literatus, humilis, castus, affabilis, pauperum pater, religiosorū susceptor, totius Christianæ religionis amator, Deo charus, toti ciuitati acceptus. Ipse est dominus Euerhardus, prædictæ ecclesię plebanus, qui conuersionem Abbatis nostri Geuardi præuidit, sicut dictum est in prima distinctione capitulo septimo. Ea quæ de se beatus Iob enumerat bona, huic iusto copiosè sa tis gratia contulerat diuina. Tempore quadragesimali, cùm ciuium filij iuuenes ac delicati confiterentur peccata sua, maximè carnis incentiua, quæ fomentare multum solent cibaria delicata; quia tales minus in se experiebatur passiones, durius quandoq; illos, quàm expediret, arguit dicens: Turpe est, quod homines Christiani motibus tā turpibus agitantur: & scādalisauit pusillos, aliquam eis ingerens desperationem. Sed iustus & misericors Deus, qui Petrum ob gregis salutem cadere permisit, seruum sibi dilectum flagello tentationis erudiuit, &, vt subditis sciret compati, passione corripuit consimili, ita vt dicere posset cum Apostolo: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus sathanæ, qui me colaphiset. Ex hoc in seipso didicit, quomodo alijs deberet medori. Tempore quodā cùm

Confessarij ne spernant tentatos, ne & ipsi tentur.

D. Euerhardi pastoris S. Iacobi Coloniæ, res gestæ.

Iob 29.

Luc. 22.

2. Cor. 12.

Abbas Hermannus, de quo supra dixi, nouitius monachus factus, stimulo carnis plus, quàm ei placeret tentaretur, & audita fama sanctitatis eius, ipsum adisset, sperans se meritis precibusque illius aliquid posse releuari, ad missas se præparantem ipsum inuenit; cui cùm propter tempus confusionem facere, sicut proposuerat, non posset, in aure ei secretius dixit; Pater, grauiter patior stimulum carnis, orate Deum vt liberet me; quem cùm ille respexisset, quasi ex abrupto clamosa voce respondit: Certè ego simile patior, quid ergo pro vobis orare potero? &, sicut mihi retulit idem Hermannus, ex hoc ipso ædificatus recessit, quod hominem sanctum & senem sibi similia pati cognouerat. De quo narrauit mihi sacerdos quidam religiosus, qui satis de vita eius nouerat, quod quotiens osculum pacis alicui clericorum in missa porrigebat, magis illum, timore tentationis, ore in aliqua parte faciei tunderet, quàm oscularetur. Quia virtus in infirmitate perficitur, tempore quodam Dominus dilectum suum tam valido dolore capitis, (quem etiam glosa vna in Apostolo vocat stimulum carnis) tẽtauit & afflixit, vt illum viuere tæderet: qui cùm minus orare posset aut legere, adijt quendam Medicum peritum, rogans sibi propter Christum cõtra dolorum tam continuum aliquod dari consilium. Ille magis appetens pecuniam, quàm mercedem diuinam, respondit: Si dederitis mihi tres marcas, bene curabo vos. Cui cùm diceret vir sanctus, tres marcas non habeo, dimidiam autem libens impendam; respondit physicus; Pro tantillo nolo laborare. Tunc ille; Si haberem tres marcas, prius darem eas pauperibus, quàm vobis, infirmitatem meam Deo committo. Iustum Dei iudicium; Hoc cùm dixisset vir beatus, & recederet, in ipsa hora dolor capitis totaliter eum

2.Cor.12.

Haymo in eum locum.

eum deseruit, & impium Medicum inuasit. Nihil de infirmitatis quantitate minuebatur, nihil de modo & qualitate mutabatur. Ex tunc poterat ei verbo euãgelico exprobare; Medice cura teipsum. Hoc miraculum cuidam canonico sancti Seuerini, nomine Rudolpho, arte medico, à quo in eiusdem confessoris festo fuerat inuitatus, me audiente recitauit. APOLLONIVS: Quia huius venerabilis sacerdotis fama valdè celebris est in vrbe Colonia, peto, vt si aliqua de illo nosti ædificatoria, dicere mihi non pigriteris. CAESARIVS: Ex operibus eius pauca percepi, quæ tecum communicabo. Cùm die quadam corpus Domini deferret in pixide ad infirmum communicandum, & deuenisset in stratam altam & angustam, quam ego sæpius ambulaui, essetque nimis lutosa atque profunda, obuios habuit asinos frumento oneratos; sacci autem parietem ex parte vna contingebant, ex altera de strata dependebant: Scholaris verò, qui præcedebat cum laterna, magno cum labore, nunc impellens asinos, nunc ab ipsis impulsus pertransiuit; Sacerdos hæc videns, & quod vir senex esset ac debilis considerans, pallere cœpit ac tremere, timens ab asinis impelli, & in luti illius profunditatem cum sacramẽto præcipitari. Necesse erat vt tẽtatio talis iustum probaret, quatenus fides eius amplius clarescceret. Cernens humanum deesse auxilium, ab eo quem portabat inspiratus, in hæc verba prorupit; Quid est quod agitis ô asini? nunquid non consideratis quem gestem in manibus meis? State, descendite, date honorem creatori vestro; in eius siquidem nomine vobis præcipio. Mira obedientia animalium brutorum, ad vocem sacerdotis, simul omnes steterunt, simul descenderunt. Accessit miraculorum miraculo: cùm esset descensus laboriosus, non sunt lapsi sacci de dorsis asinorum

Luc.4.

asinorum, quorum obedientiam vir sanctus admirans, Deumque glorificans, sine periculo ad infirmum peruenit. Hoc factum satis celebre est vsque hodie in ciuitate Colonia. Quantæ fuerit humilitatis, sequens lectio declarabit. Solebat ex consuetudine pauperes ad prandium suum vocare, inducti sunt die quadam duo, ex quibus vnus ita erat infirmus, ipsoque aspectu tam horridus, vt alter cũ illo manducare recusaret: fuerat eis mẽsula ex opposito sacerdotis præparata. Quod cùm vir Dei considerasset, pauperem despectum vocans, & in paupere Christum honorans, sellam illi contra se ponere iussit, & ex vna scutella, vnoque scypho, cum eo comedere & bibere non contempsit. Dicitur etiam fuisse consuetudo ei, delicata cibaria, tum propter socios & hospites, tum propter infirmos pauperes, quos in domibus decubare nouerat, sæpius præparasse; cumq; illi apposita fuissent, diligentius illa conspexit, odorem hausit, manu vertit, vt sic appetitu prouocato, amplius tentaretur, & eis propter Christum non vtendo, plus mereretur. Deinde dixit puero; Vade defer scutellam istam viduæ illi, vel tali pauperi siue infirmo, quia magis indigent quàm ego. Dum huiusmodi operibus lucerna illa ardens luceret in domo Dei, placuit Deo, vt per talem occasionem amplius adhuc clarescceret. Dominus Philippus Coloniensis Archiepiscopus, dum propter castra, quæ emerat beato Petro, multis debitis esset obligatus, dictum est ei à quibusdam, quod plebanus supradictus multam haberet pecuniam repositam. Missi sunt qui pecuniam accommodarent. Negante sacerdote, quod pecuniam non haberet, datis arcæ suæ clauibus, nihil in eis inuentum est, nisi calceamenta bouina & vncta, quæ ad vsus pauperum comparauerat. Reuersi cum erubescentia, qui missi fuerant, nuntia-

Accommodarent, pro mutuò peterent.

nuntiauerunt hæc Episcopo, qui sibi timens, sicut audiui à quodam sacerdote, pro eodem sacerdote venerabili misit, ad pedes illius se prostrauit, de illata iniuria veniam postulans. Ordinem nostrum specialiter dilexit, & cùm vellet in eo conuerti, à quibusdam Abbatibus eiusdem ordinis est auersus, vt intellexi, scientes vitam eius esse sanctissimam, & personis secularibus valdè necessariam. Cũ esset decrepitæ ætatis, virtutibus consummatus, migrauit ad Dominum, sepultusq; est in ecclesia beati Gregorij martyris. APOLLONIVS: Si virum tã sanctum, & tam senem, luxuria tentauit, non mirabor si iuuenes inuadit. CAESARIVS: Sicut dixi, luxuria vix alicui parcit ætati: Luxuria coluber est in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò. Ecce exempla. *Genes. 49.*

CAPVT XCIX.

Iuuenis castitas tentata sed non expugnata.

NOn est diu, quod in Susatia clericus quidam fuit peregrinus, Hermanuus nomine, ætate iuuenis, corpore procerus, pulcher aspectu. In hunc fœmina quædam eiusdem ciuitatis ciuis oculos iniecit, adeò ab illo inflammata, vt diceret; Si volueris meis amplexibus vti, omnia mea tua erunt. Cuius verba vel promissa cùm iuuenis, memor sancti Ioseph, despiceret, & illa nihil se proficere cerneret, de oppressione illum coram iudicibus accusauit: qui cùm negaret, nec ei crederetur, missus est in claustrum murorum, locum scilicet damnatorum. Illa, luxuria stimulante, à clerico se dementatam simulans, murum cum scala ascendit, deorsum se præcipitauit, iuuenem amplexatur, ad commixtionem illum solicitans. Nec sic profecit. Hoc cognito, iudices extrahentes innocẽtem, tanquã maleficum & magũ, miserunt in ignẽ;

qui cùm arderet, ita vt patentibus costis pulmo eius videretur, salutationem angelicam, id est, Aue Maria &cæt. cunctis audientibus decantauit. Mox vnus de circumstantibus mulieris cognatus, titionem ardentem arripiens, oriqúe eius immittens, ait; Ego auferam tibi orationes istas, & suffocauit eum. Quid plura? mortuus est, & in campo ossa eius sepulta, ad cuius tumbam sæpius visa sunt luminaria, & diuersa contingunt miracula. Territi verò parentes prædictæ adulteræ, coram canonicis sancti Patrocli se prostrauerunt, veniam postulantes, & pro nece iusti pœnitentiam suscipientes, super cuius tumulum ecclesia fabricata est. Iuuenem hũc luxuria per fœminam, vt coluber in via, id est, manifestè, peruasit, corpus eius incinerauit, sed non superauit. Alteri cuidam facta est cerastes in semita, hoc modo.

CAPVT C.

COnuersus quidam, vir bonus ac deuotus, quẽ ego bene noui, cùm ante annos paucos nauem portantem vinum monasterij sui deduxisset in Flandriam, nocte quadam hospitis sui, dum secundum consuetudinem lectum illi in solario domus præparasset, sibi alium ad pedes Conuersi strauit. Conuersus, cùm dicto completorio isset cubitum, essetq; lucerna extincta, illa silenter vestes exuit, in lectum præparatum se reclinauit, nudis pedibus Conuersi plantas pulsans, & quia ipsa foret, tussiendo se prodens. Non has cerastis insidias Conuersus obseruauerat, æstimans alicui virorũ eundẽ lectũ fuisse præparatũ: mordebat illa vngulas equi, id est, Conuersi, sed ascẽsor eius scilicet spiritus, per consensum non cecidit retro, quia mox vt vocẽ muliebrẽ audiuit, ilicò surrexit, vestes induit, & ad fenestras solarij vadens orationes suas dicẽdo, manè illic expectauit. Illa diutina expectatione suspẽsa, tandẽ cõfusa descendit. APOLLONIVS: Quid est cerastes? CAESARIVS: Serpens habens cornua, omni ferro duriora, ad instar gladij ex vtraque parte incisiua. Vnde Græci κέρατα vocant cornua. Luxuria cerastes est, quia non solùm animam interficit, sed & corpus irreparabiliter corrumpit. Omne enim peccatum extra corpus est teste Apostolo; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.

CAPVT CI.

RECordor cuiusdam sacerdotis in ordine Regularium Præpositi, quem nimis insidiosè, nimisque periculosè luxuria per fœminam cornibus suis ventilauit: cùm enim grauiter infirmaretur, dictum est ei à Medico, imò per Medicũ à diabolo, quia conualescere non posset, nisi vteretur muliere. Ille spe vitæ præsentis, immemor futuræ, fœminam cognouit, nec tamen ei profuit, imò magis obfuit, quia post paucos dies defunctus est: sicque, suasu antiqui serpẽtis, tempus pœnitentiæ, factum est illi tempus luxuriæ. Iudicium animæ Deo committo. Hæc in eadem domo, in qua Præpositus fuit, à quodam sacerdote eiusdem ordinis mihi relata sunt, quem & ego facie, & nomine noui. APOLLONIVS: Est ne prædicta sententia sancti Iob: Tentatio est vita hominis super terram, de vtroque sexu intelligenda? CAESARIVS: Est, quia hoc nomen homo, vtrumque sexum comprehendit, & eisdem motibus vterque sexus subiacet. Sicut enim diabolus per fœminam viros deijcit & eneruat, ita per viros mulierum multitudinem lucratur. Vnde de illo ad Iob à Domino dicitur: Fortitudo eius, in lũbis eius, & virtus

Iob. 7.

Iob. 40.

Greg lib 32. moral ca. 11. & hom 13 in Euangel.

tus illius, in vmbilico ventris eius. Super quem locum dicit sanct. Gregorius, viris esse luxuriam in lumbis, fœminis in vmbilico, quæ quantum quandoque tententur, exemplis tibi pandam.

CAPVT CII.

Mulieres tentatæ à carne, sed victrices.

MAtrona quædam nobilis, sicut mihi retulit sacerdos quidam religiosus, die quadam cùm in castro, in quo manebat, sola esset, & nescio quid ageret vel cogitaret, spiritus fornicationis solam illam esse non permisit: nam subitò tam validè est inflammata, vt huc illucque discurrens, stare vel sedere non posset, ac si ferrum candens in suo femore excepisset. Cumque ignem amoris tolerare non posset, ad portarium castri, castitatis oblita, descendit, & vt sibi commisceri vellet cum multa instantia supplicauit. Cui ille, sicut vir bonus, respondit: Quid est quod loqueris domina? vbi est sensus tuus? respice Deum, attende honorem tuum. Illa nihil horum curãs, cùm à portario repulsam pateretur, nutu Dei, de castro exiẽs, ad flumen præterfluens cucurrit, aquis gelidis se immersit, in quibus tam diu sedit, donec fomitem ardentis libidinis restringeret. Tunc ad portarium rediens, & de repulsa gratias agens, ait; Si dares mihi mille marcas auri, modò non paterer, quod paulò ante te facere rogaui. Et reuersa est in locum suum. Facitque pius dominus vt mater pia, quæ infantem dilectum circa ignem reptantem, bene ignis calorem sentire permittit, sed intrare volentem, cùm multa festinatione retrahit. Hoc pleniùs auditurus es in capitulo sequenti.

CAPVT CIII.

IN Anglia vir quidam religiosus monasterio præfuit sanctimonialium: erat autẽ staturæ proceræ, decorus aspectu, genas habens rubicundas,

das, oculos lætos, ita vt vix aliquis aliquid in eo religiositatis esse crederet, qui virtutes animi illi ignoraret. In cuius contẽplatione iuuencula quædam illius congregationis adeo cœpit tentari, & tam grauiter stimulis carnis agitari, vt verecundia postposita, passionem suam illi aperiret. Expauit vir sanctus, & quia timor Dei ante oculos eius fuit, cœpit virginem, in quantum potuit, auertere, dicens; Christi sponsa es, & si Domini mei sponsam corrupero, non patietur impunè transire, neq; homines diu poterit latere. Dicente illa; Si non consenseris mihi, moriar: respondit ille: Ex quo aliter esse non potest, fiat vt vis. In quo ergo loco conueniemus? respondit illa: Vbicunq; tibi placuerit, ego in hac nocte veniam ad te. Ad quod ille: Oportet vt in die fiat, ostenditque virgini domum in pomario, monens & præcipiens, vt nemine sciente, nemine videte, tali hora illuc veniret: quæ cùm venisset, dixit ad eam; Dignum est, & vobis expedit, vt corpus meum, quod tam ardenter concupiscitis, prius inspiciatis, & si tunc placuerit, desiderio vestro per illud satisfaciatis. Hoc dicto, illa tacente, vestimenta sua exuit, cilicium asperrimum, quo indutus erat ad carnem, deposuit, corpusque nudum vermibus corrosum, cilicio attritum, scabiosum, atque nigerrimum illi ostendens, ait: En quod amas, exple nunc, si placet, voluptatem tuam. Videns hæc illa, expauit, & nunc in pallorem, nunc in ruborem versa, ad pedes eius ruens, veniam postulauit. Cui ille, reuertere secretè in monasterium tuum, & vide ne me viuente prodas secretum meum. Ab illa hora tentatio, quam visus incautus in virgine excitauerat, conquieuit. Hæc exempli causa de tentatione luxuriæ sint dicta. APOLLONIVS: Quibus armis resistendum est his septem vitijs, de quibus iam sermo

sermo in longum protractus est? CAESARIVS: Virtutibus eis oppositis. APOLLONIVS: Quid sunt virtutes, vel vnde dicuntur? CAESARIVS: Virtutes sunt qualitates mentis, quibus rectè viuitur. Dicuntur autem virtutes, quasi contra vitia stantes. Stare debet contra superbiam humilitas, contra iram lenitas, contra inuidiam charitas, contra tristitiam spiritalis iocunditas, contra auaritiam largitas, contra gulam potus cibiqúe parcitas, contra luxuriam castitas. Quod sit in pugna tentationum virtutes vitijs effectæ fuerint superiores, victoriam meritum, & meritum præmium sequitur æternum, quod perseueranti se daturum pollicitus est Dominus noster Iesus Christus, qui est via in exemplo, veritas in promisso, vita in prçmio. Ipsi cum Patre & Spiritu Sancto, honor & imperium, in secula seculorum. Amen.

FINIS LIBRI Quarti.

CAPITA LIBRI quinti.

De eo quod dæmones sint, quod multi sint, quod mali sint, & hominibus infesti, cap. primum.

De Henrico milite, qui dæmones esse non credens, per necromanticum illos vidit cap. 2.

De sacerdote, qui per diabolum à circulo extractus & confractus, tertio die mortuus est cap. 3.

De clerico, qui apud Toletum dolo diaboli extractus, & ad inferos ductus & reductus, factus est monachus cap. 4.

De Her-

De Hermanno Abbate loci sanctæ Mariæ, qui in diuersis formis dæmones vidit cap. 5.

De Christiano monacho, qui dæmones vidit cap. 6.

De dæmonibus, qui visi sunt Moguntiæ in superba veste fœminæ cap. 7.

De sacerdote de Deytkirchin, qui in obitu suo multitudinem vidit dæmoniorum. Item probatio quod plures sint homines, quàm dæmones cap. 8.

De dæmone, qui dixit se malle cum vna anima à se decepta in infernum descendere, quàm redire ad cælum cap. 9.

De alio dæmone, qui contraria dicebat cap. 10.

De dæmone, qui confessus est, se intrasse fœminam, eò quod sibi tradita fuisset à marito cap. 11.

De puero, quem diabolus inuasit, cùm ei pater diceret, vade diabolo cap. 12.

De obsessa, quæ dixit diabolum ligatum tribus verbis sacri canonis cap. 13.

De obsessa, quæ in insula sancti Nicolai prodidit reliquias cap. 14.

Quomodo dæmones sint in hominibus cap. 15.

De conuerso Campensi, qui promissione episcopatus Haluerstadensis deceptus, suspensus est cap. 16.

De Conuerso, qui voce cuculi deceptus, in apostasia mortuus est cap. 17.

De duobus hæreticis, qui apud Bizuntium miraculis fantasticis multis deceptis, ibidem exusti sunt cap. 18.

De hæreticis Coloniæ combustis cap. 19.

De hæresi Valdosiana in ciuitate Metensi cap. 20.

De hæresi Albiensium cap. 21.

De hæreticis Parisijs exustis cap. 22.

De hæ-

De hæretico apud Trecas exusto, qui se dicebat esse Spiritum Sanctum cap. 23.
De hæreticis Veronensibus cap. 24.
De haretico, qui dicebat diabolum esse principem huius mundi, eò quod mundum creasset cap. 25.
De puella, quam diabolus intrauit cùm esset quinquennis cap. 26.
De Theoderico Conuerso, quem diabolus transtulit vltra ciuitatem Lubech cap. 27.
De Alberone Conuerso, qui diabolum videndo infirmatus est, & quæ sit ratio eiusdem defectus cap. 28.
De Abbate sanctæ Agathæ monacho, & conuerso eius, qui videntes diabolum, defecerunt cap. 29.
De duobus iuuenibus, qui diabolum in specie mulieris videntes, infirmati sunt cap. 30.
De fœmina, quæ à diabolo in specie serui sibi noti pressa, mortua est cap. 31.
De muliere in Are, quæ à diabolo amplexata, post paucos dies defuncta est cap. 32.
De Conuerso, quem diabolus in specie monialis meridie dormientem complexus, infra triduum extinxit cap. 33.
De Thimone milite, cum quo diabolus nocte tesseris ludens, viscera eius excussit cap. 34.
De homine, qui in Susatia spe diaboli de turri saltans, diruptus est cap. 35.
De dæmone, qui in specie hominis militi fideliter seruiuit cap. 36.
De dæmone, qui Euerhardum militem transtulit in Ierusalem cap. 37.
De dæmone, qui non permisit hominem à se obsessum de rapina in quinta generatione gustare cap. 38.

De dia-

De diabolo, qui visus est seminare discordias inter duos peregrinos amicos cap. 39.
De dæmone, qui in specie sacerdotis militem per spineta ducens inimicos illos effecit cap. 40.
De dæmone, qui dixit se seminasse discordiam inter militem & cœnobium cap. 41.
De milite Meingoso, quem diabolus per pauimentum traxit cap. 42.
De dæmone, qui vineam pro mercede custodiuit cap. 43.
De Eufemia sanctimoniali, quam diabolus infestauit cap. 44.
De infestationibus Elizabeth sanctimonialis à dæmone cap. 45.
De inclusa, quæ per Benedicite, liberata est à dæmone cap. 46.
De Bertrade inclusa cap. 47.
De Conuerso, qui vidit dæmonem fantasmata minare in chorum cap. 48.
De visionibus Hermanni Cantoris cap. 49.
De inclusa, quæ dæmones vidit super scapulis monachorum de Porceto cap. 50.
De monacho à calore caulium recedente, & à diabolo per speciem mulieris mox tentato cap. 51.
De diabolo simili leoni ad stipitem ligato cap. 52.
De canonico Bonnensi ab eo tentato cap. 53.
Quod conuentũ montis Sãctæ Valburgis irrisit ca. 54.
De sacerdote, quem cum gladio eunte ad ecclesiam, diabolus terruit cap. 55.
De campanario, quem diabolus transtulit in pinnam Ysenburg. cap. 56.

DE

DE DAEMONIBVS LIBRI QVINTI.

CAPVT I.

Dæmones esse.

RECTE post tentationem, tractandum videtur esse de tentatoribus. Dæmones antonomasticè dicuntur tentatores, quia maximè tentationem impellens ad peccandum, vel ipsis sit auctoribus, vel incentoribus. Si diabolus primum hominem tentauit in paradiso, si CHRISTVM tentare præsumpsit in deserto, quem hominem tentare non audebit in hoc mundo? Duo siquidem angeli cuilibet homini sunt deputati, bonus ad custodiam, malus ad exercitium. APOLLONIVS: De Angelis sanctis mihi nulla inest dubietas, quin sint, quia prophetarum scripta de illis sæpe loquuntur: quod verò dæmones sint, quod multi sint, quod mali sint, & quod incendijs æternis deputati sint, ex scripturis vtriusque testamenti vellem mihi demonstrari. CAESARIVS: Plurima ad hæc probanda extant testimonia. De Lucifero, id est, diabolo, propter decorē suæ creationis sic dicto, eiusque casu, ait Isaias: Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? etc. Quod factus sit diabolus, & quod de cęlo ceciderit, testis est Saluator, qui ait; Vidi sathanam tanquam fulgur de cælo cadentem. De quo Iob: Quadam die cùm venissent filij Dei vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam & Sathan. Et in psalmo Dauid loquens de Iuda proditore; Diabolus, inquit, stet à dextris eius. Item Habacuc de Christo; Egredietur diabolus ante pedes eius. Et in alijs

Genes. 3.
Matth. 4.
Isaiæ 14.
Lucæ 10.
Iob. 1.

multis

multis locis; diabolum scriptura commemorat. Quod autem non solus fuerit, nec solus ceciderit, testatur Ioannes in Apocalypsi dicens: Factum est prælium magnum in cælo; Michael & angeli eius prælibantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius; & nō valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cælo. Factus est per malitiam suam draco Lucifer gloriosus, de cuius decore ac pulchritudine per Ezechielem dicitur; Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore. In delicijs paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum; & cætera. Decima pars angelorum creditur cecidisse, vnde ob multitudinem Apostolus vocat eos aëreas potestates: cadēdo enim, aërem impleuerunt, de quorum malitia propheta Christo dicit in Psalmo: Superbia eorum, qui te oderunt; ascendit semper. Et Dominus in Euangelio Iudæis: Vos facitis opera patris vestri diaboli. Ille homicida erat ab initio: mendax est, & pater eius. Quod hominibus sit infestus, testis est Iob, qui ait: absorbebit fluuium, & non mirabitur, id est, infideles, paganos, Iudæos & hæreticos; & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius, scilicet fideles baptisati. Vnde Apostolus Petrus nos admonet dicens: Fratres sobrij estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret; cui resistite fortes in fide. Quod de vno dicitur, de cæteris intelligendum est, quia sæpe numerus singularis pro plurali ponitur. Quod æternaliter damnandi sint, habetur ex verbis Domini, qui in iudicio reprobis dicturus est: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Bene autem in quinta distinctione loquendum arbitror de dæmonibus, quia quinarius à Philosopho apostaticus vocatur, eò quod cæte-

Multos esse dæmones, & malos.
Apocal. 12.
Ezech. 28.
Ephes. 2.
Psalm. 73.
Ioan. 8.
Iob. 40.
Hominibus infestos, adeumdum damnandos esse.
1. Pet. 5.
Matth. 25.

Universidad de Deusto Biblioteca

quod cæteris numeris imparibus coniunctus, & per seipsum multiplicatus, semper seipsum vel in capite, vel in fine ostendit. Sic diabolus, à quaternario perpetuæ firmitatis recedens, primus cum hominibus malis, quasi numeris inæqualibus sociatur, semper in principio, vel fine operis, vel sermonis, illius nequitia demonstratur. APOLLONIVS: Satis mihi fateor probatum esse, vnde hæsitaui, diuinæ scripturæ testimonijs; neq; mihi satisfactum fateor, nisi eadem viuacibus declares exemplis. CAESARIVS: Dæmones esse, multos esse, malos esse, plurimis tibi exemplis potero probare.

Dæmones per Necromanticos ostensi.

CAPVT II.

MIles quidam Henricus nomine, de castro Falkinstein oriundus, pincerna fuit Cæsarij monachi nostri, tũc Abbatis Prumiæ, & sicut eodem Cæsario recitante didici, cum iam dictus miles dæmones esse dubitaret, & quicquid de illis audiret vel audisset, quasi friuolum reputaret, quendam clericum Philippum nomine, in necromantia famosissimum accersiuit, & vt dæmones sibi ostenderet cum multa instantia petiuit. Cui cùm ille responderet, visio dæmonum horribilis est, periculosa est, neq; hos omnibus expedit videre: cùm miles nimis importunè instaret, adiecit: Si securum me feceris, quod neq; à cognatis, siue ab amicis tuis quicquam mihi ex hoc mali eueniet, si fortè à dæmonibus deceptus vel territus, lęsus fueris, acquiescam tibi. Et fecit eum securum. Die quadam tempore meridiano, eò quod tũc maiores habeat vires dæmoniũ meridianum, Philippus militem in quoddam biuium duxit, gladio illum circumcircinauit, circuli legem, infra circulum posito prædixit, & ait: Si aliquod membrorum tuorum extra hunc circulum ante meum reditum

ditum extenderis, morieris, quia mox à dæmonibus extractus, peribis. Monuit etiam, vt nihil petentibus daret, nihil promitteret, nec se signaret. Et adiecit; Multis modis te dæmones tentabunt, & terrebunt, nec tamen tibi nocere poterunt, si mandata mea custodieris, discessitque ab eo. Solo sedente illo in circulo, ecce vidit contra se venientes inundationes aquarum, deinde audit grunnitus porcorum, flatus ventorum, & alia fantasmata his similia multa, quibus illum dæmones terrere moliebantur. At quia iacula præuisa minus feriunt, contra hęc à semetipso confortatur, nouissimè verò, contemplabatur in nemore vicino quasi vmbram humanam, tetram, summitatem arborum ascendentem, quæ ad ipsum propinquabat. Et intellexit statim, quia diabolus esset, vt fuit; qui vt circulum attigit, stetit, & quid sibi vellet militem interrogauit. Erat autem quasi magnus vir, imò maximus, & nigerrimus, veste subnigra intus, & tantę deformitatis, vt in eum miles respicere non posset. Cui sic ait: bene fecisti veniendo, ego enim videre te desideraui. Ad quid? inquit: & ille; Multa de te audiui: Respondente diabolo; Quid de me audiuisti? Subiecit miles, Pauca bona, & multa mala. Ad quod diabolus; Sępè me iudicant & cõdemnant homines sine causa: ego nemini nocui, neminem lædo nisi prouocatus; Philippus magiste tuus, bonus amicus meus est, & ego illius, quære si vnquã illum offenderim. Ego facio, quod illi placet, & ipse mihi in omnibus obtemperat: vocatus ab illo, modò huc veni ad te. Tunc miles: Vbi fuisti quãdo te vocauit? respondit dæmon; Tãtum ex illa parte maris fui, quãtum ab hoc loco distat, vsq; ad mare, & ideo iustũ est, vt in aliquo munere laborib. meis respõdeas. Cui miles: Quid vis? respõdit ille: Volo & rogo, vt des mihi paliũ tuũ:

dicente milite; Non tibi dabo; popoſcit cingulum, deinde ouem vnam de grege; quæ cùm omnia negaret, nouiſſimè gallum domus eius petiuit. Cui cùm diceret, Quid opus habes gallo meo? reſpondit dæmon? vt cantet mihi. Et ille: Quomodo caperet eum? reſpondit iterum dæmon; Non ſoliciteris de hoc, tu tantùm da mihi illum. Tunc miles, ego nihil dabo tibi, & adiecit: Dic mihi vnde eſt tibi tanta ſcientia? dixit dæmon, Nihil fit mali in mundo quod me lateat; & vt hoc ſcias verum eſſe, ecce in tali villa, & in tali domo, virginitatem tuam perdidiſti, ibi, & ibi peccata illa, & illa commiſiſti. Et non potuit contradicere miles quin verum diceret. APOLLONIVS: Non puto quin miles aliquando eadem confeſſus fuerit peccata, quomodo ergo ſcire potuit diabolus confeſſa? CAESARIVS: Quia cùm voluntate iterum peccandi miles confeſſus fuit, diaboli ſcientiam in nullo minuit. APOLLONIVS: Placet quod dicis, quia idem dixiſſe te recolo diſtinctione tertia, capitulo ſexto. CAESARIVS: Cumque rurſum diabolus neſcio quid poſtularet, & ille dare renueret, quaſi eum rapere vellet, & extrahere, manum contra eum extendit, atque in tantum terruit, vt retrorſum cadēs clamaret. Audita eius voce, Philippus accurrit, in cuius aduentu fantaſma mox diſparuit. Ab illa hora miles idem ſemper pallidus fuit, natiuum colorem nunquam recuperauit, emendatius viuens, & dæmones eſſe credens. Non eſt diu quod defunctus eſt.

CAPVT III.

Remunerauit, promuneribus induxit.

EOdem tempore ſacerdos quidam ſtolidus, eūdem Philippum rogauit, atque remunerauit, vt ſibi dæmones oſtenderet. A quo cū fuiſſet, modo ſupradicto, in circulo poſitus & inſtructus, à diabolo territus, & extractus eſt, atq; ita, antequam adue-

aduenirет Philippus, confractus, vt tertia die moreretur, cuius domū Vvalramus de Lutzelinburg confiſcauit. Ego eundem Philippum vidi, qui ante paucos annos, procurante, vt creditur, magiſtro & amico ſuo diabolo, occiſus eſt.

CAPVT IIII.

REtulit mihi bonæ memoriæ monachus noſter Godeſcalcus de Volmunſteine, quod ſilere non debeo. Cùm die quadam rogaret prædictum Philippum, vt aliqua ſibi recitaret de arte ſua mirabilia. Reſpondit ille: Dicam vobis rē ſatis mirabilem, temporibus meis apud Toletum veraciter geſtam. Cùm plures ex diuerſis regionibus ſcholares in eadem ciuitate ſtuderent in arte necromantica, iuuenes aliqui de Svveuia & Baioaria ſtupenda quædam, & incredibilia, à magiſtro ſuo audiētes, & vtrumnam vera eſſent probare volentes, dixerunt illi; Magiſter, volumus vt ea quæ doces, oculo tenus oſtēdas, quatenus aliquē ex ſtudio noſtro fructū capiam⁹. Q ios cùm auerteret, & nō acquieſcerent, eò ꝙ natio illa gēs ſit mirabilis, hora idonea in campum illos duxit, gladio circa illos circulū fecit, monens ſub interminatione mortis, vt infra circulum ſe cohiberent, & ne aliquid rogantib. darent, vel ab offerentibus reciperent p̄cepit. Secedens ab eis paululū, dæmones carminib⁹ ſuis aduocauit. Mox adſunt illi in formis militum decēter armatorū, militiæ ludos circa iuuenes exercētes, nunc lapſum ſimulabāt, nunc lāceas & enſes contra eos extendebant, omnibus modis ſatagentes, vt illos extra circulū extraherent: qui cùm ſic nihil proficerent, in puellas ſpecioſiſſimas ſe trāsformantes, choreas circa illos ducebāt, varijs anfractibus iuuenes inuitantes: ex quibus vna, forma cęteris preſtātior, vnum ex ſcholaribus elegit, ad quē quotiens veniſſet chorizādo, totiēs annulū

aureum porrigebat, intus suggerendo, & foris motu corporis ad amorem suum illum inflammando. Quæ cùm per multas vices hoc actitasset, victus iuuenis, digitum contra annulum extra circulũ porrexit, quem illa mox per eundem extrahens, nusq̃ comparuit. Capta præda, cõuentus malignantium in turbinẽ resoluitur; fit clamor & strepitus discipulorum, accurrit magister, de raptu consocij omnes conqueruntur. Quibus ille respondit: Ego sine causa sum, vos me coegistis, ego vobis prædixerã, non eum amodò videbitis. Ad quod illi; Nisi nobis restituas, interficiemus te. Timens tamen vitæ suæ, sciens Baioarios esse furiosos, respõdit: Ego tentabo, si spes aliqua sit de illo. Vocansq; principem dęmoniorum, fidele suũ ministerium illi ad memoriam reuocans, dixit; disciplinæ eius multum esse derogandum, seq; à discipulis occidẽdum, nisi iuuenis restitueretur. Cui diabolus compassus respõdit: Crastino concilium propter te in tali loco celebrabo, tu esto pręsens, & si aliquo modo illũ per sententiam obtinere poteris, gratũ habebo. Quid plura? Ad imperium principis, concilium malignantium cogitur, de violentia in discipulum facta à magistro conqueritur; ab aduersario respõdetur: Domine, inquit, non illi feci iniuriam, non violẽtiam, magistro suo inobediens fuit, legem circuli non custodiuit. In hunc modum illis contendentibus, diabolus dæmonem quendam sibi collateralẽ de sententia interrogauit, dicens: Olinere, semper curialis fuisti, contra iustitiam personam non accipis, solue quæstionem huius litis: respondit ille, Ego iuuenem restituendũ esse iudico magistro suo; moxq; ad aduersarium conuersus ait; Redde illum, quia nimis ei importunus fuisti. Cæteris sententię eius assensum præbentibus, ad mandatum iudicis, eadẽ hora scholaris ab inferis reducitur, magistro

suo restituitur, concilium soluitur, ad discipulos, reducta præda, magister lætꝰ reuertitur. Cuius vultus ita erat macer & pallidus, color tam immutatus, vt hora eadem à sepulchro videretur resuscitatus: qui socijs apud inferos visa recitans, quàm Deo contraria & execrabilis foret illa disciplina, magis exemplo, quàm verbo ostendit; & à loco recedens, in quodam ordinis uostri monasterio monachum se fecit. APOLLONIVS: Recordor nunc illorum duorum iuuenum, videlicet qui apud Toletum defuncti socij admonitione conuersus est, & alterius clerici, cui visa pœna Lantgrauij conuersionis causa fuit, sicut dictum est in distinct. prima. cap. 33. & cap. 34. CAESARIVS: Conradus senex monachus noster retulit mihi, se ante cõuersionẽ, nocte quadam in plenilunio, demõstrante sibi quodam clerico necromantico, in diuersis formis dæmones vidisse: vnde dubium non est, quin sint, qui sic ab hominibus videri, audiri, & sentiri possunt. APOLLONIVS: Licet satis mihi probatum sit, dæmones esse, magis tamen delectarer de his testimonia religiosorum, quàm secularium audire. CAESARIVS: Quod dæmones sint, & multi sint, nõ dubijs, sed veritissimis, non secularium, sed claustralium personarum tibi ostendam exemplis. De quibus nihil omninò dubitabis.

CAPVT V.

Dæmones à religiosis visi.

DOminus Hermannus nunc Abbas loci S. Mariæ, quantæ sit vir religiositatis, quantæue grauitatis, bene nosti. Iste ante conuersionẽ, ecclesiæ Bonnensis erat canonicus, vir nobilis, & de alto sanguine natus. Factus verò monachus in Hẽmenrode, non multo post, cùm emitteretur conuẽtus noster de eodẽ claustro, primus eius Abbas efficitur, & post paucos annos per electionem ablatus,

eidem in Abbatem promotus restituitur. Erat tunc temporis illic Conuersus quidam, nomine Henricus, magister cuiusdam grangiæ, quæ Hart vocatur, vir bonus & iustus, maturus ætate, & corpore virgo. Iste inter reliqua dona, quæ acceperat ac Domino sæpè nocturnis horis, in choro maximè, in diuersis formis dæmones currere vidit. Hæc cùm in confessione, iam dicto retulisset Hermãno, illius exemplo, videndi dæmones desiderio accẽsus, intentissimè Deum orauit, vt sibi hanc gratiã donare dignaretur, statimq; exauditus est. In proxima verò solemnitate Sancti Martini, cùm staret in matutinis, contemplatus est dæmonem vnum, in forma rustici quadrati, inferius iuxta presbyteriũ intrare. Habebat pectus latum, scapulas acutas, collum breue, capillum in fronte satis supbè tonsuratum, reliquos crines sicut aristas dependentes. Ascendens venit ad quendam nouitium stans coram illo, quem cùm dominus Hermannus, qui tunc temporis non erat Abbas, intuitus fuisset, oculosq; parumper auertisset, ac denuo illũ videre voluisset, disparuerat. Alio tẽpore, transformans se dæmon in caudã vituli, & super formam cadens, cui idem nouitius appodiabat, motu leuissimo trahebat se ad nouitium, cuius scapulas, cùm eadem caida tangeret, mox in psalmodia fallebatur nouitius; qui cum super articulos se demitteret, regulariter satisfaciẽs, dæmõ, quasi turbine impulsus, ad lõgitudinem cubiti vni⁹ recessit ab eo, sicq; disparuit. Non.n. spiritus ille superbiæ, q. biandimẽto caudæ suæ tertiã partem stellarum post se trahit ad vnius humilitatis signũ stare potuit. Nouitius iste nonn⁹ Alexãder fuit, nunc prior in Claustro. Verisimile est tunc eum aliquid leuitatis cogitasse, quãdo per motum leuem tentatus est & impeditus. APOLLONIVS: Placet q̃ dicis. CAESARIVS: in nocte verò

Apocal. 12.

Sancti

Sancti Cuniberti, cùm staret in choro Abbatis, tunc simplex monachus, vidit iuxta presbyterium duos dæmones intrare, & paulatim ascendere ad stallum Abbatis, inter chorum monachorum atq; nouitiorum; qui cùm venissent contra angulum, vbi parietes conueniunt, exilijt dæmon tertius, duobus se socians, & cum illis exiens. Tam prope enim transeuntes venerunt ei, vt manu illos tangere posset; quos diligentius intuens, considerauit quod pedibus terram non tangerent, vtpote aereæ potestates. Habebat autem vnus ex duobus prioribus, fœmineum vultum, in capite verò velamen nigrum, nigro circumdatus pallio, &, sicut mihi retulit, monachus ille, qui tertium dæmonem iuxta se fouerat, satis erat iniuriosus, & non parum acediosus, in choro libenter dormiens, & inuitus psallens, hilarior ad potandum, quàm ad cantandum; breuiores vigiliæ, videbantur ei semper longissimæ. Alio itidem tempore, in vigilia, vt puto, Sancti Columbani, tunc eo existente Priore, cùm chorus Abbatis inciperet primum matutinarum psalmum, scilicet: Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me, Dæmones adeò in choro multiplicati sunt, vt ex illorũ concursu, & discursu, mox in eodem psalmo fratres fallerent: quos cùm chorus oppositus conaretur corrigere, dæmones trãsuolauerunt, & se illis miscentes ita turbauerunt, vt prorsus nescirent quid psallerẽt. Clamauit chorus contra chorum, Dominus Abbas Eustachius, & Prior Hermannus, qui hęc vidit, à stallis suis semoti, cùm satis ad hoc conarentur, non poterant illos ad viam psalmodiæ reducere, neque vocum dissonantias vnire. Tandem psalmo illo modico, & valdè vsitato, cum labore pariter atque confusione, qualicunque modo expleto, diabolus, totius confusionis caput, cum suis satellitibus abscessit, &

Dæmones in choro psallentes turbant. Psal. 3.

X 5 pax

Universidad de Deusto Biblioteca

pax turbata pſallentibus acceſſit. quem eadem hora, prædictus Prior, in forma draconis, haſtæ habentem longitudinem, euolare vidit, & hæc iuxta lampadem in choro ardentem, ne eius abſceſſus latere poſſet contemplantem. Reliqui dæmones, vmbroſa habebant corpora, infantibus maiora, quorum facies ferro ex igne extracto erant ſimillimæ. APOLLONIVS: Ex quo tot dæmones congregati fuerant in loco vno, ad impedimentum vnius congregationis, non dubito, quin innumerabiles ſint in orbe terrarum. CAESARIVS: Teſte Euangelio, legio intrauerat hominem vnum, vnde quia multi ſunt & mali, & ad impedimentum ſalutis noſtræ, vt prædictum eſt, heu nimis parati, conſulo, vt dum ſtamus ad pſallendum, circumſpecti ſimus & intenti, feruentes & humiles, ne meritum ſancti feruoris, extinguat vitium ſuperbæ vociferationis; quantum enim maligni ſpiritus turbantur in cordis noſtri deuotione, tantum lætificantur in ſuperba vocũ exaltatione. Cùm nocte quadam hebdomodarius Inuitatorij antiphonam inciperet, & monachus ei proximus voce mediocri pſalmum intonaret, Herevvicus, tunc Prior, cum cæteris ſenioribus eadem voce, qua ille incœperat, pſallere cœpit. Stabat iuuenis quidam minus ſapiens in inferiori penè parte chori, qui indignè ferens pſalmum tam ſubmiſsè inceptum, fere quinque tonis illum exaltauit; Suppriore ei reſiſtente, ille cedere contempſit, & cum multa pertinacia victoriam obtinuit, cuius partes in proximo verſiculo quidam ex oppoſito choro adiuuerunt; propter ſcandalum, & diſſonantiæ vitium, cæteri ceſſerunt. Mox is, qui ſupra, vidit dęmonem de monacho ſic triumphante quaſi candens ferrum proſilientem, & in oppoſitum chorum in eum, qui eius partem roborauerat, ſeſe transferentem.

Marc. 5.

Ex quo

Ex quo colligitur, quod magis placet Deo humilis cantus cum cordis deuotione, quàm voces in cœlum arrogantet exaltare. Alia quadam nocte, cùm præueniſſet fratres ad vigilias, & ſtans in loco ſuo, propter aëris claritatem conſiderandam, oculos direxiſſet ad feneſtram, quæ eſt in fronte eccleſiæ, obiecit ſe viſui eius dæmon quidam in æthiopis effigie, magnus & nigerrimus, ac ſi hora eadem ab igne infernali fuiſſet extractus; qui ad eum per chorum ſuperiorem veniens, ipſumque pertranſiens, egreſſus eſt. Alio itidem tempore, cùm modicum ſe mouiſſet à ſtallo ſuo ad commonendum fratres, conſpexit dæmonem inter ſtallum Abbatis atque Prioris intrare cum impetu, ipſo aſpectu horribilem nimis; qui cùm in chorum Prioris nequiter reſpexiſſet, & vidiſſet ſibi ingreſſum non patere propter ipſum, eò quod viam occupaſſet, raptim ſe in chorum nouitiorum depoſuit, & cuidam monacho ſeniori illic ſedenti ſe coniunxit. Iſte ſupradicto monacho, qui dæmonem iuxta ſe fouerat, diſſimilis in moribus non erat, bibulus ſcilicet, acedioſus, & libenter murmurans. Ecce iſta debent eſſe terrori monachis acedioſus. APOLLONIVS: Tam iſta, quàm illa, quæ te in diſtinctione ſuperiori de vitio acediæ dixiſſe recolo, omnes qui in choro libẽter dormiunt, & inuiti pſallunt, meritò terrere debent. CAES. Sæpius dęmones in formis minutiſſimis per chorum diſcurrere, ſæpius in diuerſis locis eoſdem contemplatus eſt terribiliter ſcintillare, ſentiens aſpectum illorum oculis eſſe nociuum, nec ignorans nequitiam illorum. Die quadam miſſa dicta de Spiritu ſancto, orabat Dominum, vt ſe ab huiuſmodi viſionibus liberaret, ſtatim affuit inimicus in forma lucidiſſimi oculi, habentis quantitatẽ pugni, in quo quicquid erat, viuere putabatur,

ac ſi

ac si diceret; Modò diligenter considera me, quia de cætero non videbis me. Postea tamen eum vidit, sed non tam manifestè, & tam sæpè, vt prius. Factus Abbas in loco sanctæ Mariæ, cùm nobilis fœmina Aleydis nomine, comitissa de Froimberch, tanquã loci fundatrix insepeliretur, & adhuc corpus eius iaceret in feretro, vidit dæmonem ipsum feretrum circumgyrantem, &, quasi aliquid sui iuris perdidisset, ita omnes eius angulos oculorum indagine lustrauit. Nondum est annus, quod Prior noster, dum post sepulturam cuiusdam Conuersi nostri ad horam canonicam chorũ intraret, & nescio quid de secularibus foris tractasset, diabolum, tanquam ducem viæ, ante illum ingredi conspexit: erat autem forma assumpti corporis admodum subtilis, ad instar nubis. deinde, diebus paucis elapsis, nocte quadam, infra matutinas, in simili illum specie coram iam dicto Priore stare conspexit. APOLLONIVS: Quid est quod personam huius venerandi Abbatis, cùm scriberes de infantia Saluatoris homilias morales, & penè omnes prædictas visiones ibi poneres, ita celare studuisti? CAESARIVS: Ipse ex multa charitate secreta sua mihi reuelans, tunc temporis ne eum proderem prohibuit, quod postea tamen, importunitate mea victus, concessit. Sciebam enim personæ illius grauitatem, posse non modicam scribendis præbere auctoritatem. Cuiusdam venerabilis magnarumq; virtutum viri, cuius tam nota fuit sanctitas, & tam probata auctoritas, vt nemo de illius dictis meritò dubitare debeat, nunc recordor, cuius visiones tam præsentibus, quàm futuris poterunt esse exemplum terroris.

CAPVT VI.

IN Hemmenrode sacerdos quidam venerabilis ad conuersionem venit, nomine & opere Christianus:

stianus: huic dæmones multum importuni fuerũt, & sæpe illos vidit, tam ante conuersionem, quàm post. Huius tempore alter quidam scholaris sacerdos, nomine Carolus in eodem cœnobio factus est nouitius, & erat eius in probatione socius Prior noster Isenbardus: Hic instinctu diaboli, cuius consilio vtebatur, gulæ & carnis suæ commodis nimis consentiens, infirmitates sæpius simulauit; qui cũ positus in infirmatorio tantum carnem nutriret, & spiritum negligeret, vadens vel rediens de priuata, cùm claudicaret, & in coquinam respiciendo, quæ ibi præparentur infirmis cõsideraret, prædictum diabolum eum sequi vidit, qui eo modo quo ille claudicauerat, & ipse claudicauit, & sicut introspexerat introspexit, in nullo ab eis gestibus discrepans. Tandem infra annum probationis deficiens, reuersus est ad ollas Aegypti, & secuta est caro carnem. Fratribus ad laborem post capitulum præparatis, cùm starent circa auditorium, & expectarent tabulæ percussionem, essentq; aliqui ex eis remissi, per otiosam signorum consignificationem, vidit vir ille beatus, cattos fœda quadam adustione maculatos, imò sub eorum specie dæmones, caudarum suarum motibus eisdem blandiri, & cõtinuatis vicibus corporum suorum compressionibus, in signum familiaritatis, illos demulcere: eos verò qui grauitatem suam seruabant, ne aspicere quidem audebãt. Die quadam cùm orationis gratia ante quoddam se altare prostrauisset, diabolus in bufonem maximum, ad instar gallinæ, se transformans, ante eius ora resedit, quo viso territus, ilicò surrexit & fugit, hora eadem dolos diaboli minus obseruans. Videntur mihi tres istæ visiones, contra tria vitia satis esse necessariæ; prima contra vitium gulositatis, secunda contra vitiũ vanitatis, tertia contra tædium orandi. Licet non videamus,

Universidad de Deusto Biblioteca

videamus, diabolus sæpè per huiusmodi fantasmatum horrores, dulcedinem in nobis extinguit orationis. Hæc mihi dicta sunt à supra memorato Hermanno Abbate, necnon & VValtero monacho deBirbec, qui illi familiares fuerunt. Reliqua eius acta & visiones audies in distinctione septima.

CAPVT VII.

Mulierum ornatu dæmones gaudent.

RETulit mihi quidam ciuis honestus, asserens suis temporibus Moguntiæ, si bene memini, hoc quod dicturus sum contigisse veraciter. Die quadam dominica, cùm sacerdos in ecclesia, cuius erat plebanus, circuiret, & aqua benedicta populum aspergeret, ad ostium ecclesiæ veniens, matronam quandam prompaticè venientem, &, ad similitudinem pauonis, varijs ornamentis pictam obuiam habuit, in cuius cauda vestimentorum, quam habebat post se longissimam, multitudinem dæmonum residere conspexit: erant enim parui vt glires, nigri vt æthiopes, ore cachinnantes, manibus plaudentes, & sicut pisces intra sagenam conclusi saltantes. Reuera ornatus muliebris, sagena diaboli est. Quos vt vidit, dæmonum quadrigam foris expectare fecit; plebem aduocauit, dæmones ne fugerent, adiurauit. Tertia illa stetit, & vt visiones populus videre mereretur, quia vir bonus ac iustus fuit, orationibus obtinuit. Intelligens mulier ob vestimentorum superbiam sic se a dæmonibus esse derisam, domum redijt, vestimenta mutauit, & tam ipsi, quàm cæteris fœminis, eadem visio occasio facta est humilitatis. APOLLONIVS: Si tot sunt dæmones, qui nos miseros homines instigant ad culpam, puto quia multi erunt, qui consentientes trahent ad pœnam.

CAESA-

CAESARIVS: De hoc te magis instruam exemplis quàm verbis.

CAPVT VIII.

Circa malæ sacerdotem moribundæ multi dæmones.

IN Deytkircher sanctimonialium monasterio, quod in oppido Bonnensi situm est, sacerdos quidam defunctus est, Adolphus nomine, vir valdè secularis, & lubricus, iam dicti monasterij plebanus; hic, sicut mihi retulit quidam sacerdos, qui fuerat Bonnensis Canonicus, cum die quadam cum suo cognato quodam luderet in aleis, quidam ex parrochianis eius flens superuenit, & vt matris suæ confessionem audire, eamque communicare dignaretur, humiliter, & cù lacrymis supplicauit. Respondente sacerdote; Non veniam nisi expleto ludo, & ille instaret, asserens infirmam expectare non posse commotus sacerdos secum ludenti dixit; Cognate, ego conqueror vobis de homine isto, qui me quiescere non sinit. Videns se ille nihil proficere, tristis ac gemens discessit, & infirma sine confessione, atque viatico, ab hac luce migrauit. Die autem tertio is, qui cum sacerdote luserat, defunctæ filio occurrit, & sacerdotis querimoniæ recordatus, illum sine causa occidit. Post hæc, & alia peccata plurima, sacerdos idem peremptoriam incidit infirmitatem, qui cùm esset in deperatione, quædam cognata eius sedens coram illo, cùm signum contritionis vidit in eo nullũ, tristis sic ait: Domine, debilis estis valdè, præparate vos propter Deum, inuocate illum, vt peccata vestra vobis dimittat, & spacium adhuc fructuosæ pœnitentiæ concedat. Ad quod ille desperatus respondit: Vides horreũ illud magnũ ex opposito nostri? nõ sunt in eius tecto tot calami, quod sũt circa me dæmones congregati. Et hoc dicto, mox agonizãs, expirauit, eos vidẽs adesse moritur? quorũ cõsilio

vixerat

vixerat ſanus. Multa tibi de multitudine dæmonum dicere poſſem, ſed vſque ad duodecimam diſtinctionem illud reſeruo. APOLLONIVS: Cùm mali malè viuendo multos habeant dæmones incentores, multos in morte accuſatores, miror ſi tot in pœnis habituri ſint ſinguli tortores. CAESARIVS: Supra diſtinctione prima capitulo xxxij. dictum eſt de Abbate Morimundenſe, quod dæmones animam ad locum pœnarum portantes crucia uerunt. Similiter diſtinctione ſecunda cap. vj. Hildebrandus latro Bertolpho poſt mortem apparẽs, multa milia dæmonum dicebat animam ſuam foris præſtolari. APOLLONIVS: Si hęc ita ſe habent, certum eſt plures eſſe dæmones quàm homines malos. CAESARIVS: Quantum ad præſens tempus, quæſtionis huius ſolutionem ſcire non poſſumus; ſed certum habemus, quod in fine mundi, quando completus fuerit reproborum numerus, multò plures erũt mali homines, quàm dæmones. APOLLONIVS: Vnde hoc probatur? CAESARIVS: Decima pars angelorum cecidit, ex quibus dæmones facti ſunt. Teſte beato Gregorio; Tot aſcenſuri ſunt ex electis hominum, quot ibi angeli remanſerunt: ſecundum hoc, nouem patribus numerus hominum electorum, tranſcendet numerum dæmoniorum. Quis ergo dubitat, quin incomparabiliter plures ſint homines mali, quàm boni? Nec in hoc mali homines aliquam recipient conſolationem, quod numero lõgè plures erunt dæmonibus; quia tanta eſt illorum naturalis potentia, tanta cõtracta malitia, tanta torquendi induſtria, vt vnus multis milibus hominũ in pœnis adhibendis ſufficere poſſit. Hæc de multitudine malignorum ſpirituum dicta ſint. Quod autem incomparabiliter mali ſint & immiſericordes, varijs tibi pandam exemplis.

In fine mundi, plures fore malos homines, quàm dæmones. Gregor hom. 34 in Euangelia.

CAPVT

CAPVT IX.

De malitia dæmonum.

DAEmon quidam, cùm hominẽ à ſe obſeſſum horribiliter torqueret, & diuerſis, per os eius garriendo, diuerſa reſponderet, dictum eſt ei à quodam ex circumſtantibus; Dic diabole, ſi poſſes ad gratiam in qua fuiſti redire, quid velles propter hoc laboris ſuſtinere? reſpondit ille; Si hoc eſſet in meo arbitrio, mallem, cum vna anima decepta deſcendere in infernum, quàm redire in cœlum. Mirantibus omnibus cur ita diceret, iterum hoc verbum reſpondit; Quid de hoc miramini? Tanta eſt malitia mea, vt non poſſim aliquid velle boni. Huic verbo alterius cuiuſdam dęmonis ſermo diſcordat.

CAPVT X.

IN eccleſia beati Petri in Colonia, cùm fœmina quædam à Dæmone obſeſſa miſerabiliter tormentaretur, contigit vt alia obſeſſa ſuperueniret: mox vna contra alteram cœpit inſurgere, clamoribus & contumelijs ſic ſe inuicem afficere, vt omnes miraremur. Dæmon dæmoni dicebat; Miſer, vt quid conſentiendo Lucifero, ſic de gloria æterna ruimus? Ad quod alter reſpondit; Quare feciſti? Cumque adhuc quaſi pœnitudinis verba proferret, alter ſubiunxit; Tace, pœnitentia iſta nimis eſt ſera, redire non poteris. Vides quanta ſit in illis obſtinatio? Idem ſpiritus malignus, de reditu ad gloriam, ſicut ſuperior interrogatus, verbum ſermoni eius valdè contrarium audiente me reſpondit; Si eſſet, inquit, columna ferrea & ignita, raſorijs, & calamis acutiſſimis armata, à terra vſque ad cœlum erecta, vſque ad diem iudicij, etiam ſi carnem haberem, in qua pati poſſem, me per illam trahere vellem, nunc aſcendendo, nunc deſcendẽdo, dum-

do, dummodo redire possem ad gloriam, in qua fui. APOLLONIVS: Quid est, quod tam contraria senserunt? CAESARIVS: Dæmon superior, sciens propositionem sibi factam prorsus impossibilem, malitiam suam ostendit; iste, quantum boni perdiderit, verbis quibus valuit declarauit. APOLLONIVS: Timent ne dæmones pœnam sibi præparata? CAESARIVS: Sentiunt, & timent; hinc est quod omnes exorcismi, qui ad illorum nequitiam eneruandam fiunt, per ignem & extremum iudicium concluduntur. Quàm parati sint ad nocendum hominibus, alijs tibi ostendam exemplis.

CAPVT XI.

Dæmones quàm sint parati nocere hominibus. Marc. 16.

DVM Abbas noster anno præterito in monte sancti Saluatoris iuxta Aquasgrani Missam celebraret, finita Missa oblata est mulier obsessa, super cuius caput cùm legisset lectionem Euangelicam de ascensione, & ad illa verba, Super ægros manus imponent, & bene habebunt, manum capiti eius imposuisset; dæmon vocem emisit tam horribilem, vt omnes terreremur. Adiuratus vt exiret, respondit, Nondum vult altissimus. Interrogatus, quomodo intrasset, nec ipse respondit, nec mulierem respōdere permisit; postea confessa est, ad vocem mariti sui in commotione animi sui dicentis, Vade diabolo, quod intrare illum senserit per auriculā. Erat autem eadem fœmina de Aquēsi prouincia, & satis nota.

Imprecatio malæ effectus.

CAPVT XII.

HOmo quidam iratus, sicut audiui à quodam Abbate, dixit filio suo: Vade diabolo. quem mox diabolus rapuit, & nusquam comparuit. APOLLONIVS: Quid est quod filius punitus est ob peccatum patris, cùm scriptura dicat: Filius non

non portabit iniquitatem patris? CAESARIVS: Eadem, quæ de supradicta muliere dixi, & hic dico; vtrumque fieri permisit Deus propter exemplum, vt dum iracūdi in vexatione vxoris, mariti audierint cruciatus cordis, & in raptu filij, patris dolores, animi sui furorem cohibeant, & à stultiloquio linguas suas conpescant. APOLLONIVS: Placet quod dicis. CAESARIVS: Qui dæmones esse dubitat, energumenos attendat, quia dum per illorum ora diabolus loquitur, & in corporibus tam crudeliter debacchatur, manifestum præsentiæ suę indicium illis demonstrat. APOLLONIVS: Verum diceres, si non esset ibi simulatio. CAESAR. Obsessos fuisse, sæpè prodit Euangelium, produnt & Actus Apostolorum, & in multis locis vitæ vel passiones Sanctorum. Quod aūt quidam propter quæstum se obsessos simulent, non nego; quod verò in quibusdam nulla sit fictio, subiecto probabitur exemplo.

Ezech. 18.
Matth. 8. 9. 12. 17. Acto. 5. 8. 16. 19.

CAPVT XIII.

Verè quosdā à diabolo obsideri.

RETulit mihi Gerardus Præpositus Pleisensis, mulierem obsessam, multis bene notam, Sygeberg venisse gratia curationis: quæ cùm in oratorio sancti Michaëlis Archangeli de diuersis interrogaretur, & incideret mentio de Lucifero apud inferos ligato, respōdit per os eius diabolus; Stulti, quibus catenis putatis magistrum meum ligatum in inferno? ferreis? nequaquam. Tria verba posita sunt in silentio Missæ, quibus ligatus est. Requirentibus quibusdam ex fratribus, quæ sunt illa verba? dicere noluit, vel potius ausa non fuit, sed ait: Afferte mihi librum, & ego vobis ostēdam illa. Allatus est ei liber missalis, & clausus porrectus; quem illa apperiens, primo ictu canonem inuenit, & digitum ponens super illum locum, Per ipsum, & cū ipso, & in ipso, in quibus memoria fit summæ Trinitatis, ait; Ecce ista sunt tria illa verba, quibus

ligatus est magister meus. Hoc audientes ex monachis plures qui aderant, scientes mulierem illiteratam esse, ædificati sunt valdè, vim verborum intelligentes. Per Patrem enim, & cum Filio, & in Spiritu sancto, quorum opera indiuisa sunt, fortis ille ligatus est, & vasa eius direpta.

CAPVT XIIII.

IN festo omnium Sanctorum hoc anno, cùm essem cum Priore meo in insula S. Nicolai, quæ vulgò Stuba vocatur, & est monasterium sancti monialium, vidimus ibi puellam ante aduentum nostrum obsessam, sed tunc tam beneficio reliquarum, quàm sororum orationibus liberatam. De qua retulit nobis eiusdem cœnobij magistra, fœmina religiosa, quod die quadam, cùm crudeliter ab immundo spiritu discerperetur, volens quidam clericus honestus illum probare, saccellum spinarum Dominicæ coronæ de tabula aurea, ea nesciente, tollens, & manu clausa super caput obsessæ tenens, maximos ei clamores excitauit. Cui cùm dicerent circumstantes causam furoris eius ignorantes, quid clamas diabole, quid habes? respondit; Hoc quod fuit in capite altissimi, caput meum deprimit & pungit, & dicitis mihi quid clamas? Et ædificati sunt valdè circumstantes, maximè sorores, duplicis rei habentes verum experimentum, videlicet quod spinæ essent veræ, & quod fœmina veraciter obsessa esset à Dæmone. Quod si minus hæc duo tibi sufficiunt exempla, recordare illorũ trium dæmoniorum in capitulo primo, secundo, atque tertio distinctionis tertiæ.

CAPVT

CAPVT XV.

APOLLONIVS.

ETsi de his mihi satisfactum sit, est tamẽ adhuc quod me mouet. Quidam asserunt, dæmones non esse in hominibus, sed extra, eò quod castrum, non intus, sed extra dicatur obsideri: alij cõtrarium sentiunt, innitentes verbis Saluatoris dicentis; Exi ab eo spiritus immunde. CAESARIVS: Impropriè dicitur exire, nisi quod intus est; vtriq; tamen verum dicunt secundum aliquid, scilicet quod in homine possit esse, & non esse. Non potest esse diabolus in anima humana, secundũ quod Gennadius in distinctione ecclesiasticorum dogmatũ definit, dicens: Dæmones per energicam operationem nõ credimus substantialiter illabi animæ, sed applicatione & oppressione vniri. Illabi autem menti, illi soli possibile est qui creauit, qui natura subsistens incorporeus, capabilis est suæ facturæ. Mentem hominis iuxta substantiam, nihil implere potest nisi creatrix Trinitas. APOLLONIVS: Quid ergo est quod diabolus cor hominis dicitur intrare, tentare, vel immittere? CAESARIVS: Non aliter intrat, vel implet, vel immittit, nisi quod animam decipiendo in affectum malitiæ trahit. Et hęc est differentia inter aduentum Spiritus sancti & spiritus maligni, quod ille propriè dicitur illabi, iste immitti. Spiritus sanctus existens intus in anima peccatrice per essentiam, & potentiam, & sapientiam, quasi de prope illabitur per gratiam. Spiritus verò malignus, cùm extra sit, vt dictum est, per substantiam, mala suggerendo, & vitijs mentẽ afficiendo, quasi sagittam, suam immittit malitiã. Vnde habes: Immissiones per angelos malos. Hinc est quod homo post aduentum Spiritus sancti, plus & fortius potest diligere bonũ, quàm ante dilexit

Dæmones an sint in ipsis obsessis, an extra

Mar. 5. 9.

Lib. de eccle. dogma. c. 83.

Psal. 77.

malum, quasi de remoto immissum. Cùm diabolus dicitur esse in homine, non intelligendum est de anima, sed de corpore, quia in cõcauitatibus eius, & in visceribus vbi stercora continentur, & ipse esse potest. APOLLON. Satis expeditus sum de quæstione hac, sed quæro, si adhuc aliquæ viæ sint aliæ, quibus dæmones hominibus soleant nocere? CAESARIVS: Habent dæmones mille nocendi artes, ex quibus quatuor tibi pandam: quibusdam nocent falsa promittendo, alijs nocent per suos ministros in fide subruendo, nonnullis nocent in corpore eos lædendo, alijs, quod periculosius est, in peccatis occidendo. Ista omnia iusto Dei fiunt iudicio, & de singulis tibi subiungam exempla.

Quibus modis dæmones hominibus nocent.

CAPVT XVI.

Promissione falsa nocet.

IN Campo domo ordinis Cisterciensis, quæsita est in episcopatu Coloniensi, sicut audiui à quodam sacerdote ordinis nostri homine veridico, quem res non latuit, Conuersus quidam fuit, qui à monachis, cùm quibus loquebatur, in tantum litteras didicerat, vt textum legere sciret. Huiusmodi occasione illectus & deceptus, libellos sibi ad hoc idoneos occultè fecit conscribi, cœpitque in vitio proprietatis delectari. Cumq; huiusmodi studium eidem Conuerso, ad hoc nimis conuerso, prohiberetur, amore discendi apostasiam incurrit, modicum tamen propter ætatem profecit. Deinde ad monasterium pænitentia ductus rediens, & hoc vsque tertiò actitans, nunc ad scholas seculares exeundo, nunc reuertendo, diabolo copiosam in se præbuit materiam decipiendi. Visibiliter enim illi apparens in specie angeli, ait: Disce fortiter, quia futurum est, & à Deo diffinitum, vt Halberstadensis fias episcopus. Stultus ille diaboli dolos non obseruans, sperabat in se antiqua renouanda

fore miracula. Quid plura? Die quadam seductor Conuerso se ingerens, clara voce, & hilari facie, dicebat: Hodie episcopus Halberstadensis defunctus est; Festina venire ad ciuitatem, cui à Deo antistes destinatus es: ipsius .n. consiliũ mutari non potest. Statim miser de monasterio silenter exiens, nocte eadem in domo cuiusdam honesti sacerdotis iuxta opidum Xãtense hospitatus est. Vt autem gloriosè ad sedem suam veniret, nocte ante lucem surgens, equum hospitis valde bonum strauit, cappam eiusdem induit, ascendit, & abijt. Mane familia domus, damno cognito, apostatam insequens apprehendit, à qua ad iudicium seculare cum furto tractus, & per sententiam damnatus, non cathedram vt episcopus sed sicut fur patibulum ascendit. Vides ad quem finem promissio diaboli tẽdat? Alium Conuersum, & si non tam manifestè, non minus tamen periculosè decepit.

CAPVT XVII.

Augurio deceptus.

NArrauit nobis anno præterito beatæ memoriæ Theobaldus Abbas Eberbacensis, quod quidam Conuersus, cũ nescio quò tenderet, & auem, quæ cuculus dicitur, à voce nomen habẽs, crebrius cantantem audiret, vices interruptionis enumerauit, & viginti duas inueniens, easque quasi pro omine accipiens, pro annis totidem vices easdem sibi computauit. Eia, inquit, certè viginti duobus annis adhuc viuam, vt quid tanto tempore mortificem me in ordine? Redibo ad seculum, & & seculo deditus, viginti annis fruar delitijs eius, duobus annis, qui supersũt, pænitebo. Haud dubiũ, quin diabolus, qui supradictũ Conuersum, vt episcopus fieret, ad credendũ induxerat aperto sermone, & huic suaserit, vt tali augurio fidẽ adhiberet, & occulta suggestione. Sed Dns, qui auguriũ odit,

Universidad de Deusto Biblioteca

aliter, quàm ille ordinauerat, disposuit: nam duos quos pœnitentiæ deputauerat annos, eum in sæculo viuere permisit, & annos 20. delitijs ordinatos, iusto suo iudicio subtraxit. Ecce tales sunt promissiones diabolicę. Quod autem nonnullos, imò plurimos, per ministros suos in fide subuertat, sequentia declarabunt.

CAPVT XVIII.

Hæretici à diabolo missi, per falsa miracula decipiunt populum.

DVO homines, non mente, sed habitu simplices, non oues, sed lupi rapaces, Bizuntium venerunt, luminam simulantes religiositatē: erant autem pallidi & macilenti, nudis pedibus incedentes, & quotidiè ieiunantes, matutinis solennibus Ecclesiæ maioris, nulla nocte desuerunt, nec aliquid ab aliquo præter victum tenuem receperunt. Cumque tali hypocrisi totius populi in se prouocassent affectum, tunc primùm cœperunt latens virus euomere, & nouas atque inauditas hæreses rudibus prædicare. Vt autem eorum doctrinæ populus crederet, farinam in pauimento cribrari iusserunt, & sine vestigij impressione, super illam ambulauerunt. Similiter super aquas gradiēntes, non poterant mergi; tuguria etiam super se facientes incēdi, postquam in cinerem sunt redacta, egressi sunt illæsi. Post hęc dixerunt turbis: Si non creditis verbis nostris, credite miraculis. Audiens talia Episcopus & clerus, turbati sunt valdè, & cùm eis resistere vellent, hæreticos & deceptores diabolique ministros illos affirmantes, vix euaserunt, vt non à populo lapidarentur. Erat idem episcopus vir bonus & literatus, atque de nostra prouincia natus; bene illum nouit senex monachus noster, qui mihi ista retulit, & qui eodem tempore in eadem ciuitate fuit. Videns episcopus nihil se verbis proficere, & per ministros diaboli sibi

commissum populum in fide subuerti, clericum quendam bene sibi notum, & in necromantia peritissimum ad se vocans ait: Sic & sic per tales actum est in ciuitate mea; rogo te vt inuestiges à diabolo per artem tuam, qui sint, vnde veniant, vel qua virtute tanta ac tam stupenda operentur miracula: impossibile est enim, vt signa faciant virtute diuina, quorum doctrina Deo nimis est contraria. Dicente clerico: Domine diu est quod arti huic renunciauit: respondit episcopus: Bene cernis quantum coarcter, vel oportebit me doctrinæ illorum consentire, vel à populo lapidari: iniungo ergo tibi in remissionem omnium peccatorum tuorum, vt mihi in hac parte acquiescas. Obediens clericus episcopo, diabolum vocauit, causam suæ vocationis scisciitanti respondit: Pœnitet me recessisse à te: & quia de cætero magis obsequiosus tibi esse desidero, quàm fuerim, rogo vt dicas mihi, qui sint homines isti, quæ doctrinæ eorum, vel qua virtute tanta operentur mirabilia. Respondit diabolus: Mei sunt, & à me missi, & quæ in ore illorum posui, illa prædicant. Respondit clericus: Quid est quod lædi non possunt, nec in aquis mergi, neque in igne comburi? Respondit iterum dæmon: Chirographa mea, in quibus homagia, mihi ab eis facta sunt conscripta, sub ascellis suis inter pellem & carnem consuta conseruant, quorum beneficio talia operantur, nec ab aliquo lædi poterunt. Tunc clericus: Quid si ab eis tollerentur? Respondit dæmon; Tunc infirmi essent sicut cæteri homines. Audiens ista clericus, regraciabatur dæmoni dicens; Modò recede, & cùm vocatus fueris à me iterum, venias. Reuersus ad episcopum, hæc ei per ordinē recitauit. Qui magno repletus gaudio, totius ciuitatis populum in locum ad hoc idoneum conuocauit, dicens: Ego pastor vester sum, vos oues, si homi-

nes isti, vt dicitis, doctrinam suam signis confirmant, volo illos vobiscum imitari: Sin autem, dignum est vt illis punitis, vos ad fidem patrum vestrorum mecum pœnitentes reuertamini. Respondit populus: Nos plurima ab eis vidim' signa. Quibus episcopus; Sed ego illa non vidi. Quid multa? placuit populo consilium, vocati sunt hæretici, affuit episcopus, accensus est focus in medio ciuitatis: prius tamẽ quàm intrarent, ad episcopũ secretò vocati sunt. Quibus ipse ait; Volo videre, si aliqua circa vos habeatis maleficia. Quo audito, mox expoliantes se, cum magna securitate dixerunt, quærite diligenter, tã in corporibus, quàm in vestimẽtis nostris. Milites verò, sicut ab episcopo fuerant præmoniti, brachia quoque illorum leuantes, & sub ascellis cicatrices obductas notantes, cultellis illas ruperunt, chartulas insutas inde extrahentes. Quibus acceptis, episcopus cum hæreticis ad populum exiens, facto silentio clamauit validè. Modò prophetæ vestri ingrediantur ignem, & si læsi non fuerint, credam eis. Miseris trepidantibus, & dicentibus, non possumus modò intrare, episcopo recitante, malitia eorum detecta est populo, & ostensa chyrographa. Tunc vniuersi furẽtes, diaboli ministros, cum diabolo in ignibus æternis cruciandos, in ignem præparatum proiecerunt. Sicq; per Dei gratiam, & episcopi industriam, hæresia inualescens ex extincta, & plebs seducta atque corrupta, per pœnitentiam mundata.

CAPVT XIX.

Hæretici Coloniæ exusti.

CIrca illa tempora, sub archiepiscopo Reynaldo, Coloniæ plures sunt hæretici comprehensi, qui à literatis viris examinati & victi, per iudicium seculare damnati sunt. Data sententia cùm ducendi essent ad ignem, vnus illorum Arnoldus nomine, quem cæteri magistrum suum fatebantur, sicut narrauerunt qui interfueruut, panem & peluium cum aqua sibi dari petiuit. Quibusdam volentibus vt hoc fieret, viri prudentes dissuaserunt, dicentes: Aliquid hîc fieri posset opere diabolico, quod infirmis esset in scandalum & in ruinam. APOLLONIVS: Miror quid de pane, & de aqua facere voluerit. CAESARIVS: Sicut conijcio ex verbis cuiusdam alterius hæretici, qui ante hoc triennium à rege Hispaniæ comprehensus est & combustus, sacrilegam ex eis facere volebat communionem, vt suis fieret viaticum ad æternam damnationem. Nam quidam Abbas Hispanus ordinis nostri per nos transiens, qui cum episcopo, & ecclesiarum prælatis, eiusdem hæretici errores damnauit, eum dixisse referebat, quod quilibet in mensa sua, & de pane suo quo vesceretur, conficere posset corpus CHRISTI. Erat autem idem maledictus facer ferrarius. APOLLONIVS: Quid ergo actum est de hæreticis Coloniẽsibus? CAESARIVS: Ducti sunt extra ciuitatem: & iuxta cœmiterium Iudæorum simul in ignem missi. Qui cùm fortiter arderent, multis videntibus & audientibu, Arnoldus semiustis discipulorum capitibus manum imponens, ait: Constantes estote in fide vestra, quia hodie eritis cum Laurentio; cùm tamen nimis discordarent à fide Laurẽtij. Cùm esset inter eos virgo quędã speciosa, sed hęretica, & quorundã compassione ab igne subtracta, promittentiũ, vel quia eã viro traderẽt, vel, si hoc magis placeret, in monasterio virginũ locarent, cũ verbo tenus consensisset, iã extinctis hæreticis, tenentibus se dixit: Dicite mihi, vbi iacet seductor ille? Cumq; ei demõstrassent magistrum Arnoldũ, ex manib. illorũ elapsa, facie veste tecta, super extincti corpus ruit, & cum illo in infernum perpetuò arsura descendit.

CAP.

CAPVT XX.

Vvaldesium-hæresis Metis spargitur.

PAucis annis elapsis, sub episcopo Bertramo, viro valdè literato, orta est hæresis Vvaldosiana in ciuitate Metensi hoc modo: Cùm idē antistes in festiuitate quadam populo in ecclesia prędicasset, duos homines ministros diaboli in turba stare conspiciens, ait: Video inter vos duos nuntios diaboli; ecce illi sunt, digito eos ostēdens, qui me præsente in Monte Pessulano propter hæreses damnati sunt & eiecti. Qui episcopo durius responderunt, habentes in comitatu suo scholarem, qui more canino contra eum latrabat, iniurijs eum lacessens. Egressi verò de ecclesia, multitudinem populi circa se congregātes, errores suos illis prædicauerunt. Quibus cùm quidam ex clericis dicerent; Vos domini, nonne Apostolus dicit: Quomodo prædicabunt nisi mittātur? Volumus scire, quis vos miserit huc prædicare? responderunt illi; Spiritus: non enim poterat illis episcopus vim inferre propter quosdam potentes ciuitatis, qui eos in odium episcopi fouebant, eò quod quendam vsurarium defunctum ipsorū cognatum, de atrio ecclesiæ eiecisset. Reuera missi fuerant à spiritu erroris, per quorum ora hæreses Vvaldosianæ, ab vno eorum sic dictæ, in eadem ciuitate sunt seminatæ, & necdum prorsus extinctæ. APOLLONIVS: Heu quod tot hodie hæreses sunt in ecclesia. CAESARIVS: Hoc furor & malitia diaboli effecit.

Rom. 10.

CAPVT XXI.

De Albigēsibus hæretici tempore Innocentij. III.

TEmporibus Innocentij Papæ prædecessoris huius, qui nunc papatum tenet Honorij, durante adhuc schismate, quod erat inter Philippum & Ottonem reges Romanorum, diaboli inuidia hæreses Albiensiū cœperūt pullulare, vel

vt verius dicam, maturescere. Cuius vires erant tam validæ, vt omne triticum fidei gentis illius, versum videretur in lolium erroris. Missi sunt Abbates nostri ordinjs cum quibusdam Episcopis, qui zizania rastro catholicæ prædicationis eradicarent: sed obsistente homine inimico, qui illa seminauerat, modicum ibi profecerunt. APOLLONIVS: Quis fuit error illorum? CAESARIVS: Quædam hæresiarchæ eorum collegerant puncta ex dogmate Manichæi, quædam ex erroribus, quę in Periarchon scripsisse fertur Origenes, plurima etiam; quæ de suo corde finxerant adijcientes. Duo credunt cum Manichæo principia, Deum bonum & Deum malum, id est, diabolum, quem dicunt omnia creare corporā, sicut Deum bonum omnes animas. APOLLONIVS: Moyses & corpora & animas confirmat Deum creasse dicens: Formauit Deus hominem, id est, corpus, de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, id est, animam CAESARIVS: Si Moysem & prophetas reciperent, hæretici non essent. Corporū resurrectionem negāt; quicquid beneficij mortuis à viuis impenditur irrident; ire ad ecclesias, vel in eis orare, nihil dicunt prodesse. In his deteriores sunt Iudięs & paganis, quia illa credunt. Baptismum abiecerunt: sacramentum corporis & sanguinis Christi blasphemant. APOLLONIVS: Vt quid tantas à fidelibus persecutiones sustinent, si nihil ex hoc in futuro retributionis expectant? CAESARIVS: Gloriam spiritus dicunt se expectare. Quidam supradictorum Abbatum monachus, cernens quendam militem in equo sedentem, loqui cum aratore suo, hæreticum illum æstimans, sicut fuit, propius accedens ait; Dicite mihi probe vir, cuius est ager iste? Respondente illo, meus est, subiecit: Et quid de fructu illius facitis? Ego, inquit, & familia

Genes. 2.

milia mea de eo viuimus, aliquid etiam erogo pauperibus. Dicente monacho, quid boni ſperatis de eleëmoſyna illa? reſpondit miles hoc verbum; Vt ſpiritus meus glorioſè pergat poſt mortem. Tunc monachus: Quò perget? Ait miles, Secundum meritum ſuum: ſi bene vixit, & hoc apud Deum meruit, exiens de corpore meo, intrabit corp° alicuius futuri principis, ſiue regis, ſiue alterius cuiuſlibet illuſtris perſonæ, in quò delicietur; Si autem malè, corpus intrabit miſeri pauperisque, in quo tribuletur. Credidit ſtultus, ſicut & cæteri Albienſes, quod anima ſecundum meritum per diuerſa tranſeat corpora, etiam animalium, atque ſerpentium. APOLLONIVS: Fœda hæreſis. CAESARIVS: In tantum Albienſium error inualuit, vt breui interuallo temporis, infecerit vſque ad mille ciuitates, &, ſi non fuiſſet gladijs fidelium repreſſus, puto q̃ totam Europam corrupiſſet. Anno Domini milleſimo ducenteſimo decimo prædicata eſt contra Albienſes in tota Alemania & Francia crux, & aſcenderunt contra eos anno ſequenti de Alemania Lupoldus Dux Auſtriæ, Adolphus comes de Monte, Vvilhelmus comes Iuliacenſis, & alij multi diuerſæ conditionis atque dignitatis. Simile actum eſt in Francia, Normania, atq; Pictauia. Horum omnium prædicator & caput erat Arnoldus Abbas Ciſtercienſis, poſtea archiepiſcopus Narbonenſis. Veniens ad ciuitatem magnam, quæ Biders vocatur, in qua plus quam centum milia hominum fuiſſe dicebantur, obſederunt illam. In quorum aſpectu hæretici ſuper volumen ſacri euangelij mingẽtes, de muro illud contra Chriſtianos proiecerunt, & ſagittis poſt illud miſſis clamauerũt: Ecce lex veſtra miſeri. Chriſtus verò euangelij ſator, iniuriam ſibi illatam non reliquit inultam. Nam quidam ſatellites zelo fidei accenſi, leonibus ſimiles, exemplo illorum,

rum, de quibus legitur in libro Machabęorum, ſcalis appoſitis, muros intrepidè aſcenderunt; hæreticisque diuinitus territis & declinantibus, ſequentibus portas aperientes, ciuitatem obtinuerunt. Cognoſcentes ex confeſſionibus illorum catholicos cum hæreticis eſſe permixtos, dixerunt Abbati: Quid faciemus domine? Non poſſumus diſcernere inter bonos viros & malos. Timens tam Abbas, quàm reliqui, ne tantum timore mortis ſe catholicos ſimularent, & poſt illorum abſceſſum iterum ad perfidiam redirent, fertur dixiſſe: Cedite eos; nouit enim Dominus, qui ſunt eius. Sicque innumerabiles occiſi ſunt in ciuitate illa. Aliam itidem ciuitatem magnam, à re pulchram vallem vocatam, quæ ſita eſt iuxta Toloſam, virtute diuina obtinuerunt: in qua populo examinato, cùm omnes promitterent ſe velle redire ad fidem, quadringenti quinquaginta in ſua pertinacia indurati à diabolo permanſerunt; ex quibus quadringenti combuſti ſunt in igne, cæteri patibulis appenſi. Idem actum eſt in cæteris ciuitatibus, atque caſtellis, miſeris ſe vltro morti ingerentibus. Toloſani verò arctati, omnem promiſerunt ſatisfactionem; ſed vt poſtea patuit, in dolo. Nam perfidus Comes Sancti Egidij, princeps & caput omnium hæreticorum, omnibus ſibi in conſilio Lateranenſi abiudicatis, feudis videlicet, & allodijs, ciuitatibus, & caſtris, & ex maxima parte eiſdem à Comite Simone de Forti monte, viro catholico, iure belli occupatis, in Toloſam ſe tranſtulit, de qua vſque hodie fideles vexare & impugnare non ceſſat. Et ſicut hoc anno Dominus Conradus epiſcop° Portuẽſis & Cardinalis, cõtra Albiẽſes miſſus legatus, ſcripſit capitulo Ciſtercienſi, quidam ex potẽtibus Toloſanæ ciuitatis, quiddam tam horrendũ, in o-

1. Mach. 2. & 6.

2. Tim. 2.

Ecce hic Calvinistarum & aliorum nostri tẽporis hæreticorum Antesignanus.

in odium Christi, & ad confusionem nostræ fidei egit, vt etiam ipsos Christi inimicos mouere meritò debeat. Iuxta altare maioris ecclesiæ, ventrem suum purgauit, & palla altaris ipsas immunditias detersit. Cæteri verò furori furorem adijcientes, scortum super sacrum altare posuerunt, in aspectu crucifixi eo ibi abeuntes. Postea ipsam sacram imaginem detrahentes, brachia ei præsciderunt: multo militibus Herodis deteriores, qui mortuo, ne eius crura frangerent, pepercerunt. APOLLONIVS: Quis non stupeat ad tantam patientiam Dei? CAESARIVS: Altissimus enim est patiens: redditor, qui Damiaranos post victoriam, eò quod crucifixi collo fune alligato per plateas illum traxerint, in collo, in gutture tam mirabiliter puniuit, puto quia has blasphemias minimè dissimulabit. Albienses, antequam veniret contra eos exercitus Domini, vt supra dictum est, Miralimomelinum regem de Marroch in auxilium sibi inuitauerant, qui de Africa in Hispanias cum tam incredibili multitudine venit, vt totam Europã se obtinere posse speraret. Mandauit etiam Innocentio Papæ, quia equos suos in porticu ecclesiæ beati Petri vellet stabulare, & super illam vexillum suum figere: quod ex parte impletum est, etsi secus quam ipse cogitasset. Et quia Deus frangit omne superbum, eodem tempore, scilicet anno gratiæ millesimo ducentesimo duodecimo, decimoseptimo kal. Augusti, de exercitu eius sexaginta milia pugnatorum ceciderunt, ipse verò se in Siciliã transferens, ex dolore mortuus est. Cuius vexillũ principale in bello captum, Innocentio est transmissum, & in ecclesia prædicta, ad Christi gloriam erectum. Hæc de Albiensibus dicta sint. APOLLONIVS: Si fuissent inter homines istos viri literati, fortè non tantum errassent. CAESARIVS:

Eccli. 5.

Literati cùm errare incipiunt, etiam illiteratis, instinctu diabolico, plus & grauius desipiunt.

CAPVT XXII.

EOdem tempore, quo manifestatæ sunt hæreses Albiensium in Parisiensi ciuitate, in qua fons est totius scientiæ, & puteus diuinarum scripturarum, quibusdam viris literatis persuasio diabolica peruersum instillauit intellectum, quorum nomina sunt hæc; magister Vvilhelmus Pictauiensis Subdiaconus, qui legerat Parisijs de artibus, & tribus annis studuerat in Theologia; Bernardus Subdiaconus, Vvilhelmus Aurifex propheta eorum, Stephanus Sacerdos de veteri Curbuelo, Stephanus de Cella, Ioannes sacerdos de Vncinis; isti omnes in Theologia studuerant, excepto Bernardo; Dudo specialis clericus magistri Emelrici sacerdotis, qui fere decem annis in Theologia studuerat; Elmangus acolytus, & Odo Diaconus, magister Garinus qui conuentauerat Parisijs de artibus; & hic sacerdos audierat Theologiam à magistro Stephano Archiepiscopo Cantuariense, Vlricus sacerdos de * Lucri, qui sexagenarius studuerat in theologia tempore multo; Petrus de sancto Clodoualdo sacerdos & sexagenarius, qui etiam audierat Theologiam; Stephanus Diaconus de veteri Curbuelo. Isti instinctu diaboli hæreses multas & maximas excogitauarant, & iam in plurimis locis disseminauerat. APOLLONIVS: Quæ fuerunt capitula, in quibus viri scientia & tam magni, errare potuerunt? CAESARIVS: Dicebant nõ aliter esse corpus Christi in pane altaris, quàm in alio pane, & in qualibet re; sicque Deum locutum fuisse in Ouidio, sicut in Augustino: negabant resurrectionem corporum, dicentes nihil esse paradisum,

al. Lucri.

Vide lector lacunas, ex quibus nostri temporis hæretici suas hauserunt hæreses.

radisum, neque infernum, sed qui haberet cognitionem Dei in se, quàm ipsi habebant, haberet in se paradisum: qui verò mortale peccatum, haberet infernum in se sicut dentem putridum in ore. Altaria Sanctis statui, & sacras imagines thurificari, idolatriam esse dicebant; eos qui ossa martyrum deosculabantur subsannabant. Maximam etiam blasphemiam ausi sunt dicere in Spiritum sanctũ, à quo omnis munditia est & sanctitas: Si aliquis est in Spiritu sancto, aiebant, & faciat fornicationem, aut aliqua alia pollutione polluatur, nõ est ei peccatum, quia ille Spiritus, qui est Deus, omninò separatus à carne, nõ potest peccare, & homo qui nihil est, non potest peccare, quã diu ille spiritus, qui
1. Cor. 12. est Deus, est in eo. Ille operatur omnia in omnibus. Vnde cõcedebant, quod vnusquisq; eorũ esset Christus & Spiritus sanctus. Impletũq; est in eis q̃ dici-
Matth. 24. tur in euangelio: Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & cætera. Habebant etiam miserrimi illi argumenta sua nullius prorsus valoris, quibus suos errores confirmare nitebantur. Quorum perfidia hoc ordine detecta est. Prædictus Vvilhelmus Aurifaber venit ad magistrum Rodulphum de
al. Naumutico. Namuntico, dicens se esse missum à Domino, & hos infidelitatis articulos ei proposuit: Pater sub quibusdam formis operatus est in veteri testamento, scilicet legalibus; & Filius similiter sub quibusdam formis, vt in sacramento altaris, & baptismi, & alijs. Sicut ceciderunt formæ legales in primo Christi aduentu, ita nunc cadent omnes formæ, quibus Filius operatus est, & cessabunt sacramenta, quia persona Spiritus sancti clarè manifestabit se in quibus incarnabitur, & principaliter per septem viros loquetur, quorum vnus ipse Vvilhelmus erat. Ipse prophetabat, quod infra quinque annos istæ quatuor plagæ euenire deberent: prima super popu-

populum, qui fame consumetur; secunda erit gladius, quo se principes interficient; tertia in qua terra aperietur, & deglutiet Burgenses; in quarta descendet ignis super prælatos ecclesiæ, qui sunt mẽbra Antichristi. Dicebat enim quia Papa esset Antichristus, & Roma Babylon. Et ipse sedet in monte Oliueti, id est, in pinguedine potestatis. Iam tredecim elapsi sunt anni, & nihil horum cõtigit, quæ pseudo ille propheta futura infra quinquennium prædixerat. Et vt fauorem sibi captaret Philippi regis Franciæ, etiam hoc adiecit; Regi Francorum subijcerentur omnia regna, & filio eius, qui erit in tempore Spiritus sancti, & non morietur, & dabũtur duodecim panes regi Francorum, id est, scientia scripturarum & potestas. His auditis, magister Rudolphus interrogauit, si aliquos haberet socios, quibus ista fuissent reuelata. qui cũ respõdisset; Habeo multos, supradictos viros nominãs, perpẽdẽs vir prudens imminens periculũ ecclesiæ se solum ad inuestigandũ eorũ nequitiã, eosq; conuincẽdos nõ posse sufficere, ex quadam simulatione dicebat; sibi esse reuelatũ à Spiritu sancto de quodã sacerdote, qui cũ eo prędicare deberet sectam eorum. Et vt famam suam seruaret illæsam, nunciauit hæc omnia Abbati sancti Victoris, & magistro Ruperto; & fratri Thomæ, cum quibus adijt episcopum Parisiensem, & tres magistros legẽtes de Theologia; videlicet Decanum Saleburgiciem, & magistrum Rupertum de Koren, & magistrum Stephanũ, omnia hæc eis insinuantes. Qui territi valdè, iniunxerunt prædicto Rudolpho in remissionem peccatorum suorum, & alteri sacerdoti, vt se fingerent esse de illorum consortio, donec scientias omnium audiuissent, & plenius omnes articulos incredulitatis eorũ explorassent. Magister verò Rudolphus & sacerdos socius eius; in executione huius la-

boris cum ipsis hæreticis circuierunt episcopatum Parisiensem, Lingonensem, Trecensem, & Archiepiscopatum Senonensem in tribus mensibus, & quam plurimos de eorum secta inuenerunt. Vt itaque ipsi hęretici plenè de ipso magistro Rudolpho considerent, quandoque vultu eleuato se spiritu in cælum raptum simulabat, & postea aliqua se vidisse dicebat, quæ in conuenticulis eorum narrabat, & publicè eodem fidem de die in diem se prædicaturum spopondit. Tandem reuersi ad episcopum, visa & audita enarrauerunt, quo audito, episcopus prædictus per prouinciam pro eis misit, eò quod non essent in ciuitate, excepto vno Bernardo. Qui cùm essent in custodia episcopi, congregati sunt ad eorum examinationem vicini episcopi & magistri Theologi, proposita sunt eis supradicta capitula, quæ quidam ex eis in pręsentia omnium attestabantur, quidam verò, cùm resilire vellent, & se cõuinci viderent, cum cæteris stabant in eadem pertinacia, nec negabant. Tanta audita peruersitate, consilio episcoporum & Theologorum ducti sunt in campum, & coram vniuerso clero & populo degradati, & in aduentu regis, qui tunc præsens non erat, exusti. Qui mẽte obstinata, nullum ad interrogata dabant responsum, in quibus in ipso mortis articulo nullum perpẽdi poterat pœnitentiæ indicium. Cum ducerentur ad tormenta, tanta exorta est aeris inclemẽtia, vt nemo dubitaret, quin ab eis aer fuisset concitatus, à quibus tantus error morientibus fuerat persuasus. In ipsa nocte is, qui inter eos potior habebatur, ad ostium cuiusdam inclusæ pulsans, ferò suum errorem confessus est, asserens se magnum hospitem esse in inferno, & ęternis incendijs deputatum. Quatuor ex eis fuerant examinati, sed non sunt combusti, videlicet magister Garinus, Vlricus sacerdos, Stephanus diaconus,

nus, qui perpetuò reclusi sunt carcere. Petrus verò antequã caperetur, præ timore monachus effectus est. magister Almenicus, qui prædictæ prauitatis magister erat, eiectus est de cœmiterio, & in campo sepultus. Eodem tempore præceptum est Parisijs, ne quis infra triennium legeret libros naturales. Libri magistri Dauid, & libri gallici de theologia, perpetuò damnati sunt & exusti. Sicque per Dei gratiam hæresis exorta excisa est.

CAPVT XXIII.

VIX sunt duo anni elapsi, quod quidam diabolo plenus apud Precas se esse Spiritum sanctum publicè prædicabat, cuius insaniam populi non sufferentes, in crate posuerunt, & copioso igne circumposito in carbonem redegerunt.

APOLLONIVS: Puto vitam illorum multum execrabilem esse, quorum tam fœda est doctrina.

CAESARIVS: Vt amplius detesteris hæreticorum sectas, vnum tibi de illorum vita subiungam exemplum.

CAPVT XXIIII.

Hæreticorũ vita fœda est

TEmpore Frederici Imperatoris, cùm Lucius papa fecisset Veronæ ciuitate Lombardiæ moram, multis tam ecclesiarum prælatis, quàm regni principibus ibidem congregatis, & esset ibi Godescalcus monachus noster tunc maioris ecclesiæ in Colonia canonicus, cum fratre suo Euerhardo canonico Sancti Gereonis, hospes illorum, penè singulis noctibus cum vxore & filia de domo propria egressus est. Quod cùm considerasset Euerhardus, interrogauit nescio quem illorũ, quò irent, vel quid agerent? Cui cùm responsum esset, veni & vide, secutus est illos in domum quandam subterraneam amplã satis, in quam multis ex

vtroque sexu congregatis, quidam hæresiarcha sermonem blasphemijs plenum cunctis tacentibus fecit, per quem vitam & mores illorum instituit. Deinde extincta candela, vnusquisque sibi proximam inuasit, nullam habentes differentiam inter legitimam & solutam, inter viduam & virginem, inter dominam & ancillam, &, quod horribilius est, inter sororem & filiam. Euerhardus verò hæc videns, vtpote iuuenis luxuriosus atque vanus, simulans se discipulum, hospitis sui filiæ, vel alteri cuilibet puellæ in sermone se coniunxit, cum qua extincta candela peccauit. Cumque hæc actitasset penè annum dimidium, magister cunctis audientibus ait; Iuuenis iste tam studiosè frequentat auditorium nostrum, citò habilis erit ad docendum alios. Hoc verbo audito, non amplius intrauit. Et, sicut mihi predictus Godescalcus, cùm illum de hoc argueret, respondit; Sciatis frater me non frequentare conuenticula hæreticorum propter hæreses, sed propter puellas. Ecce talis est vita & lex hæreticorum. Nec mirum, quia non credunt resurrectionem vel gehennam, siue pœnam malorum: impunè enim transire putant, quæcunque agunt. APOLLONIVS: Audiui quod multi hæretici sint in Longobardia. CAESARIVS: Hoc mirum non est, habent enim suos magistros in diuersis ciuitatibus apertè legentes, & sacram paginam peruersè exponentes.

CAPVT XXV.

EO tempore quo Otto rex profectus est Romã coronari in Imperatorẽ, & issent cum eo Ioannes episcopus Cameracensis, Henicus Scholasticus Sancti Gereonis, magister Hermannus canonicus Bonnensis, simul ingressi sunt cuiusdam hæsiarchæ scholas. Locum quem tunc legebat is erat;

Iam

Iam iudicium mundi venit: iam princeps mundi huius eijcietur foras. Quem locum ita glossauit: Ecce Christus diabolum principem huius mundi vocauit, quia hunc mundum creauit. Cũ quo prædictus Hermannus satis durè disputauit, &, sicut mihi retulit, quod Deus creasset omnia visibilia & inuisibilia, corporalia & spiritualia, non solùm ex scripturis, sed ex oratione monstrauit. Hæc dicta sint de hæreticis, qui membra sunt diaboli; hoc enim noueris, quod multò intentius suam diabolus malitiam exerceat in hæreticis, quàm in energumenis. APOLLONIVS: Possunt energumeni, id est, obsessi à diabolo, habere charitatem? CAESARIVS: Etiam, sicut superius dictum est, non in animabus, sed in corporibus est.

CAPVT XXVI.

MVlier quædam in Briseke satis crudeliter hoc anno vexabatur. Hanc diabolus cùm esset quinquennis hoc ordine intrauit. Die quadam cùm lac manducaret, pater eius iratus dixit; Diabolum comedas in ventrem tuum. Mox puellula sensit eius ingressum, & vsq; ad maturã ætatem ab illo vexata est. Hoc anno primùm meritis Apostolorum Petri & Pauli, quorum limina visitauit, liberata est; quis dicere audeat, quinque annorum infantulam baptizatam non habere charitatem? De qua idem dæmon dicebat: Me egresso nunquam aliud post hanc vitam sentiet purgatorium. Obsessi peccata sua confitentur, orant, & cõmunicant. Quod diabolus quosdam Dei permissione in corporibus suis lædat, quibusdam tibi ostẽdam exemplis.

Per imprecationem iratã parentis, filia obsidetur à diabolo.

CAPVT XXVII.

THeodoricus Susatiensis Conuersus noster, sicut ab eius ore audiui, cũ esset iuuenis, puellam

Diabolum inuocans, ab eo lem rapiãtur.

lam quandam in ciuitate Lubec alter quidam iuuenis ei procabatur, secundum quod illi promiserat, fęmina consentiente, cùm Theodoricus se eius concubitu vti sperasset, socius ei illudens, accessit illam. Quo cognito, iratus dixit; Diabolus qui me huc adduxit, poterit me etiam hinc reducere. Mox inuitatus affuit, hominem rapuit, & in aera lauauit, & vltra ciuitatem transferens, iuxta ripam cuiusdam lacus incommodè satis deposuit. Ad quem sic ait; Si non quocunque modo te signasses, modò occidissem te: tenuiter enim, & imperfectè in ipso raptu signum sibi crucis impresserat. Dimissus à dęmone, tam grauiter cecidit, vt in terra sine sensu iacens sanguinem vomeret. Tandem aliquãtulum virium resumens, manibus pedibusq; reptando, ad aquam venit, faciem lauit, atque ex ea bibens, cum multo labore ad hospitium suũ peruenit. Ingressus domum, mox vt lumen aspexit, secundò in terram ruit, vocatus est sacerdos, qui initium euangelij sancti Ioannis super eum legit, alijsq; orationibus contra impetus diaboli illum muniuit. Postea per annum integrum, ita corpus eius totum erat tremulum, vt scyphum manu tenere non posset ad bibendum. Ecclesiam sancti Nicolai, omniaq; ciuitatis ædificia, luna splendente, cùm à diabolo portaretur, & portando comprimeretur, se vidisse testatur. Simile penè habes supra distinct. iij. cap. xj. de Henrico ciue Susatiense, quem diabolus noctu in foro rapuit, & vltra monasterium sancti Patrocli translatum in pasculo deposuit. Tam mala, & tam venenata est dæmonum natura, vt solo illorũ intuitu sæpe homines corrumpantur.

CAPVT XXVIII.

Dæmonis solo aspectu lædi homines.

ALbero Cõuersus noster cum nouitius esset, & nocte quadã cũ alio Cõuerso propter timores noctur-

nocturnos in curia vigilaret, ante signa matutinalia ambitum claustri circumiens, quasi vmbram humanam eminus iuxta lauatorium conspexit: æstimans quia frater Fredericus esset monachus noster, accessit propius, volẽs ei innuere, vt iret dormitum, &, quia nouerat eum non esse sanæ mentis, pedem retraxit, ab illo lædi timens, Dum sic staret, vmbra in oculos eius vsque ad tabulatum domus creuit. Mox signis sonantibus in dormitorio, pistrinum intrauit, & quia clibanus coquendis panibus præparatns erat, mox vt ignem, quem quasi per parietem vitreum intueri visus est, aspexit, infirmari cœpit. Statim exiens, & sub arbore se reclinans, penè octo diebus ab illa hora in tanta defectione fuit cordis & corporis, vt non posset manducare, neque bibere, neque dormire. APOLLONIVS: Vellem ratione scire, quare homo viso dæmone, mox igne conspecto extasim incurrat. CAESARIVS: Ignis lucis minister est, diabolus verò princeps & auctor tenebrarum; Lux & tenebræ sibi inuicem contraria sunt, sicut frigus & calor. Si egressus fueris de tenebris in radium solis, vel econuerso, ex repentina mutatione visus tuus turbatur & deficit. Item, si manum nimis frigidam igni adhibueris, siue de igne extractam aquæ gelidæ immerseris, contrarium elementum amplius te cruciabit. Quid ergo mirum, si ex visione diaboli, qui, vt dixi, auctor est tenebrarum & ignis æterni, hominis natura turbatur & terretur, contrahitur & deficit, cùm ignem huius mũdi viderit, qui omnino contrarius est igni gehennæ? Ille tenebrosus, iste luminosus, multum ab eo discordat tã in sensu, quàm in effectu. Viri tamen perfecti, vt supra dictum est, sæpè dæmones sine terrore, & sine sensus defectione vident. APOLLONIVS: Si visio diaboli tam periculosa, & tam nociua est in forma

ſubiecta, quis illum videre poſſet in ſua natura? CAESARIVS: Oculus corporalis diabolum vt eſt, videre non poteſt. APOLLONIVS: Quare? CAESARIVS: Quia diabolus ſpiritus eſt, & ſpiritum, vt eſt, opinio penè omnium magiſtrorum, non niſi ſpiritus videre valet. Vident eum animæ reproborum in inferno; & ſicut ſumma beatitudo electorum eſt videre Deum, ita maxima dicitur eſſe pœna malis cernere diabolum. Vis audire quorũdam periculum, illum in ſua ſubſtantia videre volentium? APOLLONIVS: Volo & deſidero, quia quanto plus horroris & malitiæ de illo audiero, tanto amplius peccare pertimeſco. CAESARIVS: Audi ergo.

CAPVT XXIX.

Periculum illorum, qui deſiderant diabolum videre.

ANte hos annos duodecim, VVilhelmus Abbas de ſancta Agata, diœceſis Leodienſis, quę eſt domus ordinis Ciſtercienſis, dum tempore quodam iturus eſſe Eberbachum, ad quã pertinet domus illa, veniſſetque Coloniam, dixit monacho ſuo atque Conuerſo, Adolpho nomine; Op' eſt miſericordiæ, vt videam obſeſſam illam, germanam ſcilicet talis Cõuerſi noſtri de Eberbacho vt per nos eius ille ſtatum cognoſcat. Quod cùm illis placuiſſet, & domum, in qua illa cum multis, & inter multos ſedens, erat, intraſſent, cùm Abbas, neſcio vnde eam intrrogaret, & illa nihil omninò reſponderet, ſubiunxit; Vis aliquid mandare fratri tuo? Illa obmuteſcente, adiecit Abbas; Adiuro te per eum quem hodie in Miſſa tractaui, vt reſpondeas mihi. Mox diabolo obediente, & per os fœminæ ad interrogata reſpondente, rogatus eſt Abbas, tam à Conuerſo, quàm à monacho, vt illam ſuper ſolarium duceret, quatenus priuato eius vti poſſent colloquio. Quod cum factum eſſet, & de diuer-

diuerſis ab Abbate diabolus interrogaretur, & reſpondendo nimis mentiretur, ait; Adiuro te per altiſſimum, vt non niſi vera mihi reſpondeas. Quod cùm promiſiſſet, iuſſit monachum atque Conuerſum paululum ſecedere. Quem cùm interrogaſſet de ſtatu quarundam animarum, fratrum videlicet, tam apud Eberbachum, quàm apud ſanctam Agatam nuper defunctorum, ita probabiliter de ſingulis, quas tamen fœmina nunquam viderat, diſſeruit, vt Abbas de veritate nihil ambigeret. Dicebat, tales & tales eſſe in gloria, alios adhuc in pœnis retineri, pro quibus Abbas orationes inſtituit ſpeciales. Inſtruxit eum & de alijs multis, ita vt vehementer miraretur. Poſtea rogatus à Conuerſo, vt ſibi ſoli cum ſolo loqui liceret, in hoc Abbate annuente, & cum monacho paululum ſecedente, ait Conuerſus; Sicut præcepit tibi Abbas meus, videlicet vt ei non niſi vera ad interrogata reſponderes, ita te moneo, vt ſi aliquid noſti de me, vel in me, quod nociuum ſit animæ meæ, dicas mihi in inſtanti hora. Reſpondit diabolus; Noui: Heri Abbate tuo ignorante, duodecim denarios apud Traiectum accommodaſti à tali fœmina, & in tali loco, miſiſtique illos panniculo inligatos in ſinum tuum ſatis profundè. Quod quidem verum fuerat. Nam idem Conuerſus, ſicut retulit, iſta cogitauit; Si Abbas tuus aliquò te fortè miſerit, ſolidum iſtum ad expenſas habebis. Qui ait; Noſti aliquid amplius? Dicente diabolo; Noui te furem eſſe. Conuerſus reſpondit; Ex quo ad ordinem veni, nullius mihi furti conſcius ſum. Tunc ille; Ego tibi furtum tuum oſtendam. Quando cara illa fuerunt tempora, annonam, & quædam alia, quæ monaſterij tui fuerunt, & non tua, pauperibus erogabas. Reſpondente Conuerſo, non putaui huiuſmodi miſericordiæ opera peccatum eſſe

Pro mutuo accepiſti.

Universidad de Deusto Biblioteca

esse. Ait dæmon; Sũt per meam veritatem, quia sine licentia facta, nec aliquando inde susurrasti, susurrium confessionem appellans. Mox Conuersus ad Abbatem descendit, in locum secretum illum traxit, & quæ sibi fuerant à diabolo obiecta, per humilem confessionem aperiens, condignam pœnitentiam suscepit. Tunc ad obsessam rediens, & si adhuc aliquod in se sciret peccatum obsidentem interrogans, audire meruit; Per iudicium meum nihil modò de te noui, quia mox vt genua tua ad susurrium inclinasti, omnia mihi prius scita subtraxisti. APOLLONIVS: In hoc facto satis ostensa sunt, tam præsentia dæmonis, quàm virtus confessionis. CAESARIVS: Satis de talibus in distinctione confessionis dictum est. Post hæc dæmon adiuratus ab Abbate vt exiret, respondit; Quò ibo? Dicente Abbate, Ecce os meum aperio, si potes, ingredere. Ait; Non possum intrare, quia altissimus hodie intrauit. Tunc Abbas; Ascẽde super hos duos digitos, pollicem & indicem ei offerens; Non valeo, inquit, quia altissimum hodie tractasti. Dixerat enim Abbas Missam de mane. Insistente eo vt exiret; Respondit; Nondum vult altissimus; adhuc duobus annis ero in ea. & post hoc in via illius Iacobi liberabitur, quod ita factum est. Deinde rogatus est Abbas tam à monacho, quàm à Conuerso, vt diabolo præciperet, quatenus se eis in sua forma naturali ostenderet. Respondente Abbate, non hoc mihi bonũ videtur, sufficiat vobis quod hucusque ei præcepimus. Illis obstinatius vt fieret insistentibus, tandem victus ait, Præcipio tibi in virtute Christi, vt in tua naturali specie nobis appareas. Respondente illo; Non vultis carere nisi me videatis; & abbate dicente; Non, cœpit mulier in oculis eorum turgescere, & ad instar turris ascendere, ita vt oculi eius scintillarent, atque ad similitudinem fornacis fumigarent. Quibus visis, territus ruit in extasim monachus, factus est extra sensum Conuersus, & nisi Abbas, qui eis constantior erat, diabolo vt pristinam formam resumeret, ocius præcepisset, similem mentis defectum incurrisset. Si his verbis meis minus credis, interroga illos, adhuc, vt opinor, viuunt, viri religiosi sunt, non tibi dicent nisi meram veritatem. Diabolus verò præcipienti obediens, & ad priorem speciẽ vultum fœminæ reducens, ait Abbati; Nunquam tam stultum præceptum iussisti, pro certo scias, quia si hodie diuinis non communicasses mysterijs, nullus vestrum vlli hominum quæ hodie vobiscum gessissem, diceret. Putas quod possit me homo videre & viuere? Nequaquam Homines qui erant inferius expectantes, strepitum superius audientes, ascenderunt, & Conuersum cum monacho semimortuos reperientes, aqua refocillauerunt, & inter manus illos deportauerunt. Tũc diabolus dixit Abbati: Quò iturus es modò? Respondente Abbate, Eberbachum. Subiunxit ille; Ego etiam in Sueuerbacho fui, & satis ibi trufaui, ironicè nomini alludens. Erat enim post illa tempora, quo Conuersi, se ordini opposuerant. Tam horrendus, & tam venenatus est dæmonum aspectus, vt non solũm sanos infirmet, sed nonnunquam etiam interficiat.

CAPVT XXX.

Diabolum interdum etiam interficere homines.

DVO iuuenes seculares nondum milites, ex quibus vnus erat dapifer Abbatis Prumiæ, qui mihi hæc, quæ dicturus sum, retulit: in quadam vigilia sancti Ioannis Baptistæ, post solis occasum circa riuulum, qui monasterium prætefluit, in dextrarijs suis spaciabantur. Videntes ex altera parte riuuli quasi speciem mulieris in veste linea,

Universidad de Deusto Biblioteca

linea, putãtes quia maleficia exerceret, vt quibusdam mos est in nocte illa, vt caperent eam, aquam transierunt. Quæ cum veste leuata fugere videretur, illi in equis velocissimis insequentes, cùm fugientem quam quasi vmbram ante se videbant cõprehendere non valerent, deficientibus equis vn' dixit: Quid agimus? Diabolus est enim, & signantes se, monstrum vltra non videbatur. Ab illa hora, tã homines, quam iumenta multo tempore languerunt, vix mortem euadens. APOLLONIVS: Non ista miror de diabolo, cùm legam basiliscum solo visu homines, & aues & iumenta interficere. CAESARIVS: Hoc ipsum agit diabolus in Psalmo per basiliscum designatus, sicut tibi subiectis ostendam exemplis.

Psalm. 90.

CAPVT XXXI.

IN Kunincskirchin, sicut sacerdos eiusdẽ villæ retulit Lamberto monacho nostro, matrona quædam honesta, dum nocte quadam cum alia quadam fœmina, nescio vnde, veniens, per villam eandem transiret, diabolus cuiusdam serui admodum iocosi formam assumens, manum eius tenuit, & modicum strinxit. Cui cùm diceret, dimitte me, mox illum non vidit: quæ statim malè habere cœpit, fœminæ sequenti die dicens; Seruus ille compressit me, & ecce ex hoc defectio cordis inuasit me. Dicente illa; Nequaquam hic fuit. Respondit matrona; Imò certissimè, satis enim proteruè respexit me, vadensque in domum suam lecto decubuit, & post paucos dies defuncta est.

CAPVT XXXII.

MVlier cuidam iuxta castrum Are commanenti hoc anno simile contigit. Hæc cùm maritũ haberet ebriosum, nulla p̃sumebat nocte

nocte ire dormitum, donec ille à taberna rediret. Quæ dum vna noctium, pasta ad coquendos panes præparata, ante fores domus suæ sederet, viri præstolans aduentum, duos in albis vestibus ad se venire vidit, In cuius amplexus, dũ vnus illorũ rueret, eamque brachijs stringeret, illa clamante, ambo disparuerunt, quæ in domum fugiens, mox vt lumen vidit, amens facta ruit, filiamque propriam in clamorem conuertit. Post paucos dies defuncta est. Ecce, quo Dei iudicio talia fiant prorsus ignoro. APOLLONIVS: Horrenda sunt hæc. CAESARIVS: Audi aliud, quod satis terrere nos poterit, qui dicimur viri religiosi.

CAPVT XXXIII.

TEmpore quodam æstiuo, Conuersis ordinis nostri in dormitorio suo meridie quiescentibus, diabolus in specie monialis nigri ordinis, singulorum lectos circuiuit, ante quosdam stetit, ante quosdam cum festinatione præteriuit. Veniens ad quendam Conuersum, ante illum se inclinauit, & brachijs collum eius stringens, tactuque meretricio demulcens, oscula in eius ora defixit. Quod cùm quidam frater religiosus vidisset, & illa disparuisset, satis tam de persona, quàm opere, & in tali loco stupens surrexit, & Conuersi lectum adijt; quem quidem dormientem, sed incõpositè, & impudicè nudatumque iacẽtem inuenit. Cæteris ad signum nonæ surgentibus, ille grauem se sentiens, surgere non potuit, & ad vesperam in infirmitorio ductus, infra triduum vitam finiuit. Hæc apud nos eiusdem, vt puto, loci grangiarius recitauit, asserens sibi dictum ab eodem Conuerso, qui vidit visionem, sub typo confessionis. APOLLONIVS: Cùm Deus summè sit misericors, & dormiens modicum differat à mortuo, quid est quod idem

idem Conuersus pro tantillo punitus est? CAESAR. Fortè nimis erat negligens circa vsum verecundiæ. Verecundia siue pudicitia, quæ omnium ornamentum est virtutum, non solum esse debet in habitu, sed etiam in actu. Frequenter contingit, vt sicut homo interior libenter ea, quę de die cogitat, nocte per imaginationem retractat; ita exterior illa, quæ vigilans factitat, dormiens frequenter repræsentat. APOLLONIVS: In hoc consentio, quia noui quosdam raptores, qui sępè noctibus dormiẽdo surgunt, arma induunt, exerunt gladios; feriunt parietes, & postquam lassati fuerint, singula in loca sua reponunt, sicque cubitum redeunt, nec aliquid horum recordantur. CAESARIVS: Fortè idem Conuersus nimis indulserat vino: inebriationem libenter sequitur denudatio. Si Noë non fuisset inebriatus, nec fuisset denudatus; & quia denudatus, idcirco à filio subsannatus. Non solùm angeli sancti, sed & mali noctibus nos lustrant, & si per negligentiam, siue dissolutionem, contigerit nos in lectis nostris iacere irreuerenter, bonos à nobis fugamus, & malos ad nostram irrisionem inuitamus. Quanta gratia sic dormientes quandoq; se priuẽt, audies in dist. vij. ca. xiij. & ca. xiiij. in quib⁹ beata Dei genitrix per se dormientes visitauit. APOLLONIVS: Habuit ne Conuersus prædictus charitatem? CAESARIVS: Non mihi hoc constat, sicut & de prædictis fœminis, quas diabolicus extinxit aspectus. Quid verò diabolus quosdam peccatores in peccatis interficiat, subsequentia declarabunt exempla.

Genes. 9.

CAPVT XXXIIII.

Ludo tesserarum dediti punitur.

IN Susatia, quæ ciuitas est diœcesis Coloniensis, miles quidam Thyemo nomine habitabat, qui sic totus deditus erat ludo tesserarum, vt non die,

die, non nocte quiesceret, semper sacculum cum numinis secum portabat, vt secum ludere volentibus obuiaret. Ita in ludis expeditus & fortunatus erat, vt vix aliquis ab illo sine damno recederet. Vt autem posteris ostenderetut, quantum Deo tales ludi, in quibus irę, inuidia, rixę, & damna suscitantur, peccatiq; verba rotantur, contrarij forẽt, permissum est diabolo, vt cum eo luderet, qui multis illuserat atq; euiscerauerat, qui multorum marsupia euacuarat. Nocte quadam domum eius in specie cuiusdam ludere volentis intrans, saccellumque numinis refertum sub ascella portans, ad tabulam sedit, denarios liberaliter apposuit, tesseras iactauit, & multa acquisiuit. Cui cùm prosperè succederet, & militi iam pecunia quam apponerẽt defuisset, iratus ait; Nunquid non diabolus es tu? Et ille; Nunc satis est, appropinquat enim tẽpus matutinale, oportet nos ire. Tollensq; illum, per tectum traxit, cuius viscera tegulis retrahentibus miserabiliter excussit, & quid de eius corpore factum sit, vel in quem locum illud proiecerit, vsque hodie tam à filio eius, quàm à cæteris qui illum nouerant, ignoratur. Manè verò viscerum eius reliquiæ tegulis inhærentes repertæ sunt, & in cæmiterio sepultæ. Bene diabolus suos ministros in hoc mundo sinit prosperari, quos semper in fine decipit.

CAPVT XXXV.

IN eandem ciuitatem, sicut mihi retulit magister Gozmarus, vir religiosus & sancti Patrocli canonicus, homo quidam ignotus venit, dicens se velle saltare de turri sancti Iuliani, quæ multum est sublimis, si tamen aliquid ex hoc consequi posset honoris. Respondentibus ciuibus, sicut viris prudentibus; Nihil tibi propter hoc dabimus vt

Universidad de Deusto Biblioteca

te ipsum interficias: ait, Propter honorem ciuitatis saltabo. Congregata multitudine populi circa forum, cui turris eadem contigua erat, & de fenestris domorum alijs prospectantibus, turrim ascendit. Quem alius quidam à tergo clamans, ait; Dic mihi ô homo, cum quo dæmone agis talia? Cui cùm ille nescio quem dæmonem nominasset, respondit; Scias pro certo, quia decipiet te, nequam est enim: si fidei Oliueri te committeres, non te deciperet, quia curialis est & fidus. Respōdit ille; Nequaquā me decipiet, quia in multis sum eius fidem expertus. Puto hunc Oliuerum fuisse eundem, de quo supra dictum est ca. iv. Quid plura? Ascendit turrim, & saltauit, sed post saltū surgere non valuit. Mirantibus turbis, quare non surgeret, & ignorantibus causam mortis eius, propter amplam quam induerat cappam ad capiendum ventum, propius accedentes, hominemq; de terra leuantes, inuenerunt omnia viscera eius effusa. Ecce sic diabolus ministros suos remunerat, corpora quidem occidendo, & animas in pœnas æternas detrudendo. De quarū cruciatibus in dist. xij. audies sufficienter. APOLLONIVS: Quantum considero ex iam dicto Oliuero, non oēs dæmones æqualiter sunt mali. CAESARIVS: In quibus in cælo amplius extēsa fuerat cōtra creatorem superbia atq; inuidia, in his vsq; hodie magis viget ad nocendum malitia. Quidam, vt dicitur, alijs cum Lucifero contra Deum se extollentibus, simpliciter consenserūt, & hi quidem cū cæteris ruerunt, sed cæteris minus mali sunt, hominesque minus lædunt, sicut exempla subiecta explanabunt.

CAPVT XXXVI.

DAEmon quidam Adolescentis venusti speciem induens, ad quendam militem venit, obse-

obsequium suum illi offerens: cui cùm multū placeret, tam in decore, quàm in sermone, gratanter ab eo susceptus est. Qui mox militi seruire cœpit tam diligenter, & tam timidè, tam fideliter, & tam iocundè, vt satis ille miraretur. Nunquam equum suum ascendit, nunquam descendit, quin ille præparatus esset, & genu flexo strepam teneret; discretum, prouidum, & hilarem semper se exhibuit. Die quadam, dum simul equitarent, & venissent ad fluuium quendam magnum, miles respiciens, & plures ex inimicis suis mortalibus post eos venire cōsiderans, ait seruo; Mortui sumus, ecce inimici mei post me festinant, fluuius ex opposito est, nullus superest locus refugij, aut occidēt me, aut capient. Tunc ille; Ne timeas domine, vadum fluminis huius bene noui, sequere tantùm me, bene euademus. Respondente milite; Nunquam homo fluuium istum in hoc loco transuadauit: spe tamen euasionis, seruum ducem secutus, sine periculo venit ad littus. Et ecce eis trāspositis, hostes ex opposito littore cōsistentes, mirati sunt dicentes; Quis vnquā audiuit vadum in flumine isto? Non alius nisi diabolus istum transuexit, timentesque reuersi sunt. Processu verò temporis accidit, vt militis vxor infirmaretur vsq; ad mortem, in qua dū omnes medicorū artes defecissent, ait iterum dæmon domino suo; Si domina mea inungeretur lacte leonino, statim sanaretur. Dicente milite; Vnde haberetur lac tale? Respondit ille; Ego afferam. Qui vadens, & post spacium vnius horæ rediens, vas plenum secū attulit, quo cū fuisset perunēta, mox meliorata, pristinū recuperauit vigorē. Cui cùm diceret miles Vnde habuisti tā citò lac istud? Respōdit; De montibus attuli Arabiæ, recedens à te in Arabiam iui, leænæ speluncam intraui, catulos abegi, & ipsam mulsi,

Non omnes dæmones æqualiter malos esse, neq; æquè hominib⁹ nocere.

mulsi, sicq; reuersus sum ad te. Stupente milite ad verba ista, & dicente; Quis ergo es tu? Respondit ille; Non soliciteris de hoc, seruus enim tuus sum ego. Instante milite, tandem confessus est dicens; Dæmon ego sum, vnus ex illis qui cum Lucifero ceciderunt. Tunc magis milite stupente, subiunxit; Si natura diabolus es, quid est quod tam fideliter seruis homini? Respondit dæmon; Magna est mihi consolatio, esse cum filijs hominum. Dicente milite; Non audeo de cætero vti seruitio tuo. Iterum ille respondit; Hoc pro certo scias, quia si me tenueris, nunquam à me, vel propter me aliquid mali tibi eueniet. Non audeo, inquit, sed quicquid pro mercede tua postulaueris, licet dimidium bonorum meorum, libens tradam tibi. Nunquam homo homini seruiuit tam fideliter & tam vtiliter: per tuam prouidentiam iuxta fluuium mortem euasi, per te vxor mea recepit sanitatem. Tunc dœmon; Ex quo tecum esse non potero, nil pro seruitio meo, nisi quinque solidos requiro. Quos cum recepisset, militi illos reddidit dicens; Peto vt ex eis nolam compares, & super tectum pauperis illius ecclesię ac desolatæ suspendas, vt per eam saltem dominicis diebus fideles ad diuinum conuocentur officium. Sicque ab oculis eius disparuit. APOLLONIVS: Quis vnquam tale aliquid de diabolo speraret? CAESARIVS: Dicam tibi aliud, vt sic dicam, diabolicæ bonitatis exemplũ, quod non minus isto mireris.

CAPVT XXXVII.

EOdem anno, quo rex Philippus primùm ascendit contra Ottonem postea Imperatorem; miles quidam honestus Euerhardus nomine, de villa quæ Ambula vocatur natus, grauiter infirmabatur. Cui cum rapta fuisset materia in cerebrũ ita cœpit furere, vt propriam cõiugem, ante infirmitatem multum dilectam, in tantum habéret exosam, vt illam neq; videre, neq; audire posset. Die quadam diabolus in forma hominis infirmo apparens, ait; Euerharde, vis ab vxore tua separari? Respondente illo; Hoc omnibus modis desidero. Subiunxit diabolus, Ego te in equo meo ducam Romã, bene obtinebimus à Papa, vt diuortium faciat inter te & illam. Quid plura? Visum est militi vt equum inuitantis ascenderet, vt Romam cum illo post tergum eius sedens pergeret, vt illo pro se allegante, Papa eum ab vxore coram Cardinalibus solenniter separaret, ipsumque diuortium litteris pontificalibus atque bullatis cõfirmaret. Mira res, ab eadem hora, qua sic mirabiliter infirmi spiritũ à diabolo raptus est, ita corpus iacebat exangue, vt tantùm modicum caloris in eius pectore sentiretur, propter quod à sepultura dilatus est. Milite, vt sibi videbatur, nimis gaudente diuortij causa, ait diabolus; Vis modò vt dicam te Hierosolymã, vbi Dominus tuus crucifixus est atque sepultus, necnõ & ad reliqua sacra loca, quæ Christiani videre desiderant? Ex his verbis maximè postea intellexit illum dæmonem fuisse. Respondẽte illo, Volo & desidero; Spiritus spiritum repente per mare transtulit, & in basilica dominici sepulcri deposuit; deinde ostendit ei loca reliqua, in quibus orationes suas fecit. Ad quem iterum ait; Vis etiã videre Sephadinum inimicum vestrum, eiusq; exercitũ? Cui cùm diceret; Volo: ductus est in momento ad loca castrorum, viditque illo demonstrante regem & principes eius, milites, arma, vexilla, tentoria atque exercitum vniuersum. Post hæc ait dæmon; Vis modò redire ad patriã tuam? Et ille; Tẽpus est vt reuertar. Quem statim spiritus leuauit, & in Lõgobardiam transtulit. Qui ait; Vides hoc nemus? iã homo quidam de villa tua; mercimonia sua ad has pro-

Universidad de Deusto Biblioteca

prouincias in asino venalia portãs, ipsũ intrabit, & à latronibus interficietur. Vis eũ præmunire? Respondente eo; libenter; statim homini occurrit, & quia latrones in nemore essent prædixit; quem, sicut suum parochianum valdè notissimum, hilariter resalutauit, & gratias agens alia via diuertit. Venientibusque eis. Franckinfort rursum ait dæmon; Cognoscis Vvalramum filium ducis de Limburg? Bene, inquit, illum noui, & frequenter cum eo militaui. Dicente dæmone; Vis nunc eum videre? Et miles responderet, In partibus est transmarinis, ille subiecit; Nequaquam, sed iam in tali loco regi Philippo confœderatur, & per ipsum terra vestra rapinis & incendijs vastabitur. Hoc impletum vidimus, quando ipso duce Andernachum, Remage, Bonna, alieque villæ plurimæ exustæ sunt. Respondente milite, de hoc satis doleo. Postquam regem cum principibus & Vvalramo viderat, ad lectum, & ad corpus sine omni læsione spiritus eius reductus est. Mox incipiens spirare, & conualescere, vxorem, ante raptum exosam, amore pristino dilexit, & non sine multorum admiratione, quę viderat & audierat sæpius recitauit. Quicquid enim viderat Romæ, & in Hierosolyma, in Longobardia, & in Alemania, tã in locis, quàm in personis, plenius vtique vidit, melius visa cognoscere & recitare potuit, quàm si oculis corporeis illa prospexisset. Structuram vrbis Romæ, necnon & effigiẽ Domini Innocentij tunc Papę, Cardinalium & ecclesiarum; & in partibus Hierosolymitanis, formam Sephadini & exercitus eius, similiter montes, flumina, castra, vniuersaque loca, per quæ transierat, tam propriè in suis formis atque nominibus expressit, vt hi qui oculis corporeis illa viderant, quod contradicerent, non inuenirent. Interim rusticus cum mercibus suis de Lõgobardia

redijt, & quia illum ibidem vidisset, atque per eius cautelam latronum periculum euasisset, coram multis testificatus est. APOLLONIVS: Audiui quod quidam dæmones talis naturæ sint, vt bene à se obsessos torqueãt, sed eosdem criminaliter peccare non sinant. CAESARIVS: De hoc satis euidens audiuisse me recordor exemplum.

CAPVT XXXVIII.

Cuius quidam sub typo eleemosynæ pauperibus conuiuium fecit; inter quos cùm quidam obsessus esset, & cæteris manducantibus carnes, ipse quidem ori applicaret, sed eisdem vesci non posset, ex circunstantibus hoc videntes dixerunt; Inique, cur non finis hominem manducare? Quibus ille respondit; Nolo vt peccet, eò quod eleëmosyna ista de rapina sit. Dicentibus eis; Mentiris, quia is qui fecit eam bonus homo est. Respondit; Nequaquam mentior, vitulus iste, qui hic pauperibus diuisus est, in quinta generatione fuit ab illa vacca, quæ per rapinam habebatur. Et satis mirati sunt qui aderant. APOLLONIVS: Si dæmones quintam generationem iudicãt rapinam, puto quia multum acriter in pœnis vindicabunt primam. CAESARIVS: De hoc non dubites. Recordare vaccę illius, per quam, & qua punitus est Helyas miles: sicut dictum est distinct. 2. cap. 7. Reuocat mihi etiam ad memoriam vacca hæc, verba obsessæ mulieris illius in Briseke, cuius superius mentionem feci cap. 26. Hæc cùm die quadam Ioannem burgrauium de Rineken vidisset, sicut mihi retulit qui audiuit, multis præsentibus cõtra eum clamauit dicens; Vitulum illum, quem tali viduæ abstulisti, flammis infernalibus à nobis liquatum, guttatim mittemus in oculos tuos, & per omne corpus stillabimus pinguedinem eius.

Vinum verò quod ſub banno tuo in hac villa venditur, feruens in os tuum fundemus. Quibus verbis miles territus, tabernam amouit, & vitulum mulieri reſtituit. APOLLONIVS: Satis mihi probatum iam fateor, quod dæmones ſint, quod multi ſint, & quod mali ſint; nunc quod infeſti nobis ſint, aliquid ſub exemplis audire delectat. CAESARIVS: Ita infeſti ſunt hominibus, vt inter amicos diſcordias faciant, & inimicos reconciliari nõ ſinant, pro peccato & pro peccatis ſuis peregrinari volentes retrahunt, conuerti deſiderantes auertunt, conuerſos multis modis turbant & impediunt. Ecce exempla.

CAPVT XXXIX.

Dæmon diſcordias ſeminans inter amicos.

DVO ciues Colonienſes viri diuites & honeſti, & ſpeciales ad inuicem amici, ex quibus vnus vocabatur Siſtappus; alter verò Godefridus, ad Sanctum Iacobum Apoſtolum ſimul profecti ſunt. Die quadam cùm ſoli equitarent, cæteris fratribus præcedentibus, diabolus inuidẽs amicitiæ & concordiæ illorum, ingreſſu cuiuſdam nemoris, baculum Godefridi in dorſo ipſius pendentem, ſatisque fortem, in duas partes fregit. Qui cùm neminem adeſſe conſpiceret, turbatus clamauit ad ſocium; Eia frater, quare fregiſti baculum meum? Illo negãte etiam cũ iuramento, ſicut mihi iam dictus Godefridus retulit, ita in eum exarſit, vt vix manus ab eius læſionẽ cohiberet. Tandem gratia Dei, & meritis beati Apoſtoli ad mentem reductus, apud ſocium vnicè dilectum pœnitentiam egit, & diſcordiæ caput diabolus confuſus aufugit.

CAPVT XL.

SIcut retulit mihi quidam honeſtus ſacerdos, nunc monachus in ordine noſtro, plebanus cuiuſ-

cuiuſdam villæ, paræcianis ſuis placere volens, ludos ſeculares cum illis exercuit, tabernas frequentauit, & in quantum potuit, moribus illorum ſuos conformauit, impletumq; eſt in eo illud Prophetæ: Et erit ſicut populus, ſic & ſacerdos. Habebat autem in villa militem compatrem, vitijs ſuis per omnia concordantem, & erat eis, non in Chriſto, ſed in mundo, cor vnum, & anima vna. Sæpe alter ab altero ad ludos, & ad epulas inuitabatur, ſæpe ad tabernas trahebatur. Videẽs hæc diabolus totius doli artifex, vt amorem illorum vitioſum, in odium verteret periculoſum, nocte quadam, cùm idẽ miles iſſet cubitum, in forma ſacerdotis ad lectum eius venit, & vt ſe ſequeretur, tam verbo, quàm ſigno importunè ſatis inſtitit. Miles cùm territus penè nudus ſurgeret, & nudipes ſequeretur præcedentem, per campum ſpinis & vepribus plenum ductus eſt; à quibus dum plantæ eius vulnerarẽtur & ſanguinem ſtillarent, iratus poſt eum clamauit; Male ſacerdos, malo tuo huc me adduxiſti, diabolo ſemper clamante, Sequere, ſequere; miles turbatus, ligno quod caſu repperit, vt ſibi videbatur, caput ſacerdotis diuiſit. Sic illo proſtrato, & vultu eius ſanguine perfuſo, miles cum multo labore ad domum ſuam reuertitur, qualiter ei ſacerdos illuſerit, vxori, familiæ, amiciſque conqueritur. Illis minus credentibus, ſubiecit; Ego caput eius, & coronam non modicum vulneraui. Eadem nocte, ſacerdos, horum prorſus inſcius, cùm ex neceſſitate naturæ iturus eſſet ad cameram, cum tanto impetu caput limini ſuperiori illiſit, vt corona grauiter vulnerata, ſanguis erumpens, totam eius faciem cruentaret. Quo ad lectum reuertente, cum manè populus pulſata Miſſa in eccleſia expectaret, & ille minimè ob vulneris dolorẽ veniret, cognoſcens miles cauſam à referentibus, ait; Ecce hoc eſt quod

Iſai. 24.

Actor. 4.

dixi vobis. Quid plura? Insanientibus cognatis & amicis eius, cùm sacerdos obiecta fortiter negaret, & illi non crederent, per biennium de ecclesia sua eliminatus, vix tandem illis reconciliatus est. Ex his duobus exemplis colligitur, quod inter amicos siue spirituales, siue carnales, discordias seminent. Quod inimicos in quantum valent concordare non sinant, certum est.

Dæmones impediunt reconciliationes dissidentium.

CAPVT XLI.

MIles quidam nuper domum quandam ordinis nostri indebitè satis vexabat. Garriente diabolo per os cuiusdam fœminæ, locutus est ad illum nescio quis de astantibus; Dic inique, quare non suades illi militi, vt cœnobium tale seruorum Dei cesset inquietare? Cui dæmon cachinnando respondit; Quid est quod loqueris ô imprudens? Meo consilio res agitur, & tu mihi dicis, vt suadeam ea quæ sunt pacis? Quod autem pro Christo peregrinari volentes retrahant & impediant, præsto est exemplum.

Peregrinationem suscipere ex pietate volentes, retrahit.

CAPVT XLII.

MIles quidam Meingosus nomine, cùm adolescens in Francia linguam disceret Gallicam, grauiter infirmatus, spe conualescentiæ ad Sanctum Remigium Remis peregrinationis votum fecit, sed non soluit. Reuersus verò in prouinciam suam, voti transgressor, multis diebus elapsis, cùm alter quidam miles Gundolphus nomine vir nobilis de villa Sesselingen oriundus, suscepta carena, tempore capituli generalis Cistertium ire proponeret, & hoc prædictus Meingosus cognosceret, rogauit illum vt se suscipere vellet in comitem peregrinationis. Quod cùm ille gratum haberet, simulque ad villam quæ Tricastrum vocatur iuxta

iuxta Diuionem sitam venissent, cùm ad prandendum in terra more pœnitentium consedissent, Sanctus Remigius Remensis episcopus, pontificalibus indutus, transgressori suo apparens ait; Meingose, quare non soluis votum tuum? Miles verò cùm tam de visione, quàm de voti improperatione terreretur, mox diabolus aduolans, verbis admonitorijs verba dissuasionis adiunxit dicens; Noli festinare, bene votum solues quando poteris. Nihilque aliud dicens, hominem pedibus arripiens, per ventrem in pauimento tam immisericorditer traxit, vt facies eius in quatuor partibus vulnerata, sanguine erumpente terram infunderet. Quem cùm Gundolphus sic trahi videret, & trahentem non aspiceret, sicut ab eius ore audiui, turbatus ilicò surrexit, militemque brachijs stringens, cũ fortis esset, retinere vix potuit. A quo cùm causam cuipæ simul & pœnæ didicisset, ait: Consulo vt reddas votum tuum. Respondente illo. Non modò habeo expẽsas, dedit ei solidum sterlingorum, & ille soluit votum neglectum. APOLLONIVS: Vt video non multum à nobis dæmones sunt remoti, qui ad puniendum nos tam sunt parati. CAESAR. Quòd semper sint iuxta nos, & circa nos, in subiecto cognosces exemplo.

CAPVT XLIII.

Dæmones semper circa nos esse.

ANno præterito tempore vindemię Cellarius de Lacu, cuiusdam cortis, monasterij vineam duobus seruis custodiendam commisit. Nocte quadam vnus ex illis vigilias nocturnas sibi temperare volens, diabolum iocularitèr vocauit dicẽs; Veni diabole, custodi hanc vineam, & ego tibi pretium dabo. Vix verba compleuerat, & ecce diabolus affuit dicens; Præsto sum, quid ergo dabis mihi, si eam custodiero? Et ille; Cophinũ plenum

plenum vuis tali conditione, vt si quis intrauerit ab ea hora, qua dies & nox separantur, vsque ad ortum diei (neque propriam, neque alienam excipiens personam) collum ei frangas. Quod cùm diabolus promisisset, & seruus serò, quasi de vinea securus, domum intrasset, ait illi Cellerarius; Quare non es in vinea; Respondente illo, Socium meum ibi reliqui, diabolum notans. Cellerarius, putans quia de conuerso suo diceret, iratus ait; Vade citò, quia solus non sufficit ille. Iuit seruus, & speluncam, quæ erat extra vineam, cum socio ascendens, circa medium noctis motum quasi hominis inter vites transeuntis audientes, ait is quem prædicta pactio latebat; Aliquis est in vinea. Respondit alter; Sede, ego descendam & videbo. Descendit, & vineam foris circuiens, cum nulla hominis vestigia in sepe reperisset, custodem suum adesse cognouit. Manè socio omnia aperiens, cophinum vuis refertum diabolo pro pretio dare volens iuxta vitē vnam fudit, & discedens, atque cum socio post paululum rediens nec vnũ ibi granum reperit. APOLLONIVS: Satis de his admiror; sed dic quæso, quomodo conuerti volentes impediãt. CAESARIVS: Referam tibi quod mihi sanctimonialis quædam retulit, coacta à sua Abbatissa.

CAPVT XLIIII.

Religionem ingredi volẽtes dæmon retrahit.

DVM esset eadem sanctimonialis puella parvula in domo patris sui, diabolus illi sæpius in diuersis formis visibiliter apparuit, & teneram eius ætatem diuersis modis terruit, ac contristauit. Quæ cùm incurrere timuisset amentiam, ad ordinem nostrum conuerti proposuit, verbis voluntatem exprimens. Nocte quadam in specie viri diabolus illi apparens, conuersionemq; dissuadens ait; Eufemia, noli conuerti, sed accipe virum iuuenem

iuuenem pulchrumque, vt cum illo delitijs mundi fruaris, vestes enim pretiosæ, & cibaria delicata, non deerunt tibi. Si autem intraueris ordinem, semper eris misera & pannosa, famem, sitim, frigusque patieris, nec vnquam de cætero bene tibi erit in hoc seculo. Ad quod illa respondit; Quid de me tunc erit, si in illis delitijs, quas tu mihi promittis mortua fuero? Ad quod verbum diabolus nullum responsum dedit, sed puellam rapiens, & vsq; ad fenestram solarij in quo iacebat deportans, precipitare eam conabatur. Quæ cùm angelicam salutationem diceret, inimicus eam dimisit, & ait; Si ieris ad claustrum, semper tibi aduersabor; quod si in hac hora mulierem illam non inuocasses, occidissem te. Et hoc dicto, valde virginem cõprimens, in canem maximum transmutatus, de fenestra exiliuit, & nusquam comparuit. Sicque ad inuocationem Dei genitricis & virginis Mariæ, virgo liberata est. Quàm infestus conuersis sit diabolus, & quàm multis, quamque diuersis modis, illos vexet, & impediat, sequentia declarabunt. Cùm prædicta puella monacha fuisset effecta, nocte quadam cùm in lecto iaceret, & iacendo vigilaret, vidit circa se plures dęmones in specie virorum, ex quibus vnus aspectu teterrimus stabat ad caput eius, duo ad pedes, quartus ex latere contra eam, qui clara voce ad alios clamabat; Quid statis? Tollite illam totaliter sicut iacet, & venite. Responderunt illi, Non possumus, inuocauit enim mulierem illam. APOLLONIVS: Quid est, quod dęmones matrem sui creatoris nominare præsumpserunt nomine tantum conditionis, & non honoris? Mulier nomen est corruptionis & naturæ, Virgo, vel Maria, siue Dei genitrix, nomina sunt gloriæ. CAESARIVS: Non sunt ausi, quia indigni, ore polluto nomen integritatis, vel gloriæ nominare. Idem tamen dæmon, post

post verba angelicæ salutationis, puellam brachio dextro traxit, & trahendo in tantum compressit, vt compressionem tumor, & tumorem liuor sequeretur: quæ cùm haberet sinistram liberam, ex nimia simplicitate, non est ausa se signare per illam, putans signum manus sinistræ, nihil sibi prodesse: cogente tamen necessitate, per eandem manum crucem sibi impressit, & dæmones fugauit. Liberata ab illis, penè exanimis ad lectum cuiusdam sororis cucurrit, & fracto silentio, quid viderit, vel quid passa sit illi intimauit. Quam, sicut mihi retulit beatæ memoriæ domina Elizabet, eiusdem cœnobij Abbatissa, sorores in lecto suo ponentes, & principium euangelij Sancti Ioannis super eam legentes, mane regyratam inuenerunt. Anno verò sequenti, intempesta nocte, cùm eadem sanctimonialis in strato suo iacens vigilaret, vidit eminus duos dæmones in specie duarum sororum plurimum sibi dilectarum; cui cùm dicerent illæ; Soror Eufemia, surge, veni nobiscum in cellarium dimittere cereuisiam conuentui. Illa, habens eas suspectas, tum propter tempus intempestiuum, tum propter fractum silentium, horrere cœpit, operimento caput inuoluens, nihilque respondens. Statim vnus spirituum malignorum propius accedens, & manum pectori eius imponens, ita illud cōpressit, vt sanguis concitatus, per os & nares eius largiter effluueret: sicque dæmones illi formas caninas assumentes, de fenestra exilierunt. Sorores ad matutinas surgentes, cùm illam in defectu cernerent, vtpote pallidam & exanguem, causam per signa sciscitatę sunt; quam cùm ex eius relatione cognouissent, satis turbatæ sunt, tam de dæmonū crudelitate, quā de virginis vexatione. Ante hoc biennium, cùm conuentui nouum factum fuisset dormitorium, & lecti in eo depositi, vidit eadem sanctimonialis

monialis dæmonem in specie homuncionis deformis satis, & inueterati, omne dormitorium circūire, & lectos singulos tangere, quasi diceret; Loca singula diligenter notabo, quia non erunt absque visitatione mea. APOLLONIVS: Quid est quòd pius Dominus puellas tam teneras, & tam mūdas, à duris & immundis spiritibus tam crudeliter vexari sinit? CAESARIVS: Amaro poculo vt nosti prælibato, dulce plus dulcescit; & colore nigro subtracto, albus amplius clarescit. Lege visiones Vvitini, Godescalchi, & aliorum, quibus concessū est videre pęnas malorum, & gloriam electorum, penè vbiq; visio pœnalis præcedit. Volens Dominus sponsæ suæ secreta delitiarum suarum ostendere, bene eam prius permisit aliquibus visionibus horrendis tentari, vt postmodum amplius mereretur lætificari, sciretque distantiam inter dulce & amarum, lucem & tenebras.

CAPVT XLV.

IN eodem monasterio, quod Houene vocatur, sanctimonialis quædam est Elisabeth nomine, quam sæpè diabolus infestat. Die quadam in dormitorio illum videns, & quia ipse esset non ignorans, alapam illi dedit; cui cùm diceret; Vt quid tam durè me cedis? respondit illa; quia sæpè me turbas. Ad quod diabolus; Multò amplius hesterna die turbaui sororem tuam Cantricem, non tamen me percussit. Satis quidem illa die turbata fuerat. Ex quo colligitur, quòd ira, rancor, impatientia, & alia huiusmodi vitia, sæpè ex immissione sint diaboli. Alia vice cùm eadem Elisabeth matutinis nimis tardatis, opere, vt post apparuit, diaboli, ad campanam festinaret, candelamq; ardentē in manu portaret, iam intratura fores oratorij, dæmonē in specie viri, tunica indutū cul-

cultellata contra se stare conspexit. Putans aliquē intrasse virorum, territa retrorsum per gradus dormitorij cecidit; ita vt per aliquot dies tam ex repentino terroré quam ex lapsu langueret. Nam & Abbatissa ex eodem casu stupefacta, infirmitatem concepit, quæ dum causam illius lapsus atque clamoris ab ea scisciata fuisset, & illa visionem exposuisset, adiecit; Si sciuissem quod fuisset diabolus, & non homo, bonam illi alapam dedissem. Iam enim accinxerat fortitudine lumbos suos, & contra diabolum roborauerat bracchium suum.

CAPVT XLVI.

ALteri cuidam fœminæ propter Christū inclusæ, ita infestus fuit diabolus, vt etiam lectum illius violenter & impudenter ascenderet; à quo cùm nullo posset remedio spirituali liberari, non oratione, non confessione, non signo crucis, diaboli importunitatem, propriamque vexationem cuidam viro religioso conquesta est. Cui ille tale cōsilium dedit: Cùm tibi, inquit, proprius accesserit, dicas, Benedicite. Quod cùm illa fecisset, malignus spiritus quasi turbine impulsus, se in saltus dedit, nec vlterius ad illam accedere ausus fuit. APOLLONIVS: Gaudeo quod tantam virtutem audio in verbo nostræ salutationis. CAESARIVS: Tanta est dæmonum malitia, vt quos terroribus seducere vel frangere non præualent, fantasticis visionibus seducant. Verbi gratia.

CAPVT XLVII.

Religiosos visionibus falsis dæmones seducūt.

IVxta castrum Volminsteine, quod situm est in Vvestphalia, quædam habitat inclusa, Getrudis nomine, fœmina sancta & religiosa, & propter reuelationes Dei, quibus illustratur, notissima. Hæc multo tempore, quia minus circūspecta fuit; sicut audiui, pro angelo lucis, angelum tenebrarū suscepit. Solebat enim diabolus fantastica circumfusus claritate, per quandam cellulæ fenestram intrare ad illam, futura prædicere, & de interrogatis instruere. Ad quam si venisset quis, volens cognoscere statum alicuius amici sui defuncti, siue de alia re occulta certitudinem, illa inducias vsq; in crastinum petiuit, angelum suum consuluit, à quo sæpius decepta, falsa pro veris respondit. Quod cùm comperisset frater Hermannus inclusus de Arnisberg; cuius in superiori distinctione cap. 87. memini, dæmonum nequitias non ignorans, iam dictæ inclusæ mandauit in hunc modum; Cauta esto soror, quia sæpe angelus sathanæ, in angelum lucis se transfigurans, multos seducit, & viris sanctissimis nonnunquam illudit. Sic ergo facias; Crucem se cera benedicta fenestræ, per quam intrare consueuit, imprime, & si intrans illam non vitauerit, angelus Domini est; sin autem, angelus tenebrarum. Quod cùm illa fecisset, & diabolus nocturno tempore cum solito fulgere venisset ad fenestram, & lumine immisso non intraret, ait fœmina; Quare non intras? Respondente illo; Non possum intrare, nisi ceram de fenestra proijcias. Illa diu se deceptam intelligens, contra eum spuit, & in contumelias erupit, & ne de cætero talia præsumeret, sub inuocatione summæ Trinitatis illum adiurauit. Vides nunc qualiter Deus omnipotens contra diuersas dæmonum infestinationes, diuersas creauerit medicinas? Alios à nobis compescit antidoto cōfessionis, alios verbo dominicæ annunciationis, quosdam per verbū, Benedicite, multos per signū crucis. De his omnibus exempla habes in superioribus. APOLLONIVS: Peccauitne inclusa hæc angelum tenebrarum pro angelo lucis recipiendo? CAESARIVS: Legitur in scripturis maiorū, quod

2. Cor. 11.

Universidad de Deusto Biblioteca

homo sic à diabolo deceptus ei credendo mereatur, & hoc quàm diu bona ei suadet. Non enim omnibus data est discretio spirituũ. Vnde Apostolus: Probate spiritus si ex Deo sint. Nec hoc silendum, quod ipse angelus sathanæ non solum in charitate quam assumit, transfigurat se in angelum lucis, sed & in vili effigie quibusdam solet apparere. Nã modò in specie porci, vel canis, modò in forma catti, vel cuiusdã alterius animalis se hominibus ad deceptionem solet exhibere.

1. Ioan. 4.

CAPVT XLVIII.

Dæmon diuersorũ animalium assumit formas.

VIsus est tempore quodam in Hemmenrode, quasi gregem porcorum in ecclesiam minare, & eadem via, qua intrauerit, denuò exire. Alio tempore Conuersus quidam, qui nomen suũ vult supprimi, dæmonem vidit in forma Prioris, & gestabat in collo quasi factum de stramine leguminis circulum: præcedebat eum vnus de complicibus eius, eumque eodem circulo quasi canem ducebat. Interea cùm in tali fantasia chorum transiret, accidit vt Prior eundem chorum ingrederetur, Conuersos, si quos dormientes inuenisset, excitaturus, quo intrante, visio illa fantastica ab oculis Conuersi mox subtracta est.

CAPVT XLIX.

TEmpore quodam, bonæ memoriæ Hermannus cantor noster stans in choro, cùm tempore æstiuo laudes die clara decantarentur, & oculos ex lassitudine clausos aperiret, posteriora quasi vrsi de choro exeuntis conspexit. De qua visione cùm satis miraretur, eundem vrsum vidit redire, & stare ante presbyterium, in loco vbi monachi in viam exeuntes & redeuntes, solent prosterni: qui dum caput retorqueret, & huc illucque conspiceret, in vocem humanam erupit dicens; Non curetis

curetis licet modò sint firmi, ego egrediar, & iterum post modicum reuertar, sicque eo intuente egressus est. Huius visionis frater Richardus testis est, qui eam ab eius ore audiuit. Iste est Hermannus, qui vidit coram Henrico Fikone amphoras cũ vino, & vrsum sicut dictum est distinctione quarta cap. 91. APOLLONIVS: Cùm diabolus huiusmodi bestiarum formas ad nostram infestationem assumat, puto quod turpiter consentientibus illudat. CAESARIVS: Hoc est certum.

CAPVT L.

INclusa quædam admodum religiosa Aquisgrani manet, satis mihi nota, cuius nomen supprimo, ne ei causa fiam persecutionis. Hæc ante reclusionem, cùm adhuc esset in ætate puellari, & in habitu seculari, religiosa tamen, in humeris & in scapulis monachorum de Porceto deambulantiũ in oratorio, dæmones in firmis simearum atq; cattorum residere conspexit. Et, quia quosdam ex illis iam per consensus vitiorum captiuos tenebant, ad quemcunque locum siue personam fantasmata respiciebant, monachorum oculi sequebantur, & secundum leuitates illorum, gestus istorum formabantur. Vidit adhuc, quod horribilius erat, quosdã ex illis canes magni & tetri antecedebant, ita vt catenæ, quæ in eorum collis videbantur, etiam colla monachorum ambirent, quibus ad sua ludibria illos trahebant. APOLLONIVS: Heu quod homines ad imaginem & similitudinem Dei creati, & dignitate ordinis etiam hominibus maiores effecti, qui spiritibus immundis imperare debuerant, ab ipsis propter malam vitã, tam viliter illuduntur. CAES: Hoc est quod Psalmista conqueritur dicens: Homo cùm in honore esset, nõ intellexit, comparatus est iumẽtis insipientibus, & similis factus est illis.

Psal. 48.

APOLLONIVS: Videtur mihi ex supradictis, quod quandoque homo diabolo det materiam tentandi. CAESARIVS: Hoc verum esse, vno tibi ostendam exemplo.

CAPVT LI.

Homines interdum præbere Diabolo materiam tentandi.

STabat aliquando conuentus de Hemmenrode in horto, plantarium caulium terræ infigens; stabat & monachus vnus cum cæteris Thomas nomine, cui talis cœpit cogitatio suboriri: Si modò esses in domo patris tui, ancilla tua non dignaretur tam vilissimum opus facere. Exiuit ergo de medio fratrum cum indignatione, illuc eum ducẽte spiritu superbiæ, vbi fortius eum posset impugnare. Cùm ergo in sylua solus esset, tẽtator adfuit, & qui prius sola cogitatione pulsauerat, nunc aperta impugnatione, & visibiliter aggreditur. In specie namque mulieris apparens, cœpit alloqui eum. At ille digitum superponens ori suo, significauit non licere loqui sibi. Sed mendaciorum omniũ caput & pater, ilicò per mulierem illam fantasticam, quam effigiauerat ad deceptionem, respondit; Quid hoc sit, inquit, nescio, ego venio de conuentu, & Prior dedit mihi licentiam vt loquerer tecum. Credidit ille, & locutus est. Tunc illa asseruit parentes ipsius misisse pro eo, & oportere eum Treuerim ire secum ad emendum equum, & sic trãsire in terram suam. Præcedendo igitur misera, miserum ducebat, ipsa quidem frutetorum omnium condensa sine impedimento transiens, ille verò cum magna difficultate sequebatur. Tandem asperitate itineris & laboris turbatus, in nomine, inquit, Patris quomodo sic imus? Quo dicto, maligna illa mulier citius euanuit. Et cùm cæli esset serenitas magna, eadem hora circa eum facta est tempestas & pluuia, ipsumque madefactum exterius, interius

terius confusum remisit ad conuentum. Confessus postea est, quod quamdiu cum muliere illa deambulabat, maximam carnis titillationem habuerat. APOLLONIVS: Puto quod fuerit spiritus fornicationis. CAESARIVS: Iustè moueris; sæpe enim peccatum peccato punitur, & per lapsum carnis, superbia mẽtis in multis humiliatur. Inde habes plurima exempla in vitas Patrum. APOLLONIVS: Potest diabolus lędere aliquem pro vt vult? CAESARIVS: Nequaquam sine Dei permissione, & hoc in corpore sicut Iob; nunquam verò in anima hominem lædere potest, id est, vt eum peccare cogat, nisi mente consentiat. *Iob 1.2.*

CAPVT LII.

Diabolus nullum potest cogere ad peccatum.

DIabolus similis est vrso siue leoni ad stipitem ligato, * qui licet in catena sua rugiat circumiens, neminem tamen lædit, nisi quẽ infra suum circulum rapuerit. Diaboli potestas, catena diuinæ cohibitionis sic arctata est, vt neminem cogere possit ad peccandum, nisi ad eum ingrediatur per peccati consensum. Secundum Apostolum Petrum, Tanquam leo rugiens circuit, in sua catena, quærens quem deuoret. Sæpè sanctos viros terret & impedit, sed nocere non potest. ** Augustin. serm. 197. de temp. 1. Petr. 5.*

CAPVT LIII.

Diabolus bonos impedit, dum nocere nequit.

IN Bonnensi ecclesia, sicut audiui ab eius concanonicis, vir quidam extitit castus, multumque religiosus, cui diabolus ita infestus erat, vt sæpè noctibus, cùm lecturus esset lectionem ad matutinas, literam tegeret, vel folium verteret, & quandoque lumen exufflaret. Hoc ideo egit, vt virum sanctum coram fratribus confunderet, & confundendo ad impatientiam prouocaret, cuius nequitia tanta

tia tanta est, vt cùm religiosos irritare, vel impedire non valet, saltem eos impediat & subsannet.

CAPVT LIIII.

RETulit mihi quædam religiosa sanctimonialis ordinis nostri, Petrissa nomine, quod cũ staret in quadam solennitate ad matutinas à cæteris sororibus semota, & alijs validè psallentibus, in gratiarum actionem erumperet dicens; Benedictus sis Domine, quod iste dilectus conuentus tam deuotè te laudat, tu illis retribuas; mox audiuit strepitum horridum, quasi alicuius de retro ad conuentum properantis, claraque voce dicentis; Hoc fiet pro Deo, orationem eius subsannans. Et inhorruerunt cõtinuò omnes capilli capitis eius. APOLLONIVS: Sæpè subitus horror inuadit me, tam in choro, quàm in reliquis locis. Quæ tibi videtur huius horripilationis esse ratio? CAESARIVS: Ex præsentia dæmonum est. Natura canis, qui lupum insequi consueuit, talis est, vt eum ex quadam vi naturę iuxta se sentiat, cùm tamen oculis illum non videat: & quia inter eos odium naturale est, turbatur statim & latrat. Sic est inter hominem & diabolum. Inimicitias posuit inter eos Dominus: vnde væ homini, qui cum illo pacificatur; semper calcaneo eius diabolus insidiatur. Et licet eum homo exterior non videat, interior, id est, spiritus, illius maligni spiritus iuxta se pręsentiã bene sentit. Quid ergo mirum, si tunc turbatur, si horrorem patitur? Hoc verum esse, exemplo tibi demonstrabo.

Diaboli etiam non conspecti. sola præsentia homini horrẽ incussit.

Genes. 3.

CAPVT LV.

IVXTA Coloniam sacerdos quidam fuit Michaël nomine, satis religiosus in genere suo, duarũ villarum ecclesias rexit, ex quibus vna Burge, altera

refocillassent, auditis his, quæ ei contigerant, satis mirati sunt. Quarto verò die regressus in domum suam, situm tam locorum, quàm ædificiorum, quæ nunquam ante viderat, tam plenè omnibus exposuit, vt de raptu eius nihil dubitarent. APOLLONIVS: Iam mihi satis fateor probatum, tam sententijs, quàm exemplis, dæmones esse, multos esse, malos esse, & infestos esse hominibus. CAESARIVS: Vnde consilium est meum, vt cognitis his: non illis consentiamus, ne nos audire contingat: Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius: sed resistendo illis, omnibusque vitijs, audire mereamur cum electis; Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. *Matth. 25.*

FINIS LIBRI *quinti.*

CAPITA LIBRI sexti.

DE virtute simplicitatis cap. primum.
De simplici monacho, qui carnes in castro comedendo pecora monasterij sui reduxit cap. 2.
De Christiano Decano Bonnense, qui Abbati pisa sagimine condita apposuit in simplicitate cap. 3.
De Godeschalco monacho, qui in Syberg artocreas in sagina decocta simpliciter manducauit cap. 4.
Vita domini Enffridi Decani sancti Andreæ in Colonia cap. 5.
Vita domini Hermanni Decani Hildesbemensis ecclesiæ cap. 6.
De simplicitate VVermboldi canonici sancti Gereonis in Colonia. cap. 7.

De simplicitate Christiani Cellerarij in Bruvvilre ca. 8.
De monacho de Porceto cap. 9.
Vita Engelberti caci cap. 10.
De domino Petro Abbate Claraeuallis, in cuius simplicitate aduersarij eius compuncti, bonis, pro quibus contenderant, renunciauerunt cap. 11.
De Philippo Rege Francorum, qui in Abbatis sancti Victoris simplici taciturnitate ædificatus, aduersarios compescuit cap. 12.
De eodem, qui Laudunenses clericos commendauit ob simplicem electi sui præsentationem cap. 13.
De eodem Rege simplice, qui monachum in Abbatem sancti Dionisij promouit, prælatis ambitiosis prudenter amotis cap. 14.
De simplici monacho, cui Fredericus Imperator contulit in Abbatem occasione acus cap. 15.
De Abbate, quem Otto Imperator commendauit propter acum cap. 16.
De Monacho, super quem morientem diabolus acum ignitam proiecit, eò quod acum sanus portare contemneret cap. 17.
De Abbate, quem inclusa simoniacè intrasse dicebat, eò quod electionem suam ante procurasset cap. 18.
De Mauritio Episcopo Parisiensi, qui seipsum simpliciter elegit cap. 19.
De astuto Priore, qui personam ob infamiam eiectam elegit, ne sua pars infirmaretur cap. 20.
De homine, qui sub typo simplicitatis Bonnæ plures decepit cap. 21.
De homine, qui per serpentem punitus est in collo, quia dolosè egerat in matrem cap. 22.
De Præposito Parisiensi, quem Rex Philippus viuum infodi iussit, eò quod mortuo dolosè vineam abstulisset cap. 23.

De

altera Rode vocatur. Tempore quodam Parasceue, cùm in vna ecclesia serò matutinas dixisset, & ante diem, seruo suo absente, solus ad alteram properaret, timore viæ gladium secum portauit. Qui cùm ad quoddam nemus venisset, tantus timor & horror eum inuasit, vt omnes pili capitis eius, sicut dici solet, sursum erigerentur, & gelido sudore omnes eius artus perfunderentur. Quem tamen tãti hõrroris causa latere non potuit, quia mox vt oculos ad nemus vertit, hominem teterrimum iuxta arborem satis altam stare conspexit: qui eo intuente in momento adeò crescendo ascendit, vt eidem arbori æquaretur; circa quem fragor arborum, & nimij fremitus ventorum excitabantur. Territus supra modum sacerdos, fugit, quem diabolus cum turbine à tergo insequens, vsque ad villam Rode non deseruit. Posteà cùm idem sacerdos visionem simul & timorem Conuerso nostro Richardo recitaret, ille sicut vir est religiosus, religiosum ei verbum respondit: Domine, inquit, ecclesiastice, si ad diuina eundo psalmum in os vestrum assumpsissetis, non vobis hæc in via euenissent, terror ille pœna peccati fuit: Diabolus reuera timet psalmũ, non gladium; Corpus eius, vt ait Iob, imò Dominus ad Iob, quasi scuta fusilia, compactum squamis sese comprimentibus. Reputabit quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum, æs. Non est super terrã potestas, quæ cõparetur ei. APOLLONIVS: Sicut colligo ex his verbis sancti Iob, si diaboli virtus ligata & limitata non esset, nullus hominum subsistere posset. CAESARIVS: Quod autem hominem lædere non possit, nisi quantum à Deo fuerit permissus, in fine huius distinctionis satis manifesto tibi pandam exemplo. Iob 41.

CAPVT LVI.

Dæmonem non plus posse, quàm ei à Deo fuerit permissum.

IN villa, quadam, ante paucos annos, diœcesis Coloniensis, quæ ambula vocatur, campanarius fuit, & fortè adhuc viuit, votũ habens cuiusdam peregrinationis. Hic cùm die quadam conduxisset cum fœmina quadam villæ suæ, quod mane pariter ituri essent, illa eum rogauit, vt maturius surgeret, & matutinas pulsaret, propter solis feruorem; & promisit. Eadem nocte diabolus ad lectum eius veniens, tetigit eum & ait; Pulsa matutinas, sicque discessit. Qui mox surgens, & lumen in ecclesia ardere conspiciens, cùm ante primum galli cantum esse deprehendisset, putãs quia à prædicta fœmina fuisset excitatus, de ecclesia exiuit, volens illi dicere vt iret dormitum, eò quod nimis manè esset. Quam cùm quæreret, nec inueniret, bouem nigrum contra se stare vidit, qui lingua emissa hominem tetigit, eumque super dorsum suum per illam misit, & per aërem cum illo volitans, super pinnam turris castri, quod Isenburg dicitur, deposuit. Cui cùm diceret; Timesne aliquid modò? Respondit ille; Dei permissione huc ductus sum, nihil contra me poteris, nisi quantum ille permiserit. Ad quod diabolus; Fac mihi homagium, & ego te deponam, daboque tibi diuitias multas; quod si non feceris, vel fame in hoc loco morieris, vel præcipitò interibis. Cui campanarius, spem habens in Christo, respondit; Adiurò te per nomẽ Iesu Christi, ne me lędas, & vt me sine periculo corporis mei deponas. Mox diabolus illum tollens, in campo iuxta villam Gerisheim satis incommodè deposuit. Ante lucem diei in dedicatione ecclesiæ eiusdem villæ, diluculo homines ad matutinarum solennia cum faculis properantes, cùm hominem in agro, in magno defectu, reperissent, atque reso-

De fure à patibulo liberato, & denuò suspenso, dum suum liberatorem iniquè impeteret cap. 24.
De falso peregrino iusto Dei iudicio suspenso, dum vero peregrino furti crimen impingeret cap. 25.
De Bertolfo Palatino de Vvittelinbach, cui diuinitus præceptum est, vt hominem primò sibi obuiantem suspenderet cap. 26.
De Theoderico de Erinportzæ, qui reuoluto anno eodẽ die, eadem via, mortuus est elatus, qua Philippus Rex eius industria fuerat introductus cap. 27.
De Henrico, ratione cuius præbendam obtinuit is, qui eius consilio à Petro Cardinali fuerat intrusus. cap. 28.
De sacerdote idiota, qui simplicitate verborum suorum coram Innocentio Papa ecclesiam obtinuit cap. 29.
De simplici oratione Conuersi, qui minabatur Christo, quia matri eius conquesturus esset de illo, si non liberaret eum à tentatione cap. 30.
De inclusa, quæ Christum quæsiuit in foramine, & inuenit cap. 31.
De simplici sorore in Kumede, cui in oratione Christus respondit, quod esset in sacello cap. 32.
De passione simplicis Marcadelli cap. 33.
De passione Margaretæ virginis Louaniensis cap. 34.
De simplici conlubina sacerdotis, quæ seipsam in fornace extinxit cap. 35.
De morte Lodeuvici simplicis monachi cap. 36.
De morte simplicis monialis, quæ capram putabat esse faminam secularem cap. 37.

DE

DE SIMPLICITATE LIBRI SEXTI

CAPVT PRIMVM.

Simplicitatis commendatio.

INTER omnia virtutum antidota contra tentationum incommoda, ipsosque tentatores dęmones, maioris efficaciæ esse videtur virtus simplicitatis. Hæc virtus felle caret totius amaritudinis, iræ, inuidiæ, rancoris, caret & oculo venenato suspicionis, denteq; canino detractionis. Simplicitas est maximè necessaria nouiter conuersis; quia si voluerit nouitius ordinem simplicitatis reprehendere, facta & instituta maiorum iudicare, quare sic, vel sic, illa & illa fiant, cum magistro suo disputare nunquam quiescit. Vnde Abbas Carolus, cùm essem in probatione, mihi dicere consueuit; Frater, si vis quiescere in ordine, ordinis simplicitas sufficiat tibi: Virtutem simplicitatis Isaias in electis admirans ait; Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbarum, sunt oculi simplicium monachorum. Horum volatus, sublimitas est contentionis. Vterque oculus religiosorum, simplex esse debet, exterior videlicet, & interior. Oculus corporis, vt procul sit suspicio; oculus cordis, vt recta sit intentio. Hæc opus per se malum, facit bonum, & econuerso, sicut in sequenti capite satis aperto tibi ostendā exemplo. APOLLONIVS: Bene hoc concedo, quia Saluatorem recolo dixisse; Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. CAESARIVS: Reuera vbi

Isaiæ 60.

Non loquitur de opere natura sua malo, sed vetito, vt patet.

vbi simplex fuerit intentio, ibi necesse est vt lucida sequatur actio; sicut econtrario, oculus nequam id est, intentio mala atque peruersa, totum corpus, id est, opus efficit tenebrosum. Vnde bene in sexta distinctione tractandum videtur de simplicitate, quia sicut senarius numerus naturaliter est perfectus, ita hæc virtus, secundum iam dictam sententiam Saluatoris, totum hominem luminosum facit atque perfectum. Iacob simplex à patre benedicitur: filius ei' Ioseph toti Aegypto à Pharaone prę-ficitur: Iob simplex à Domino commendatur. Virtus simplicitatis à Christo discipulis prædicatur: Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Simplicitati cōiungit prudentiā, propter vecordiā. Item dicit; Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, id est humiles & simplices, non intrabitis in regnum cęlorum. Simplicitas grata est ad Deum, grata angelis, hominibus delectabilis. Vnde cæteris virtutibus omissis, quantæ sit efficatiæ sancta simplicitas, paucis expli cabo exemplis.

Genes. 27.
Genes. 41.
Iob. 1.
Matth. 10.
Matth. 18.

CAPVT II.

Efficacia sanctæ simplicitatis.

DOminus VVido Abbas Cisterciensis, postea Cardinalis, cùm missus fuisset Coloniam ad electionem confirmandam, quæ facta fuerat contra Philippum in Ottonem, retulit ibidē quandam sanctæ simplicitatis historiam satis iocundā, satisque mirabilem. Dicebat domum quandam ordinis nostri in terra cuiusdam nobilis viri atq; potentis fuisse sitam, quam idem tyrannus, eò quod Deum non timeret, neque hominem reuereretur, multis modis sæpè molestauit; de annona, vino, & pecoribus, quotiens, & quantū voluit, tulit, quantum voluit fratribus dimisit. Cumque hoc ex consuetudine, & quasi pro lege habens actitaret, & conuentus querimonijs multis inutiliter tædiati, gemen-

mentes tacerent, die quadam maximam partem rapuit armenti, præcipiens illam ad castrum suum minari. Quo cognito, Abbas & fratres satis turbabantur, in quorum consilio quid facto opus esset satis tractabatur. Visum est eis aliquem ire debere ad castrum, per quem saltem res ei innotesceret, maximè Abbatem: qui respōdit; Ego non ibo, quia monendo illum, nihil proficimus, sed aërem tantummodo verberamus. Simili modo excusante se Priore, & Cellerario, subiūxit Abbas; Est ne hic aliquis, qui adhuc semel ire velit? Tacētibus cunctis, vnus diuinitùs inspiratus, ironicè respondit; Monachus ille vadat, hominem senem, ac simplicissimum nominans. Vocatus est monachus, si ire vellet ad castrum inquiritur, obedit, mittitur: qui cùm ab Abbate recederet, ex multa cordis sui simplicitate verbum hoc protulit; Pater, inquit, si aliqua portio mihi fuerit restituta, recipiam an non? Respondit; Quicquid re habere poteris, accipias in nomine Domini, meli° est aliquid, quàm nihil. Abijt ille, venit ad castrum, nuntium Abbatis & fratrum cum oratione deferens tyranno. Et quia
Iob. 12. simplicitas iusti, secundum Iob, lampas est contēpta in oculis malorum, tyrānus sermones eius paruipendens & irridens ait; Domine expectate donec pransus fueritis, tunc enim respondebitur vobis. Hora prandij ad mensam communem positus est, & cibaria communia, carnes scilicet in bona quantitate ei, sicut cæteris sunt appositæ. Vir sanctus, verbi Abbatis sui reminiscens, & carnes, quæ lautè ministrabantur, de pecoribus monasterij sui esse non dubitans, quātum ex carnibus sumere potuit, cum cæteris, ne inobediens esset, manducauit Dominus castri ex opposito cum vxore residens, & quia monachus māducaret carnes, satis considerās, finito prandio hominem vocauit seorsum, & ait;

Dicite

Dicite mihi bone domine, solet conuentus vester māducare carnes? Respondente illo; Nequaquam. Adiecit; Quid cùm exeunt? Nec intus, inquit, nec extra carnes comedunt. Tunc tyrannus; Et quare vos comedistis hodie illas? Respondit monachus; Cùm Abbas meus huc me mitteret præcepit mihi, vt quicquid ex pecoribus rehabere possem, accipere non recusarem; & quia mihi constabat carnes appositas fuisse monasterij mei, item quia timui nil amplius mihi fore restituendum, nisi quantum dentibus capere possem, comedi propter obedientiam, ne omnino vacuus redirē. Et quia Deus simplicem non proijcit, nec porrigit manum impijs, scilicet contra illum, audito eius verbo, & in simplicitate eius motus, imò à spiritu Sancto, qui per os senis loquebatur, admonitus, respondit vir nobilis; Expectate me hic, ego consilium habebo cum venisset, & senis ei verba per ordinem recitasset, adiecit; Timeo celerem Dei super me vindictam, si vir iste tam simplex, & tam rectus, aliquam nuno à me passus fuerit repulsam: Similiter & illa respondit, quia eodem spiritu accensa fuit. Reuersus ad senem ait; Bone pater, propter sanctam simplicitatem vestram, quæ me ad misericordiam reflexit, monasterio vestro quicquid adhuc de pecoribus est restituam, de illatis à me iniurijs in quantum potero satisfaciam, & nunquam ab hac die illud turbabo. Ad quod verbum senex gratias illi referens, cum rapina ad monasterium lætus redijt, & Abbate & fratribus stupentibus, verba potentis retulit. Pacem ab illo tempore habentes, quanta esset virtus simplicitatis exemplo didicerunt. Ecce hic exemplum, quod opus aliquādo per se* malum, propter oculum simplicem efficiatur lucidum & bonum. Reuera monachus idem come-

dendo

* Per se malum, vocat prohibitum.

dēdo carnes,& hoc in castro,peccasset,si simplicitas illum non excusasset. Quod autem non solùm non peccauerit,imò etiam meruerit, rei exitus ostendit. APOLLONIVS:Peccant ne illi, qui monachis exeuntibus carnes,saginam, vel ius carnium apponunt, & illos artificio vt comedant, decipiũt. CAESARIVS:Non videntur peccare, si eos impellit necessitas hospitalitatis, vel, quod dignius est, feruor charitatis.Edentem excusat à peccato ignorantia,vel simplicitas; ministrantem,vt dixi,charitas.Ecce exemplum.

CAPVT III.

Religiosis cibos, ipsis vetitos, apponentes sine peccato.

BOnę memorię Christianus Decanus Bonnensis,vir bonæ vitæ,& valdè literatus, qui apud nos nouitius defunctus est,cùm in virtute hospitalitatis plurimum feruerет, die quadam Hermannum Abbatem de Hemmenrode, quōdam Decanum sanctorum Apostolorū in Colonia, virum æquè literatum ac discretum, ad mensam suam inuitauit. Et cùm non esset ibi pulmentum sine carnibus,secretè præcepit ministro, vt lardum extraheret,sicque pisa Abbati apponeret. Comedente illo simpliciter apposita,monachus eius, qui tam simplex non fuit, particulam lardi in scutella sua reperiens, Abbati mox ostendit, qua visa, statim scutellam Abbas amouit propter conscientiam. Venientibus eis in viam Abbas de curiositate monachum arguit,dicēs;Malè habeas,quod hodie abstulisti mihi pulmentum meum,si tacuisses, ego ignoranter comedens non peccassem. Facto huic contrarium recordor fecisse Danielem Sconauiæ.

CAPVT IIII.

TEmpore quodam,cū idem Daniel tunc Prior noster, pranderet in Sygeberg, & esset cum eo frater Godeschalcus de Volmūsteine, monachus simplex & iustus,appositæ sunt eis à fratribus eiusdem cœnobij artocreæ, in sagimine decoctæ. Quod Prior mox odoratu deprehendens, comedere noluit, non tamen monachum comedere prohibuit. Finito prandio, cùm loqui possent, dixit Gedescalcus Priori; Domine Prior, quare non comedistis de artocreis? Valde enim erant bonæ. Respondit ille; Non mirum si valde erant bonæ, quia valdè bene erant sagiminatæ.Et quare,inquit, hoc non signastis mihi? Respondit Prior; Ego nolui vobis auferre cibum vestrum;nolite contristari,quia ignorantia excusat vos.Erat enim idem Daniel vir litteratus,& ante conuersionem Scholasticus. APOLLONIVS:Non miror quod monachi quandoque decipiuntur in sagimine, & carnium pinguedine, sed quod tā simplices sūt aliqui, quod in grossa substantia, id est, in ipsis carnibus seduci possunt, satis admiror. CAESARIVS: Puto hoc quandoque fieri propter charitatem ministrantiū. Cùm sanctus Theophilus Alexandrinus episcopus, tempore quodā plures ex sanctis patribus ad prandium inuitasset, eisque carnes ex auibus apposuisset, putabant se omnes olera comedere, donec ab ipso proditum est, quod appositum fuerat; non enim erat illis visus cum gustu ablatus, sed propter charitatem ministrantis, diuinitùs immutatus. Simile penè egit Dominus Enffridus Decanus sancti Andreæ tēporibus meis. Hoc etiam noueris, quod ex dissuetudine, scientia discernendi inter cibos, gustui minuatur. Non enim mirum si dominus Theobaldus Abbas Eberbacensis, qui in quinquaginta sex annis, quibus in ordine fuit,nūquam carnes comedit, sub typo piscium illas comedendo, falli potuerit: prædictus enim Enffridus pro Rhōbo,monachis carnes apposuit, & illi comederunt. APOLLONIVS: Casum hunc plenius nosse vellem.

lem. CAESARIVS: Viri huius venerabilis vita mi-
sericordiæ operibus extitit ornata, vt digna sit po-
ni super candelabrum. Casum de quo quæris, & re-
liqua eius opera, quæ ex parte vidi, & ex parte alijs
referentibus didici, fida tibi pandam relatione. In
eadem enim ecclesia, in qua Decanus fuit, literas
didici, & pœnitet me nunc de eius virtutibus tam
pauca inuestigasse.

CAPVT V.

Enffridi Decani ad S. Andream Coloniæ, vita.

IGitur Enffridus de episcopatu Coloniensi ori-
undus, fuit vir simplex, & rectus, & in miseri-
cordiæ operibus præcipuus. Qualis eius vita
ante sacerdotium fuerit, vel quid in adolescentia
egerit, nescio: quod autem cum illo creuerit, & co-
aluerit miseratio, ex actibus eius sequentibus col-
ligo. Quod autem docilis fuerit ingenio, solicitus
in discedo, effectus cõprobauit. Adeo enim in pue-
rilibus fundatus erat, vt sicut ab eo audiui inue-
nis, scholas regeret, pueros ipsos erudiret, & plu-
rimos tam verbo, quàm exemplo, nõ solùm ad dis-
cendum, sed, quod pluris erat, ad bene viuendum
informaret. Ordinatus sacerdos, ecclesiam in Sy-
geberg, parœciam scilicet bonam, id est, oblatio-
nibus pinguem, regendam suscepit, in qua scien-
tiam in actum produxit; Foris non mansit peregri-
Iob. 31. nus, ostium eius patuit viatori. Pater erat vidua-
rum, consolator orphanorum, lima peccatorum.
Nam cùm in domo eius plures nutrirentur scho-
lares, & esset columbinæ simplicitatis, tempore
illo, quo matura erant cerasa, dicebat cellerario
suo; Bone fili, licentia pueris, vt ascendant arbo-
res, & de cerasis comedant, quantum volunt, &
quantum possunt, nec est necesse te eis alia dare ci-
baria, quia in nullo cibo tantum delectantur. Non
hoc dicebat ex aliqua tenacitate, sed ex multa cor-
dis sui

dis sui simplicitate. Quod cùm per dies aliquot fa-
ctum fuisset, & licentia pueris esset concessa, sicut
eis placuit, ait illi cellerarius; Certè domine, nisi
pueri alijs vtantur etiam cibarijs, citò deficient.
Et acquieuit statim. Post hæc factus est Coloniæ in
ecclesia sancti Andreæ canonicus, & non multo
post, ob vitæ meritum, in Decanum sublimatus.
Qui licet vitæ esset irreprehensibilis, & polleret
virtute castimoniæ, maximè tamen feruebat in o-
peribus misericordiæ. In parœcia sancti Pauli, quę
attinet ecclesiæ sancti Andreæ, pauper vidua non
fuit, cuius lares ignoraret, quam suis eleëmosynis
non visitaret. Tantum panis ex eius mensa ostia-
tim mendicantibus dabatur, tantum æris ex eius
manibus in gazophylacium Christi, id est, in ma-
nus pauperum, mittebatur, vt multi, qui eius an-
nuos redditus nouerant, mirarentur. Habebat e-
nim cognatum Fredericum nomine eiusdem ec-
clesiæ Canonicum, officio Cellerarium: iste auun-
culum sæpius arguere consueuit de indiscreta li-
beralitate, & ipse versa vice increpabatur ab illo
de nimia parcitate; habebant enim communes ex-
pẽsas, & idcirco satis grauabatur Fredericus, quia
quicquid rapere poterat Decanus, occultè dabat
pauperibus. Tempore quodam idem Fredericus de
officio suo multos & magnos habens porcos, occi-
dit, & in pernas formauit, easque in coquina tem-
pori congruo reseruandas suspendit: quas Deca-
nus frequenter intuens, earumque suspendio satis
inuidens, cùm nullam ex eis à cognato petere pos-
set, vel præsumeret, dolum sanctum, dolum pium,
dolum memoria dignissimum excogitauit. Quo-
tiens neminem sensit esse in coquina, ipsam la-
ter intrans, & nonnunquam nacta occasione pue-
ros emittens, scala suspensorium ascendit, & ex ea
parte pernas, qua muro coniungebantur, omnes

Universidad de Deusto Biblioteca

penò vsque ad medietatem incidit, anteriorem verò integram reliquit, vt aliarum incisiones celarentur. Ista faciebat per dies multos, carnes abscisas viduis, ægenis, atque pupillis distribuens. Quid plura? Tandem furtum rei familiaris cognoscitur, fur quæritur, sed citius inuenitur; Furit clericus, silet Decanus, & cùm ille fratrum præbendam, & totius anni subsidia se perdidisse conquereretur, vir sanctus, verbis quibus potuit, eum lenire studuit, dicens; Bone cognate, melius est vt modicum defectum patiaris, quàm pauperes moriantur; bene tibi Dominus restituet. Quibus verbis placatus tacuit. Alio tempore eunte eo ad Sanctum Gereonem, puto quod in solennitate fuerit eiusdem martyris, pauper eum importunis clamoribus sequebatur, & cum non haberet quod illi dare posset, scholarem se sequẽtem paululum antecedere iussit, secedensque in angulum iuxta ecclesiam Beatæ Dei genetricis Mariæ, (vbi Episcopis in die Palmarum consuetudinis est populo facere indulgentiam) quia vestem aliam exuere non potuit, aspiciente paupere femoralia sua soluit, & cadere dimisit, quæ ille leuans, gaudens discessit. Quam virtutem cùm vir sanctus occultare vellet, nutu Dei tali occasione posita est super candelabrum, vt postea esset in exemplum. reuersus à Sancto Gereone, cùm ad prunas sederet, nec pelliceum se calefacturus, secundum consuetudinem leuaret, dixit ei præfatus Fredericus; Leuate pelliceum, & calefacite vos; erat enim frigus, & ipse senex homo erat. Respondente eo; Non est necesse, subiunxit ille; Satis puto quod nõ habeatis braccas, hoc ipsum in rubore vultus eius considerans. Tandem ille cõfessus est, sibi illas delapsas fuisse, tacita virtute. Ad quod verbum clericus risit, per os cuius hæc publicata sunt. APOLLONIVS: Tale aliquid non legitur

Nota consuetudinem antiquam Ecclesiæ Colon.

legitur in actis Sancti Martini: plus fuit braccas dare, quam pallium diuidere. CAESARIVS: Propter hæc, aliaque eius facta, etiam quidam dixerũt, nunquam se legisse de aliquo homine, qui tantæ fuerit circa pauperes compassionis, tantæ misericordiæ, ac pietatis. Vestimenta sua pauperibus penè sine discretione largiebatur, & cùm algeret, aliaq; mitterentur, simile de illis faciebat. Semper habebat in corde illud Saluatoris; Date, & dabitur vobis. Compassus est ei venerabilis plebanus Sancti Iacobi dominus Euerhardus, cuius memini in distinctione quarta, capitulo nonagesimo octauo, quibus erat in Domino cor vnum & anima vna; cumque vellet ei vestem aliquam dare, vt illa diutius vteretur, dixit; Ego vobis hanc vestem accommodabo. APOLLONIVS: Puto quod multum liberalis fuerit circa hospites, qui sic profusus extitit circa pauperes. CAES. Quanta illos charitate susceperit, sequens narratio declarabit. Cùm die quadam viros religiosos, non mihi constat vtrum fuerint Cisterciensis, vel Præmonstratenses, hospitio suscepisset, & cibi regulares deessent, piscesque non haberet, dicebat coco suo; Pisces non habemus, monachi simplices sunt & esuriunt, vade accipe * ositium, & ossibus eiectis, cum piperamẽtis præpara, sicque appones & dices; Comedite de bono rhombo. Quod cùm factum fuisset, illi, sicut viri boni & simplices, boni sui hospitis ac simplicis pium dolum non obseruantes, nihil etiam, tum propter regulare silentium, tum propter conscientiam, interrogantes, apposita pro pisce comederunt. Scutella penè euacuata, cùm vnus auriculam porcinam reperisset, & socio, vidente Decano, ostẽdisset, aliquid indignationis simulans intulit; Comedite pro Deo, monachi non debent esse tam curiosi; rhombus etiam aures habet. Humani generis inimi-

Luc. 6.

Actor. 4.

** alias esicium.*

inimicus diabolus, tantis virtutibus inuidens, illumque turbare volens, visibiliter tempore quodã se eius obtutibus obiecit, & versibus his eum alloquens disparuit:

Mors exemplificat, quod longius haud tibi restat
Vita, nec incolumis amplius Effrid eris.

Vides quanta sit versuti diaboli stultitia? In quo virum sanctum putabat se impedire, in hoc illum promouit. Nam postea circa annos triginta vixit, tanto in operibus iustitiæ feruentior, quanto prophetatus est morti fore vicinior. In quadam solennitate, cùm eum Dominus Adolphus, maioris ecclesiæ Decanus, postea Coloniensis Archiepiscopus, ad conuiuium suum inuitasset, renuit ille, dicens se magnos hospites habere: dicta Missa, cùm ad domum suam vir beatus festinaret, Godefridus eius concanonicus, maioris Decani notarius, qui mihi ista recitauit, de fenestra solarij portæ clericorum respiciens, vidit plures pauperes illum sequentes, ex quibus alij claudi, alij surdi, alij cæci fuêre; & cùm non possent transire lapides, qui plateas illic diuidunt, ipse, cùm esset ætatis decrepitæ, manum singulis porrigebat. Satim clericus dominum suum ad fenestram vocans, ait; Ecce domine, isti sunt magni hospites, quos Decanus meus dicebat se habere; & non modicum ædificatus est vterque. Aliud quoddam pietatis opus simile huic ego de illo vidi. In anniuersario domini Brunonis Coloniensis Archiepiscopi, ecclesijs conuentualibus ad ecclesiam Sancti Panthaleonis martyris (quam idem Bruno construxit) confluentibus, cùm dicta pro anima eius missa, Priores, secundum institutum, refectorium pransum intrassent, dominum Enffridum, nescio quot pauperes sequebantur ad ostium refectorij, quem cùm

cùm refectorarius introducere vellet, pauperibus exclusis, commotus ille clamauit; Ego sine istis hodie non intrabo. Nouerat vir prudentissimus, pauperes esse amicos Dei, camerarios cæli, bene habẽs in memoria consilium illud filij Dei; Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Hinc est quod tempore quodam, cùm positus fuisset ante reliquias, monere intrantes vt darẽt eleemosynas ad ædificia ecclesiæ, cuius tunc custos erat, his verbis populum allocutus est; Boni homines, bene videtis quàm grandia disposita sint hic ẹdificia, bene quidem facietis dando eleemosynas vestras ad illa, melius tamen & tutius in pauperes eas locatis. Hanc prædicationem, bonæ memoriæ Fredericus monachus noster, intrans cum militibus ecclesiam Sancti Andreæ tunc audiuit, mihiq; postea sæpius illam recitauit. Personas Deum timẽtes, vt & ipse illarum meritis esset particeps, de suo stipendio pascere curauit. Vnde & venerabilem illam inclusam ordinis nostri, dominam Heylekam, secundũ nomen suum verè sanctam, cuius cella monasterio Sancti Andreæ adhærebat, de sua præbenda, quoad vixit, sustentauit: aliorum enim eleẽmosynas beata illa recipere recusauit. Solebat autẽ inopes appellare thesauros cælestes, quos tinea non demolitur, & quos fures non effodiunt, neq; furantur. Vnde sicut suprà dictum est, multo illi amplior cura fuit de consolatione pauperum, quàm de ædificijs, vel thesauris, & ornamẽtis perituris ecclesiarum. Pueros pauperes, manus vlcerosas, & valde neglectas habentes, quando secretius epulabatur, ad mẽsam suam posuit, & de scutella sua comedere præcepit. APOLLONIVS: Satis admiror Decani huius pietatem, humilitatem, simplicitatem. CAES. Audi vnde amplius mireris. Ciuis quidã Coloniensis

 nomine

nomine Lambertus familiaris illi erat, & in vicino manebat: iste cùm die quadam cum supradicto Godefrido notario cœnaret, & confabularentur de eleëmosynis domini Enfridi, ait me audiente; Dicam vobis qualiter me tractauerit; Tẽpore quodam inuitauerat me & vxorem meam ad cœnam suam, sedentibus nobis in mensa cum illo, diu eramus ferculum aliquod expectantes, nil ante nos præter solum panem habentes; & quia bene noueram consuetudines eius, vocaui ad me vnũ de pueris, in aurem illi hæc dicens; Dic bone, dabitur nobis aliquid ad comedendum? Respondente illo; Nihil habemus, sufficienter enim vobis fuerat præparatum, sed dominus meus ante horam refectionis coquinam intrauit, & præparata, etiam nobis reclamantibus, pauperibus diuisit. Tunc ego subridens, eundem puerum ad domum meam misi, & tantum est de cibarijs allatum, vt omnibus conuiuis nostris sufficeret. Die quadam cùm coquinam eius intrassem, & anseres nescio quot versarentur ad ignem, dixi in corde meo; Certè procurat bene familiam suam Decanus iste. Assis verò anseribus, ipse intrauit, eisque concisis, & per scutellas ordinatis, viduis atque egentibus totaliter misit. Sæpè ei mittebantur anseres & pulli, tum ex officio decaniæ, tum ex dono, quia multi eum venerabantur, cognoscentes eius charitatem, & quia multæ fuerat pietatis: quicquid ex eis, siue fratribus, siue alijs suis vicinis mittere voluit, vt statim comederent, non viuum, sed occisum transmisit. Tantæ, vt sæpè dixi, circa pauperes compassionis erat, vt quandoque faceret, quod secundum humanum iudicium minus rectum videbatur. Ciuis quidam de Colonia, sicut mihi retulit quidam ex sacerdotibus sancti Andreæ, vxorem propriam minus diligens, sæpè illam affligebat, propter quod illa furata est ei

est ei pecuniam in bona quantitate. Cui cùm maritus crimen imponeret, & ipsa fortiter negaret, timens ab illo deprehendi, pecuniam proiecit in cloacam. Postea dolens de facto, ad Decanum venit, furtiquè causam per confessionem aperuit, & satis puto virum sanctum illi suasisse, vt pecuniam marito proderet; sed illa, quia cum iuramento negauerat, facere non audebat, timens propter hoc amplius affligi. Cui Decanus respondit; Si potero pecuniam habere sine nota, vis vt detur pauperibus? Dicẽte illa; hoc omnibus modis desidero; post aliquot dies Decanus locutus est ciui; Vis mihi licentiam dare, vt purgari faciam cloacam tuam, & si aliquid mihi dominus ibi dederit inde tollam? Sciens ille eum virum sanctum esse, cogitans quia Deus aliquid ei reuelasset, licentiauit. Purgata est cloaca, inuenta est pecunia, & infra dies paucos per manus hominis pauperibus erogata. APOLLONIVS In hoc loco posset detractor figere dentem. CAESARIVS: Tria videntur eum hic excusare, à peccato. Primum, quod pecunia eadem sicut mariti, ita & fœminæ fuit. Secundum, quod perdita fuit, quam propter confessionem prodere non licuit. Tertiò, quod pauperibus eã distribuit. Nouissimè charitas, quæ eum ad hoc instigauit. Solent enim sacerdotes sæpè licentiare fœminis, vt maritis suis auaris, & immisericordibus rapiant & largiantur. Fecit & aliud quiddam quod magis huic disputabile fuit. Dum nil haberet ad comedendũ, pistrinum fratrum intrauit, & cùm essent panes ordinati & positi in tabula ad deportãdum, cuius essent illi, vel illi, pistorem interrogauit. Expeditus à singulis à pistore, panes illorum, quos nouerat esse diuites, in domum suam deportari iussit, dicens; Illi abundant, & ego nil habeo quod comedam. APOLLONIVS: Quomodo excusabitur hoc factum?

Universidad de Deusto Biblioteca

ctum? CAESARIVS: Multa licet sanctis, quæ
2. Cor. 3. his qui sancti non sunt, non licent. Vbi spiritus Dei, ibi libertas. Vnde auctoritas: Habe charitatem, & fac quicquid vis. Excusauit eum charitas, excusauit eum necessitas, excusauit eum auctoritas, excusauit eum fraternitas. Charitas, quia consolatio pauperum fecit illum egere. Necessitas verò, quæ legem non habet, de qua Rodolphus maioris ecclesiæ in Colonia scholasticus sic discipulis suis dicere consueuit: Antequam fame morerer, de panibus raperem crucifixi quod comederem. Excusauit eum quodammodo auctoritas, quia Decanus erat, & pater fratrum. Fraternitas, quia iudicabat omnia omnibus esse debere communia, sicut & sua omnia fuerant communia. Cùm iam ex defectu corporis ætatisque senilis, diem mortis suæ sibi imminere sentiret, ne pauperem spiritum aliqua terrena possessio repatriantem oneraret, domum suam vendidit, pretiumque illius, non cognatis, non amicis, sed Christi pauperibus proprijs manibus diuisit. Nouerat enim concanonicos manus fideles post mortem minus esse fideles. Cui cùm diceret is, qui domum emerat, quidam ecclesiæ illius sacerdos, atque concanonicus, nomine Conradus; Domine, ego volo habere domum meam. Respódit ille valdè simpliciter; Bone Conrade, homo sum decrepitus & senex, citò moriar, expecta paululum, bene habebis eam; Vbi vis vt maneam interim? Ille vir bonus, de necessitate faciens virtutem, satis patienter obitum eius expectauit. Tantæ igitur pietatis extitit vir beatus, vt sæpè in porticu ecclesiæ sedens, cùm pauperes musso, quem de nemore collegerant, oneratos præterire cerneret emeret ipse, nó quod eo in aliquo indigeret, sed vt pauperes à labore liberaret. De quo etiã retulit mihi Reinerus

nerus monachus noster, quandoq; eiusdem ecclesiæ scholasticus, quod die quadam, cùm quidã pauper plurima flebella portaret venalia in iam dicta porticu, nec vendere posset, sibi illum dixisse; Reinere eme flabella ista: cui cùm diceret; Domine nó eis indigeo; Respondit; Eme & da amicis tuis; qui emit illa sciens copassionem Decani sui tãtùm esse in causa. Misericordiæ visceribus ita abundauit, vt sustinere non posset, in quantũ vetare potuit, vt aliquis cæderetur, vel iniuriaretur. Die quadã, cùm in scholis clamores cuiusdã canonici, qui grauiter excesserat, & à quatuor scholaribus ad verberandũ tenebat, pręteriens audisset, scholas anhelus intrauit, & sicut leo accurrẽs, baculumq; contra scholasticũ & suum concanonicũ leuans, puerum de manibus eius liberauit; Quid agis, inquit, tyrãne? Positus es vt scholares doceas, nó vt occidas. Ad cp verbũ ille confusus obmutuit. Quãtæ fuerit patientiç, lectio sequens declarabit. Die quadã sedente eo secundũ cõsuetudinẽ in ecclesia, sicut puto inter nonã & vesperã, Scot' quidã homo miserabilis & frequẽter ebrius, presbiterij q; honore prorsus indignus, ad solũ solus accessit, & caputio illum trahens, extracto cultello minatus est ei dicẽs; Si nõ dederis mihi aliqd, modo occidã te. Nutu Dei, canonicus quidã iuuenis & fortis superueniens, Scotum durè satis abstraxit, quẽ cum cædere vellet, morteq; dignũ iudicaret, cõpescuit eum vir mitissimus dicẽs; Ne turberis frater, vide ne lædas eũ, in ioco enim fecit hoc. Nemini reddidit malum pro malo, quia simplicitas colũbina regnabat in illo. Et cùm esset, vt sępe dictũ est mirę misericordiæ, feruebat tamẽ zelo iustitiæ. Tempore quodam obuiam habuit Abbatissam sanctarum virginum vndecim miliũ; præcedebant illam clerici mantellis graseis

monia-

monialium circumamicti, sequebantur domicillæ & pedissequæ verborum inutilium strepitu aërem replentes; Decanum verò inopes sequebantur, eleëmosynam ab illo postulantes. Accensus verò vir iustus zelo disciplinæ, cunctis audientibus exclamauit; O domina Abbatissa, magis deceret vestram professionem, plus vestram decoraret religionem, vt vos, sicut me, sequerentur pauperes, non histriones. Et erubuit illa valdè, nihil præsumens tanto viro respondere. Tantus ei inerat amor iustitiæ, vt die quadam, cùm nescio quis ipso audiente loqueretur de mala vita clericorum, quasi ex abrupto loquenti responderet: Vnum est qualiter viuant; ac si diceret; De radice mala, non potest surgere arbor bona. Nouerat enim paucos esse clericos, qui canonicè intrassent, ita vt non essent sanguinitæ, id est, à cognatis introducti; vel choritæ, id est, per potentiam magnorum intrusi; siue simoniaci, pecunia scilicet vel obsequijs intromissi. APOLLONIVS: Hoc vitium his temporibus valdè regnat in clero. CAESARIVS: Verum est, maximè in illis ecclesijs, in quibus prælati sine electione stipendia porrigunt: Rudolphus enim Episcopus Leodiensis, ita in simonia gloriabatur, vt tempore quodam, præbenda ecclesiæ suæ cuidam à se vendita, pecuniam ipsam in gremio teneret, & multis coram positis diceret; Ego valdè ecclesiam Leodiensem ditaui, ego redditus illius ampliaui, præbendam enim, quam antecessores mei pro decem marcis vendiderunt, ego ad quadraginta marcas perduxi. Et quia vir sanctus paucos consideraui canonicos suos simpliciter intrare, paucos iudicauit in eis simpliciter viuere, Habebat & cum zelo iustitiæ, amorem & studium regularis disciplinæ. Nam post eum vsque ad hæc tempora, non surrexit Decanus in illa ecclesia, sub quo tantum

vigeret

vigeret disciplina. Etiam cùm esset in ætate occidua, vsque ad diem mortis suæ, non patiebatur se aliquam hebdomadam diuini seruitij præterire. Sæpe missam in conuentu celebrans, alienis brachijs, ne caderet, sustentabatur; Alleluia festiuis diebus, sicut cæteri, ad gradum ipse cantauit; alijs exeuntibus de oratorijs, ipse rarò, nisi ad prandendum, exiuit: & ante altare sanctæ crucis residens, illic horam horæ continuauit. Publicè pœnitentibus, ita erat paratus, vt frequēter cum illis in porticu sedens, chartulas legeret, consolationem impenderet, orationum suffragia scribi faceret. Tantæ erat humilitatis, vt cùm omnium esset supremus, tam ætate, quàm dignitate, exceptis præcipuis solennitatibus, semper penè locum chori nouissimum teneret. Vestimenta eius satis despecta erant, & humillima, non grisea: non varia, sed ouina, eiusdem generis * pallio vtens. APOLLONIVS: Quid est quod de tanto viro nullum refers miraculum? CAESARIVS: Quis maior Ioanne Baptista? Nullum signum fecisse legitur, quod de Iuda proditore Euāgelium prodit. Vnde quibusdam nunc in CHRISTI nomine miracula facientibus, ipse in fine dicturus est; Nescio vos vnde sitis; Discedite à me omnes operarij iniquitatis. Miracula de substantia sanctitatis non sunt, sed signa sanctitatis. Volens Dominus militem suum emeritum remunerare post laborem, tali illum ordine vocauit ad gloriā. In vigilia dominicæ resurrectionis, cùm expectaretur ad solenne officium, eò quod hebdomadarius esset, repentè cœpit viribus destitui; vocatus est supradictus Reinerus, qui per tactum venæ, illius in ianuis mortem sentiens, de sacra inunctione eum monuit, modicum medicinæ confortatiuæ ori eius imponens; quam cùm ille expueret & diceret; ege missam in conuentu celebrabo,

*Aliàs pileo.

Ioan. 10.

Marci 6.

Matth. 7.

Lucæ 13.

bo, respondit; missam in hac vita nunquã celebrabitis. Quo audito, se inungi petijt, & cum fratribus psalmos & litaniã decantauit. Circa horã nonam Christo reddidit spiritum, sociandus spiritus iustorum. Sequenti die post sanctum pascha cùm tumularetur, Dominus Euerhardus Sãcti Iacobi plebanus, cuius vitam virtutibus plenã in distinctione quarta capite xcviij. descripsi, in audiẽtia multorũ, tale de illo testimonium dedit; Hodie, inquit, hîc terræ cõmendatur caro sanctissima, quæ super terram vixit. Et quia de miraculis quæstio fuit, post mortem signis non caruit. Sacerdos quidam & stipendiarius ecclesiæ, nomine Adam, sicut mihi retulit ore suo, cùm tempore quodam vehementissimo capitis dolore torqueretur, ad sepulchrum eius accessit, & in hunc modum orauit; Domine, inquit, propter merita sancti huius viri, mitiga dolorem capitis mei. Qui mox exauditus, sanus abcessit, qui infirmus accesserat. Multa adhuc alia fecit iust° iste opera memoria digna, quę studio breuitatis sunt omissa. APOLLONIVS: Vtinam essent tales omnes Decani, tam simplices, & tam sancti. CAESARIVS: Recordor nunc alterius cuiusdam Decani, viri simplicis, ac Deo digni, de cuius virtutibus quædam mihi nuper retulit magister Ioannes Decanus Aquensis, de eadem ciuitate oriundus, in qua idem iustus fuerat Decanus, quæ tecum communicabo.

CAPVT VI.

De virtutibus ac miraculis Hermanni Hildesheimensis Decani.

FVIT temporibus nostris in Hildeshemensi ecclesia, vir bonus, Deoq; charus, nomine Hermannus, varijs virtutibus virtutumque operibus adornatus, vigilijs sanctis orationibus, ieiunijs, & operibus misericordiæ Deo omnipotenti studuit placere. Quibus operibus humani generis inimicus irritatus, cùm illum omnibus modis impediret, dicere ei solitus erat; O multum male diabole, vt quid tantum me vexas? Tempore quodam cum arbusculam in pomario suo plantaret, & trunco illius duas virgas insereret, vna aruit, & altera conualuit. Mox signum petens à Domino ait; Rogo te omnipotens Deus, vt si voluntas tua sit, vt sacerdos fiam, fac vt surculus hic aridus reuirescat. Mira clementia Christi, statim virga arida succo cœpit animari, & tempore suo fructificare; sicque virtus diuina, quæ Aaron primum sacerdotem per virgam aridam contra naturam florentem in sacerdotio confirmauit, hunc virum sacerdotio dignum, eadem virtute præostendit. Post cuius mortem cùm quidam eius clericus Euerhardus nomine, cui ecclesiam viuus contulerat, visum perdidisset, & quotidie ad illius tumbam, in sanctitate ac pietate eius spem habens, oraret, postulans se propter merita domini sui illuminari, Sanctus Hermannus die quadam visibiliter illi apparens, ait; Quid vis vt faciam tibi? dicente cæco; Domine vt videam; voce euangelica sanctus ille respondit; Respice, nam fides tua te saluum fecit: eadem hora clericus lumen recepit, & quia Dominus mirificasset sanctum suum in seipso expertus, quàm diu vixit, gratias egit. Postea cùm quidam ægrotus ad memoriam martyrum fuisset deportatus, nec sanatus, consilio cuiusdam, iam dicto confessori votum fecit, & conualuit. Factum est, vt in vniuersaria die domini Hermanni ecclesiam intraret, & compulsantibus campanis, cùm ille causam inquireret; & quidam ei responderunt; Hodie dies est anniuersaria domini Hermanni ecclesiæ huius quandoque Decani, viri boni, & iusti, & dicenda est missa in conuentu pro eo; respondit homo; Rogo vt ostendas mihi sepulchrũ eius. Quod cũ ille fecisset; & iste ibidẽ diutissimè

Num. 17.

Luca 18.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

simè ac deuotè oraret, Cantor ecclesiæ hoc considerans, hominem solus conuenit, causam orationis inquisiuit, & agnouit. Sicque per os peregrini ostensa sunt merita dominici, & quem fratres habuerunt Decanum hactenus, nunc inuocare cœperunt patronum. APOLLONIVS: Rara sunt ista tẽporibus nostris. CAESARIVS: Ego supradicti Decani operá pietatis, huius Decani præferò miraculis. Illa enim, vt dixi, sanctum faciũnt, ista sanctum ostendunt. APOLLONIVS: satis placet quod dicis: si adhuc aliqua nosti de operibus simplicitatis, referre ne pigriteris. CAESARIVS: Dicam tibi historiam hominis simplicissimi per naturam, per quam satis cognosces, quantum Deo placeat sancta & prudens simplicitas, quæ habetur per gratiam.

CAPVT VII.

Simplicitatis naturalis exemplum.

IN ecclesia Sancti Gereonis martyris ciuitatis Coloniẽsis, nostris temporibus canonicus quidam extitit, VVerimboldus nomine, genere nobilis, diues satis in stipendijs ecclesiasticis. Hic tãtæ simplicitatis erat, vt nullius rei summam caperet, nisi quantum ex paritate numeri, vel imparitate colligere posset. Cùm tempore quodam multas haberet pernas in coquina sua pẽdentes, ne aliqua ei subtrahi posset, intrauit, & in hunc modum eas numerauit; Ecce perna & eius socia, ecce perna & eius socia, sicque de cæteris. Vna ex illis nequitia seruorum subtracta, cùm iterum intrasset, & prædicto modo suas pernas numerasset, impares inueniens exclamauit; Vnam ex pernis meis perdidi. Cui serui subridentes responderunt; Domine bene inuenietur: illoque educto, cũ vna iterum subtracta numerum parificasset, & sic inductus secundò, eas numerasset, paresque reperisset, satis iocundè dicebat illis; Eya vos domini, nimis diu poterám

ram tacuisse. Quando serui sibi cõuiuia facere voluerunt, dixerũt ad illum; Domine quare non prouidetis vobis? valde enim infirmus estis. Quibus cum diceret, vnde hoc nostis boni pueri? Responderunt; Bene consideramus in capillis vestris, eò quod inflati sint. quem in lecto reclinantes, cibarijs delicatis, quasi eius infirmitati præparatis, seipsos refecerunt. Audiens tantam simplicitatem rusticus quidam nequam & astutus, quia seruus eius esset originarius ab omnibus atauis suis confinxit; Non potui, inquit, domine vt res vestræ tali modo distrahantur sufferre, vel quod sic negligantur, seruus enim vester sum, iustum est vt nobilitati vestræ seruiam, & quæ vestra sunt fideliter custodiam. Quid plura? Commissa sunt ei omnia: qui noctibus, cùm dominus eius isset dormitum, ad prunas cum seruis sedit, & potationibus vacauit. Cùm vice quadam ioculatorem introduxisset, & ille dulcedine fialæ dormientem excitasset, surgenti seruus occurrit dicens; Quo vultis ire domine? Respondẽte illo; Melodiam audio dulcissimam, sed nescio vbi sit. seruus subiunxit. Redite ad lectum vestrum, monachi Tuitienses in organis cantant. APOLLONIVS: Puto quod peccent, qui sic simplices irridẽt. CAESARIVS: Hoc fixum teneas, audi quid Sanctus Iob dicat; Deridetur enim iusti simplicitas: super quem locum dicit Gregorius; Iustorum simplicitas irridetur, quia ab huius mundi sapientibus puritatis virtus, fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis procul dubio stultitia putatur, & quicquid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat. APOLLONIVS: Vigetur mihi vir iste magis fuisse stolidus, quàm simplex, quia simplicitas, prudentia carere non debet. CAESARIVS: Prudentia in præcauendis malis

Iob. 12.

Greg. l. 10. Moral. cap. 27.

consistit, cuius virtutis expers nõ fuit; igitur diuino nutu factum est, vt in Ecclesia sancti Gereonis, cuius redditus multi sunt & ampli, Cellerarius efficeretur. Et, sicut legitur de Sancto Ioseph, cùm nihil nosset nisi panem, quo vescebatur, nec hoc ad plenum, Dominus, cui accepta est simplicitas, defectum eius suppleuit, & omnia, ad quę suas manus misit, benedixit. Die quadam intrans granariũ ecclesiæ, cum plures cattos in annona discurrere vidisset, vix horã capituli expectare potuit, Prosternens se ante pedes Decani, officij sui petiuit absolutionem, clauibus resignatis. Dicente Decano & fratribus; Bone domine VVerimbolde, quid habetis cur ista facitis? Respondit Quia non possum videre damnum ecclesiæ. Quale, inquiunt, damnum ecclesiæ. Quale, inquiunt, damnum: Et ille; Hodie plures cattos vidi in granario, qui totam annonam vestram deuorabunt. Rogantibus illis & dicentibus; Catti annonam non comedunt, sed mundant, vt claues reciperet, vix obtinuerunt. Experimẽto enim didicerãt, quod benedixit eis Dominus propter simplicitatẽ illius. Vice quadam, cùm diuersæ monetæ ex diuersis censibus pecuniam haberet, quidam ex seruis eius partem furtiuè tulit & fugit. Quo cognito, cùm grauiter lamentaretur, consolãtibus se respõdit; Ego non defleo damnum, sed periculum; Denarij datiui non sunt, miser capietur, & si pro eis fuerit damnatus, ego reus mortis ero illius. APOLLONIVS: Tales viri temporibus istis non eligerentur in Cellerario. CAESARIVS: Sicut mutantur tempora, ita & homines: nam vsque hodie frequenter contingit, vt sub prælatis, & officialibus simplicibus, domus religiosę in extetioribus proficiant, & sub astutis & in schola mundi exercitatis.

CAP.

CAPVT VIII.

APud monasterium sancti Nicolai in villa Bruvvilre, monachus fuit simplicissimus, nomine Christianus; huic Abbas Cellerarij officium iniunxit: Deus verò, qui amator est rectæ simplicitatis, omnia opera eius dirigebat, ita vt tempore prouisionis eius plus abundaret domus in omnibus necessarijs, quàm antea, vel post. Sæpius ei serui mercenarij annonam, vinum, & alia quàm plura furati sunt, vxoribus & liberis suis ea deferentes; & cum sciret, & quandoq; videret, ex multa cordis pietate videre se dissimulauit, dicens intra se; Isti pauperes sunt & indigẽt, fratribus necessaria non deerunt. Simplex quandoq; mimo vel ioculatori comparatur; sicut illius verba, vel opera in eorum ore vel manibus, qui ioculator nõ est sæpè displicent, & pœnâ digni sunt apud homines, quæ tamen ab his dicta vel facta, placent: ita est de simplicibus, qui, vt sic dicã, ioculatores Dei sunt, sanctorumq; angelorum: quorum opera si hi, qui simplices non sunt, quandoque facerent, haud dubium quin Deum offenderent, qui in eis, dum per simplices fiunt, delectatur.

CAPVT IX.

IN Porceto monachus quidam fuit tantæ simplicitatis, vt singulis penè diebus in balneis, quæ ibi ante ostiũ monasterij naturaliter calẽt, inter pauperes sederẽt, & pauperũ dorsa fricaret, capita ablueret, vestimẽta mundaret. Pro qua re cùm tam ab Abbate, quàm à fratribus crebrius, & acriùs argueretur, non propter hoc dimisit, sed his verbis

Simplicium acta Deo placent.

Universidad de Deusto Biblioteca

valdè simpliciter respondit; Si ego modò desisterem, quis pauperibus ista exgiberet? Quod si alius, quem simplicitas excusare non posset, talia præsumpsisset contra Abbatis sui imperium, haud dubium quin Deum grauiter offendisset: Melior est enim obedientia, quàm stultorum victimæ. Quod autem prædicti simplicis opera Deo placuerint, sequens miraculum declarabit. Tempore quodàm, cùm orationis causa isset Coloniam, in domo cuiusdam Abrahæ hospitatus est: nocte eadem, cùm signum matutinarum pulsaretur in ecclesia beati Petri, surrexit, illucq; festinans, cùm solarij fenestram, in quo dormiebat, vidisset apertam, ostium esse putans, per eam exiuit, sicq; mirabiliter depositus ad ecclesiam peruenit. Finitis matutinis rediens, cùm ad ianuam domus pulsaret, & interrogaretur ab intromittentibus; vnde veniret, vel vbi exiuisset, ex eius responsione, quod nõ per ostium, sed per fenestram egressus fuerit, cognouerũt: ipse sibi tamen eiusdem miraculi conscius non fuit. Et cùm eadem fenestra, bene mihi nota, satis alta sit, haud dubium quin à sanctis angelis depositus sit, vt impleretur in eo quod de capite scriptũ est; Quoniam angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Quàm fidus custos simplicium sit Dominus, sequens ostendit relatio.

Eccle. 4.

Psalm. 90.

CAPVT X.

Simplices à Deo custodiuntur.

HOmo quidam simplex Engilbertus nomine, de prouincia Tulpeti natus, ante paucos annos defunctus est. Iste cum esset cœcus nat°, propter varia dona, quibus hominem eius interiorem illuminauerat gratia diuina, in diuersis prouincijs noscebatur, & à multis, magnisq; personis, sexus vtriusq; venerabatur. In cappa simplici, & tunica

tunica lanea, nudisq; pedibus, tam æstate, quã hyeme incedebat, & puero se regẽte, sic limina sanctorum satis remota sæpius visitauit; carnibus nunquã vescebatur, non lectisternijs, sed modico tantum straminis vel fœni noctibus vtebatur. Ego multa bona de eo vidi, & ipse multos, tam verbo, quàm exẽplo ædificauit. Hic tempore adolescentiæ, cùm nocte quadam in domo materterę suæ, matronę diuitis, inter alios eius seruos se cubitum locasset, in ipso conticinio, duo fures parietẽ suffodientes ingressi sunt, qui igne discooperto, lumine incenso, cistis apertis, intrepidè colloquebanẽ: quos vt prædictus Engilbertus audiuit, & fures eos esse nõ dubitauit, cùm seruos, ex vtroq; latere dormiẽtes excitare non posset, subsellio cultello suo perforato collo iniecit, & claua manũ armauit. Et quia illos quasi cœcus videre nõ potuit, duce auditu ad illos tendens, & clauam vtraq; manu vibrans, ex omni parte quicquid tãgere potuit, quasi furiosus feriẽs, de domo illos eiecit. Quos vsq; ad foramẽ secutus, dũ aditum scala obstrueret, & illi stantes extra domum, neminem præter ipsum solum vigilare sensissent, de tali expulsione confusi, habito consilio, denuo nisi sunt intrare. Quod vt ille ex motu scalę sensit, vnam partem scalæ arcæ magnæ, in qua continebantur grana, & erat foramini cõtinua, supposuit, alteramq; vtraq; manu seruauit. Illos intrantes vsq; ad vmbilicum. Engilbertus dorsa eorum, quia proni iacebant, per scalã fortiter pressit, & in tantum depressit, vt nõ solum eis progressum, imò etiam regressum prorsus adimeret. Qui quasi sub torculari positi, dum manẽ capi timerent, veniam postulauerunt; datis verò terribilibus iuramentis, quod nunquam personam eius læderent, vel domum illam intrarent, dimissi sunt. Manè, cùm prodente Engilberto, à vicinis nulla arte dormien-

mientes possent excitari, & quærerentur circa domum maleficia, quorum virtute hæc nouerant fieri, supra foramen de tecto pendentem quasi spinam humani cadaueris repererunt; qua amota, mox omnes excitati sunt. APOLLONIVS: Magna sunt ista ab homine cœco, & simplice gesta. CAESARIVS: Maius est quod sequitur, quia ad salutem pertinet animarum: nam multis annis elapsis, ijdem fures fama & virtutibus iam dicti Engilberti excitati, eiusque, vt opinor, precibus compuncti, cum adierunt, & quia ipsi essent, confessi, deinceps duxerunt vitam religiosam. Hoc factum mirabile, & alia quædam, de quibus in sequentibus dicetur, ab alijs mihi relata, & vtrum nam vera essent à me interrogatus, ita gesta fuisse simpliciter testatus est. Et quia cum simplicibus sermocinatio Domini est, dedit ei etiam spiritum prophetiæ, vt damnum luminis exterioris, claritate oculorum interiorum compensaretur. Tempore quodam inuitatus à Ducissa Saxoniæ, vxore Henrici ducis, matrona valdè religiosa, inter alia multa quia vnus ex filijs eius Imperator esset futurus prædixit. Quod postea impletum vidimus in Ottone, qui Henrico successit in Imperio. Hic cùm post electionem in maximis fuisset tribulationibus, & penè ab omnibus desperatus, ab eodem cœco confortatus est, eo asserente, quia omnibus modis forent implenda, quæ à Deo fuerant præordinata. Ante illa tempora, cùm Hellvvindis de Giemenich vidua religiosa, ob discordiam duorum comitum terræ nostræ, timeret filijs suis Arnoldo & fratribus eius, ipsumque rogaret, vt pro ipsorum incolumitate Deo supplicaret. Respondit; Ne solicita sis pro ista discordia, quia bene sopietur: verum alia multo maior in ianuis est, pro qua non solùm filij tui, sed

sed tota terra concutietur. Hoc impletum est sub iam dicto Ottone & Philippo eius in regno aduersario. Die quadam eunte eo in quadam strata Coloniæ, occurrerunt ei plures honestæ matronæ eiusdem ciuitatis euntes ad ecclesiam, quæ cùm fabularentur ait; State vos dominæ. Statibus adiecit, Loquatur illa quæ iam loquebatur; hæsitantibus matronis, de qua diceret, ad verbum illius quælibet singulariter, cæteris tacentibus, loquebatur: cùm ventum fuisset ad Astradam, quæ hodie sanctimonialis est in monte sanctæ Vvalburgis, voce eius audita Engelbertus propheticè respondit; Hæc cum omni domo sua cõuertetur ad Christum. Quod non multo post impletum est: nam cũ marito, filio, & filia, quæ hodie Abbatissat in iam dicto cœnobio, seruo & ancilla, in ordinem nostrum venit. Vides quàm celeriter in apertione oris præfatæ fœminæ, Deus reuelauerit auriculam eius. De statu animarum plura dicere consueuit, & nonnunquam, vt aiunt, spiritus erroris, siue humanus, eum fefellit. Nec mirum: non semper Prophetæ loquebantur spiritu prophetiæ sicut Nathan, qui Dauid ad hoc spiritu suo hortabatur, quod spiritus sanctus mox per eum fieri prohibuit. In quadam solemnitate dominæ nostræ sanctæ Mariæ, cùm matertera eius prædicta, vespere iret ad proximam villam propter matutinas, & diceret illi, Engelberte cras mane venias ad me; in ipsa nocte ante lucẽ audiuit vocem cuiusdam ad ostiũ pulsantis atq; dicentis; Engilberte veni, eamus ad matutinas. Quam vocem cùm non agnosceret, surrexit tamen, & secutus est illum, ductusque est in ecclesiam quandam, in qua audiuit matutinas, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam. Deindè dum solus reuerteretur, & vbinam fuisset interrogatus, respondit: Nunquam audiui tam pulchrũ cantum,

1. Par. 17.

tum, tam ſuauem melodiam, miſſam tã glorioſam, ſicut audiui hodie. Et hoc ſequenti anno ei iterum contigit: nondum enim ſuſceperat habitum religioſum. Nocte quadam de lecto ſuo raptus tranſpoſitus eſt iuxta caſtrum Molbach, in ſolitudinem ſatis horrendam: in eodem loco egreſſa anima eius de corpore, vniuerſos angulos, & ſitus eiuſdem ſolitudinis luſtrauit & conſiderauit, ita vt poſtea, eo recitante, multi mirarentur. Regreſſa anima, diabolus erranti occurrit dicens; Corpus tuum meum eſt. Illo ſe ſignante, & ſanctam Dei genitricem inuocante, adiecit; Media pars capitis tui mea eſt, eo quod pulſata veſpera ſabbati fuerit lota; & ſtatim miſit maſſam picis in illam, quæ poſtea cum maximo labore multorũ depoſita eſt. Cùm verò moriturus eſſet, mater eius flens ait; O fili dulciſſimè, modò recedens à me, dimittis me in maxima infirmitate. Reſpondit ille; Sancta Maria liberabit te mater. Eoque expirante, eadem hora ſanata eſt illa ab infirmitate duriſſima, quæ nouem annis laborauerat. Legi in libro viſionum beatæ Azeline, quod in cæleſti manſione ſedem viderit vacuã miræ pulchritudinis & gloriæ, & dictum eſt ei, quod eſſet cuiuſdam cæci de Alemannia, & tatim intellegi de fratre iſto Engelberto. APOLLONIVS: Vt audio, multum Deo chara eſt ſimplicitas. CAESARIVS: Non ſolùm Deo, imò & hominibus placet, & quandoque maioris in auribus eorum efficatiæ, quàm prudentia ſecularis.

CAPVT XI.

Simplicitas etiam apud homines efficax.

DOminus Petrus Abbas Clareuallis, monoculus ex infirmitate, vir ſanctus, nomine & re Petri Apoſtoli imitator, & filius colũbæ, eò quod magnæ & puræ fuerit ſimplicitatis. Cùm ipſo & fratribus eius miles quidam, pro quibuſdã bonis

bonis contendebat; præfixus eſt dies, in quo vel miles cum Abbate componeret, vel coram iudice litem intraret. Venit ad diem miles cum amicis ſuis, venit & Abbas ſolo monacho quodam ſimplice ſecum aſſumpto; non tamen in equis, ſed pedites venerunt. Et cùm eſſet Abbas venerabilis, pacis & paupertatis amator, rerumque tranſeuntium contemptor, coram omnibus dicebat militi; Homo Chriſtianus es, ſi dixeris in verbo veritatis, quod bona iſta, pro quibus contentio eſt, tua ſint, & tua eſſe debeant, bene ſufficiet mihi teſtimonium tuũ. Ille magis curans de bonis obtinendis, quàm de verbo veritatis, reſpondit; In veritate dico quod mea ſint hæc bona. Ad quod Abbas; Sint erga tua tibi, ego de cętero non repetam illa. Sicque reuerſus eſt ad Claramuallem. Miles etiam ad vxorem ſuã, quaſi victor rediẽs, cùm ei per ordinem recitaſſet quid Abbas dixiſſet, vel quid ipſe egiſſet, illa territa ad verba tam pura & tam ſimplicia, reſpondit; Doloſè egiſti contra Abbatem ſanctum, vltio diuina nos puniet; niſi monaſterio bona ſua reſtituas, conſortio meo carebis. Territus ille, ad Claramuallem venit, bonis vltrò renunciauit, de indebita vexatione ſancti Abbatis veniam poſtulauit. Vir iſte beatus temporibus ſeniorum noſtrorum viſitauit in Clauſtro: erat autem ſecundum carnem nobilis, & conſanguineus Philippi regis Franciæ, qui præcipuus amator erat ſanctæ ſimplicitatis.

CAPVT XII.

RETulit mihi Conſtantinus monachus noſter, quod eo tempore, quo Pariſijs in ſtudio fuit, Ioannes Abbas ſancti Victoris, qui natione theutonicus eſt, cum quibuſdam nobilibus & magnis viris pro magno allodio coram rege Philippo placitauerit. Qui cùm ſecum adduxiſſet quoſdã ex fra-

ex fratribus, viros literatos & iurisperitos, haberentq; aduersarij aduocatos in causis exercitatos, partibus hinc inde respondentibus, Abbas simpliciter sedens, nec vnum verbum ad allegata respondit; ita vt magis videretur vacare orationi, quàm allegationi. Hoc cùm Rex considerasset, ait Abbati; Domine Abba, quare vos nihil loquimini? Respondente Abbate multum leniter, & valdè simpliciter; Domine nescio quid loqui. AEdificatus Rex & compunctus subiecit; Reuertimini vos in claustrum vestrum, & ego loquar pro vobis. Post quorum discessum, Rex iram simulans, dixit militibus; Ego præcipio vobis sub interminatione gratiæ meæ, ne de cætero sanctum Abbatem istum inquietetis. Sicq; factum est, vt bona quæ fratres obtinere non poterant per multas querimonias, sola apud regem obtineret Abbatis simplicitas. Et est impletum in eo illud Moysi; Dominus pugnabit pro vobis, & tacebitis. Alijs tibi adhuc ostendam exemplis, qualem locum venerationis in corde eiusdem Regis virtus obtinuit simplicitatis.

Exod. 14.

CAPVT XIII.

TEmpore quodam clerici Laudunenses, episcopo suo defuncto, quendam ex suis fratribus canonicum simplicem in Episcopum eligentes, sub his verbis prædicto Regi illum præsentauerunt; Domine nos præsentamus vobis dominum Emelricum electum nostrum, hoc ei nomen erat. Rege tacente, & formam illius præsentationis considerante, tandem respondit; Quem præsentatis mihi? dominum, inquiunt, Emelricum. Et rex, Vultis aliquid plus dicere? illis timentibus, ne fortè aliquid regi displiceret in persona, vel in verbis præsentationis, responderunt; Nihil domine: Tunc ait rex; Rarò audiui talem præsentationem: quando

quando aliquis mihi præsentatur electus, nomen dignitatis eius exprimitur ab electoribus, in hunc modum; Domine nos præsentamus vobis dominum N. Archidiaconum, Præpositum, Decanum, vel Scholasticum nostrum: fateor vobis, satis mihi placet tam simplex simplicis canonici præsentatio, & idcirco spero quod à Deo facta sit ipsa electio. Nostis qualiter in iam dictis dignitatibus electiones celebrentur? si Scholasticus est, causas canonicorum suorum fouendo, tum propter literaturam, tum propter comparatam amicitiam, ab ipsis in episcopum eligitur. Si Decanus est, hypocrisi sua fratrum excessus dissimulando, cognatos, & amicos introducit, à quibus sublimatur. Si Archidiaconus, vel Præpositus est, vtpote vir nobilis, parentum potentia magis intruditur quàm eligitur. Ecce hæc est causa, quare capita ecclesiæ sint infirma. Deinde conuersus ad electum ait; Domine Emelrice, quia electio vestra videtur mihi esse simplex, rationabilis, & canonica, non vobis deero, vbicunq; mei indigueritis. Lambertus monachus noster, qui mihi hæc retulit, eodem tempore dicit se fuisse Parisijs. Qualis verò ac quantus fuerit huius Regis circa simplices affectus, sequentis operis declarabit effectus.

CAPVT XIIII.

ANte hoc triennium, defuncto Abbate sancti Dionysij, gentis Francorum Apostoli, cùm ditissima illa Abbatia vacaret, & ad eam plures aspirarent, venit ad Regem sæpè dictum is, qui in congregratione videbatur esse potior, Præpositus videlicet pro Abbatia supplicans, & dicés; Domine ecce quingentas offero vobis libras, vt propitius mihi sitis in hac Abbatia. Cui Rex nihil promittens, sed simoniacum muneris receptione, quasi

quasi in arce spei ponens, respondit; Date pecuniã Camerario meo secretè. Recedende igitur Præposito, & quasi de regio fauore certificato, Cellerarius, de his nihil sciens, eundem Regem adijt, & Præposito similia petens, similem pecuniæ quantitatem obtulit; à quo simile responsum accepit. Nouissimè venit thesaurorum infidus custos, & ipse pro Abbatia Regi quingentas libras offerens: cui sicut superioribus responsum est. Et licet rex, sicut homo prudens, dissimularet, plurimum tamen ei displicebat trium illorum monachorum ambitio, & proprietatis vitium, imò tam execrabile furtũ, sciẽs oblatam pecuniam monasterio fuisse subtractam. Præfixit tamen conuentui diem, in qua eis Abbatem constitueret, eò quod Abbatia in manus eius deuoluta fuisset. Sedente Rege in capitulo, verbis ad hoc idoneis præmissis, cùm diligenter circumspiceret, & personas consideraret, tres prædicti monachi, Præpositus videlicet, Cellerarius, & Sacrista in summa expectatione erant positi, singuli per momenta singula Abbatiam sibi sperantes esse porrigendam. Et licet spes sancta non confundat, omnes tamen in sua expectatione sunt confusi: nam Rex videns monachum quendam simplicem in angulo capituli residentem, & nihil minus quã de Abbatia sperantem, inspiratione diuina vt surgeret præcepit. Stante illo cum verecundia coram principe, dictum est ei ab eodem rege; Domine en committo vobis abbatiam sancti Dionysij. Quo audito, homo ille simplex cùm Regi nõ assentiretur, imò fortiter reclamaret, asserans se personam esse humilem, priuatam, & despectam, atq; ad tantam dignitatem nimis indignam, nimisque insufficientem; se vituperando, apud Regem commendauit, & coegit eum. Postea subiecit; Domine, Ecclesia ista plurimis debitis est obligata, nec est vnde soluatur.

Rom. 4.

uatur. Cui Rex subridendo respondit; En in instanti mille quingentas libras vobis dabo, & cùm necesse fuerit, vobis accommodabo pecuniam, insuper auxilium, & consilium impendam. præcepitq; Camerario supradictam pecuniam ei afferri. Adhuc puto viuit, & fortè per eum domus illa melius regitur, quàm per illos esset regenda, qui ad eius regimen aspirauerant. Occurrit mihi & simile huic in hoc exemplo.

CAPVT XV.

ANte hæc tempora, cùm sub imperatore Frederico, huius Frederici auo, vna ex imperialibus Abbatijs vacaret, duoq; electi essent, nec concordare possent, vnus illorum magnam summam argenti, quam in monasterio congregauerat, eidem Frederico obtulit, quatenus sibi assisteret. Et promisit ei pecunia recepta. Postea intelligens aduersarium eius virum esse bonum, simplicem, & ordinatum, cœpit cum suis habere consilium, qualiter indignum amoueret, & ob virtutes suas electum, confirmaret. Et dixit ei quidam; Domine, sicut audiui, monachi omnes ex regula tenẽtur acus portare; sedente vobis in capitulo, dicite illi inordinato, vt ad punctionem digitorum vestrorum acum suam vobis accommodet, & cùm non habuerit, inuenietis contra eum occasionem quasi de irregularitate. Quod cùm factum fuisset, & ille non haberet, ait alteri; Domine prestate vos mihi acum vestram; quam cùm ille mox extraheret, fortè præmonitus; Respondit imperator; Vos estis monachus in ordine iustus, & ideo tanto honore dignus: ego decreueram honorare aduersarium vestrum, sed ille irregularitate sua se reddidit indignum. Bene apparet in his minimis quàm negligens, & dissolutus sit in maximis. Talique sophismate

phiſmate monachum aſtutum Imperator amouit, & ſimplicem in Abbatem promouit. APOLLONIVS: Ignoraui hactenus tantam fuiſſe virtutem in acu. CAESARIVS: Virtus non eſt in acu, ſed acus ſignum virtutis, id eſt, humilitatis eſt in monacho, ad rẽſarciendum veſtimenta ſua diſſoluta portat illam.

CAPVT XVI.

OTTO anteceſſor in imperio iunioris Frederici, qui nunc imperat, cùm die quadam tres Abbates ordinis noſtri illi loquerentur, volens eos probare, vni illorum dicebat: Domine Abba, concedite mihi acum veſtram. Reſpondente eo, Non habeo domine: rogauit ſecundum, qui etiam non habuit. Tertius verò requiſitus, cùm haberet acum, Reſpondit ei Imperator; Vos eſtis verus monachus. Ecce hoc eſt quod iam dixi, acum in monacho ſignum eſſe virtutis.

CAPVT XVII.

Religioſus, etiam quæ modica vidẽtur, negligere nõ debet.

RETVLIT mihi vir quidam religioſus, de quodam monacho ordinis noſtri, rem ſatis terribilem, quæ huic loco ſatis congruit pro exemplo. Cùm acum ſecundum monachorum cõſuetudinem ſanus portare non curaret, vel fortè contemneret, poſito eo in agonia, diabolus adfuit, & acum ignitam, ad humani corporis longitudinem, in manu ferens, iecit ſuper illum dicẽs; Quia acum noluiſti portare ſanus, feras hanc acum moriturus. Qui viſum aſtantibus referens, terruit omnes. APOLLONIVS: Si hæc ita ſe habent, de cætero ſine acu non ero. CAESARIVS: Monachus, niſi neceſſitas excludat, ſine plenitudine ordinis eſſe non debet. APOLLONIVS: Recordor monachorum ſupradictorum, qui pro Abbatijs adipiſcendis pecu-

pecunias obtulerunt: poſſuntné monachi ordinis noſtri, qui pecunias non habent, in talibus ſimoniã facere? CAESAR. Poſſunt vtiq;, quia ſicut ſimonia eſt corporalis, ita & mentalis: hæc facit vt monachus ad dignitates aſpiret, & qualiter adimplere poſſit, diligenter excogitet, vel quod periculoſius eſt, vt fiat, ingenioſè procurat. De hoc tibi referam exemplum, quod nobis retulit dominus Carolus Abbas Vilarienſis, tunc recenter geſtum.

CAPVT XVIII.

Religioſi procurantes dignitates, quomodo fiant ſimoniaci.

ABbas quidam ad quandam veniens incluſam, quam nouerat fœminam eſſe ſanctam, & diuinis reuelationibus aſſuefactam, ait illi; Peto ſoror, vt Deũ roges pro me, quatenus tibi oſtendere dignetur, ſi ei placeat, & mihi expediat, manere in officio huius Abbatiæ. Mox illa ſurgens abijt & orauit, celeriuſq; reuerſa, quæ ſibi fuerant reuelata Abbati manifeſtauit. Non eſt, inquit, voluntas Dei, neque expedit tibi, vt in hac Abbatia maneas, neque ſaluare poteris in ea animam tuam. Quare? quia ſimoniacè intraſti. Abbate ſtupente ſuper hoc verbo, ac dicente; Quid eſt quod loqueris ſoror? non enim mihi alicuius ſimoniæ in electione mea conſcius ſum. Reſpondit illa; Ego tibi oſtendam ſimoniacè intraſſe te. Mortuo anteceſſore tuo, tu ad Abbatiam aſpirans, non ſimpliciter ambulaſti, ſed fratres tuos ſimplices, tali modo nimis aſtutè circumueniſti. Non eſt neceſſe, aiebas, vt aliquam perſonam extra domum noſtram, quæ valde honeſta eſt, eligamus, ne noſipſos cõfundere videamur. Tibi enim conſtabat, quia ſi electio fieret in domo, non aliam, niſi tuã perſonam eſſe eligendam. Ecce ſic factus es Abbas. Quod ille audiẽs, confeſſus eſt, & non negauit, ſtatimq; patrem Abbatem adiens, donec abſolueretur petere non ceſſauit.

cessauit. APOLLONIVS: Si Abbas iste ad abbatiam aspirando tam grauiter peccauit, quid est quod Apostolus dicit: Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat? CAESARIVS: Apostolus non reprehendit episcopatum, sed desiderium, quia in illo attendit laborem, in isto ambitionem. Vnde mox subiunxit: Oportet episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, pudicum, prudentem, ornatum, humilem, hospitalem, doctorem, &c. Idem sanctus Benedictus definit de Abbate in regula: Licet nemo sibi assumere debeat honorem, sicut hodie heu multi faciunt, sed qui electus fuerit à Deo sicut Aaron; videtur tamen quod aliquis possit desiderare sine periculo huiusmodi dignitates ad hoc tantum, vt prosit, non vt præsit, teste Saluatore: Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuũ lucidum erit. APOLLONIVS: De hoc audire delectat exemplum.

1. Tim 3.

Ca 64. Regulæ suæ Heb. 5

Quomodo quis licitè possit desiderare prælaturam.

Matth. 6.

CAPVT XIX.

CAESARIVS.

CVm nostris temporibus Parisijs vacaret episcopatus, & electores inter se concordare nõ possent, tribus sua vota commiserũt: qui tres cùm in vnam conuenire nequirent personam, magistro Mauritio, qui vnus trium erat, duo suam dederunt auctoritatem, vt quemcunque ipse nominaret, episcopus esset. Et quia idem Mauritius, vt rei exitus probauit, magis cupiebat prodesse, quã præesse, seipsum nominauit, dicens; Aliorum conscientias & propositum ignoro, episcopatum hũc, gratia Dei me adiuuante, irreprehensibiliter regere propono. Quod & fecit: sanctæ enim vitæ fuit, tam verbo, quam exemplo plurimis profuit, dies suos in eodem episcopatu clausit. Hoc etiam noueris, quod

ris, quod sæpè ambitiosi à suo desiderio nutu Dei fraudentur, &, si premoti fuerint eiũs permissione, vix euadunt, quin in ipsis dignitatibus periculosè tribulentur, vel cum confusione deponantur. Audi de his exempla fortè aliquibus necessaria.

CAPVT XX.

PRIor quidam ordinis nostri defuncto Abbate suo ad abbatiam aspirans, cùm tempore electionis à Visitatore, sicut cæteri seniores, de persona idonea interrogaretur, non corde, columbino, monachum quendam de domo eadem ob infamiam eiectum nominauit; sciebat enim Prioris auctoritatem non esse modicam, & si aliquem de conuentu nominaret, per hoc suam electionẽ posse infirmari, & se in suo desiderio impediri. Factum est, nutu vt creditur diuino, vt cæteri, eius exemplo, eandem personam eligerent, dicentes intra se; Prior oculus noster nec talem personam nominasset, si ei de illius innocentia non constaret. Fortè si idem Prior simpliciter ambulasset, factus esset Abbas. Et satis puto, quantũ ex verbis cuiusdã Abbatis, qui mihi retulit, conijcio, quod tantum fuerit cruciatus in eiusdem monachi promotione, quantum ille tribulatus extiterat in sua eiectione. Ecce, si astutos & dolosos punit etiam in præsenti Deus, De tribulatione, confusione, & deiectione Prælatorum Ecclesiæ, hodie magis quàm ante nostra tempora abundant exempla. Et hoc fortè ideo, quia Dei voluntas in illorũ promotione non fuit. Ipsi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui. Verba sunt Dei per os Oseæ prophetæ. APOLLONIVS: Cùm Deus in virtute simplicitatis, sicut probatum est exemplis, plurimum delectetur, puto quod in vitio ei contrario,

Ambitiosos sæpè spe sua excidere.

Osee 8.

trario, id est, astutia multum exarcebatur. CAESARIVS: vitium simplicitati oppositum, duplicitas est, cui sodalis est astutia. APOLLONIVS: Vnde dicitur duplicicitas? CAESARIVS: A duplici plica. Simplex enim hoc quod dicit, hoc intendit, hoc agit: Duplex autem, aliud habet in corde, aliud in ore, aliud agit, & aliud intendit. De quo per Apostolum Iacobum dicitur; Vir duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis. Bonum enim simulat, vt simplices efficacius decipiat. Vnde per Ecclesiasticum dicitur; Ve peccatori terram ingredienti duabus vijs. Tales sunt illi de quibus Dominus dicit: Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Tales sũt multi ex his barbatis, qui in habitu, & tonsura religionis, terras circũeunt, & plurimos decipiunt. Ex quibus nostris temporibus multi sunt propter sua maleficia interfecti. Et licet quidam ex huiusmodi viatoribus, viri sunt sancti, & sine felle, propter malos tamen despiciuntur. Hinc est quod anno præterito Dominus Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus in synodo sua præcepit, ne aliquis illorum in sua diœcesi hospitio reciperetur.

De duplicitatis vitio.

Iacob. 1.

Eccl. 2.

Matth. 7.

CAPVT XXI.

Exemplum duplicitatis.

NON sunt multi anni elapsi, quod quidam sub typo religiositatis Bonam venit, & simplicitatem simulans, orando, vigilando, atque ieiunando plurimos decepit. quem cum Canonici eiusdem pagi talem esse putassent, qualem se simulauerat, hospitale illi pauperum commiserunt, cui etiam plures secularium, pecuniam dederunt reseruandam. Paruo emenso tempore, cœpit ille simulator à simulato rigore discedere, bibere vinum, carnes comedere, orare rarius, dormire diutius. Quod cùm ei fuisset obiectum, respondit;

pondit; Ego ad tempus à sacerdote huiusmodi obseruantias suscepi. Quid plura? Tandem clanculo discedens, pecuniam commendatam detulit, & quàm damnosum vitium esset duplicitas, operibus ostendit. Quo audito,* Christianus tale verbum respondit; Eia fratres, certè, animam meam pro nullius anima dabo. De huiusmodi trufatoribus plurima deceptionum genera temporibus nostris gesta, tibi dicere possem, sed non sunt ædificatoria. Vis nunc audire quali pœna Deus sæpè puniat in præsenti vitium duplicitatis & astutiæ? APOLLONIVS: Volo & desidero. CAESARIVS: Audi ergo.

** Decanus Bonnensis.*

CAPVT XXII.

IVuenis quidam secularis de Mosella natus, si bene memini nomine Henricus, matrem simplicem, verbis quidem mellitis, sed intentione venenata, tali modo circũuenit. Mater, inquit, peto vt omnibus tuis bonis, feudis scilicet & allodijs, soleniter renuncies, & me illa suscipere sinas, vt sic eorum gratia vxorẽ ducere valeam honestiorem: omnia mea tua sunt, & ego tibi honestius prouidebo. Mater in filio serpentis astutias non obseruãs, petitionibus eius annuit, omnium suorum vsu fructu resignato; immemor dicti sapientis: Melius est vt filij tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorum tuorum: Quid plura? Sponsa introducitur, & mater expellitur: quæ cùm egeret, & quotidie plangeret, ille obturauit aures, ne gemitus matris audiret. Die quadam cum vxore in mensa sedens, & ostium pulsantis, vocem matris intelligens, ait; Ecce, iterum diabolus clamat ibi: dixitque puero suo; Vade, & pone pullum istum in cistam, donec recedat: Quòd cùm factum fuisset, & illa intromissa, dum filio supplicasset

Duplex etiã in hac vita à Deo punitur.

Eccl. 33.

vt sui misereretur, cùm multo verborũ turbine expulsa est. Tunc ille ad puerum; Refer, inquit, nobis pullum. Puer verò, vt cistam aperuit, non in scutella pullum, sed serpentem complicatum conspexit, qui territus, rediens quid viderit, domino renũtiauit. Post quem missa ancilla, dixit se similia vidisse. Ille sibi putans illudi, ait cum indignatione; Etiamsi diabolus fuerit, ego tollam eum. Et surgẽs de mensa, mox vt se in cistam ad leuandam scutellam inclinauit, serpens collo eius insiliens, vt vitiũ duplicitatis congruè puniret, circa eius guttur se colligando duplicauit: cum comedente comedit, & quotiens ei subtrahebantur cibaria, vel adhibebantur aliqua, quibus deponi deberet, instrumenta, ita collum hominis strinxit, vt intumescente facie, oculi de sedibus suis mouerentur. APOLLONIVS: Meritò autem videtur mihi punitus per serpentem, quia sicut diabolus per serpentem, Euam decepit, ita per istum, mulierem simplicem circũuenit. CAESARIVS: Rectè sentis. Tredecim anni sunt elapsi, plus minus, ex quo ista contigerunt. Nam ductus est idem Henricus in carruca per prouinciam nostram, ad diuersa sanctorum limina, & viderunt eum multi, quem prædicta mater, pœnæ eius compatiens materno affectu sequebatur. Circa eadem tempora vitium duplicitatis & astutiæ à supra dicto Philippo rege Franciæ, tali ordine deprehensum, terribiliter est punitum.

CAPVT XXIII.

HAbebat idem Rex in ciuitate Parisiensi Præpositum, qui cuiusdam sui conciuis vineam concupiscens, vt sibi venderet illam, importunè nimis instabat. Respondente ciue, sicut Naboth respondisse legitur Achab Regi Israeli; Viuit Domi-

Dominus, quia non vendam tibi patrum meorum hæreditatem, eò quod nulla ad hoc me compellat necessitas, Præpositus minas intulit, sed non profecit. Contigit vt interim homo moreretur. Quo cognito, Præpositus effectus hilarior, huiusmodi dolos, sicuti homo astutus, nimis ad suam pernitiem excogitauit. Duos siquidem ex Scabinis, vt sibi testimonium falsitatis ferrent, pecunia corrupit, cum quibus, sicut conditum fuerat, mox intempesta noctè, defuncti sepulchrum adijt, terraque eiecta, in fossam descendit, & sacculum pecuniæ, quam viro pro vinea obtulerat, in manu ponens mortui, ait; Testes estis vos domini, quod tantam pecuniam homini isti pro vinea sua tali dederim, quã ipse quidem, vt vos videtis, manu sua recipit, nec aliquid contradicit. Dicentibus illis, Testes sumus, mox recepit pecuniam, & reiecit terram. Manè, testibus eisdem adhibitis, vineam sibi vendicauit. Quod cùm relicta defuncti didicisset, stupẽs accurrit, & contradixit, asserens neque maritum, neque se, vineam illam Præposito vendidisse, neque vnquam pecuniæ aliquid pro ea recepisse. Cui ille respondit; Ego tanto vineam comparaui, pecuniam sub testimonio horum Scabinorum in manus viri tui posui, nec contradixit. Quæ se nil videns proficere, ad Regem cucurrit, de violentia Præpositi illi conquerens. Illo sub prædictorum testimonijs contradicente. Rex, quia audientiæ vacare non potuit, quibusdam causam commisit: qui testimonio Scabinorum decepti, in partem Præpositi declinantes, pro eo contra viduam dederẽ sententiam. Tunc illa amplius turbata, cùm Regi clamosis fletibus nimis esset importuna, Rex testes vocari iussit, & quia vir prudens fuit, prudenter illos examinauit, accito prius vno, & solus loquens cum solo, ait; Nosti Dominicam orationem? Respõ dente

1. Reg. 21.

dente illo: Noui Domine. subiunxit Rex; Dic ergo illam me audiente. Quod cùm fecisset, nihil aliud ei loquens, præcepit vt in vicinam cameram secederet: & aduocans alterum, seuerius eum allocutus est, dicens; Socius tuus de vinea illa tam meram mihi retulit veritatem, sicut est sanctum Pater noster, quo nihil est verius. Quod si ab eo discordaueris, punieris. Aestimans ille, quia Regi omnia dixisset, timēs ac tremēs ad pedes eius corruit, dicens: Miseremini nostri domine, quia sic, & sic fecimus, à Præposito nostro inducti. Iratus Rex valdè, vineam viduæ restituit, & Præpositum viuum sepeliri præcepit. APOLLONIVS: Iustè actū est, vt is sine misericordia infoderetur viuus, à quo inhumanè mortuus fuerat offossus. CAESA. Pœna peccati à Deo est sæpissimè, vt secundum modum culpæ, formetur modus vindictæ. De quo tibi etiam pauca subiungam exempla.

Quo modo quis peccat, eodem quoq; non raiò punitur.

CAPVT XXIIII.

CAnonicus quidam sancti Andreæ in Colonia, sicut mihi retulit magister Reinerus eius concanonicus, ad colligendam cuiusdam ecclesiæ decimam singulis annis mittere consueuit seruum suum, qui ante quoddam patibulum transiens, & hominem recenter in eo appensum adhuc palpitare cernens, misericordia motus, laqueum gladio incidit, atque allata aqua refocillauit. Qui resumptis viribus, mala pro bonis retribuens, ad proximam villam liberatorem suum secutus, in equi eius frenum manum misit, & quia eūdem sibi vi abstulisset, vociferatus est. Mox homines circumquaq; accurrētes, & de rapina fremētes, sine audiētia iuuenē ad idē patibulū de quo fur fuerat depositus, duxerunt. Nondum erant homines alterius villę plenè reuersi, quia ad suspendium iam

um iam dicti furis confluxerat; & ecce concursum ad patibulum, quod commune erat vtriq; villæ, videntes nutu Dei reuersi sunt, causam interrogantes, Data est homini copia loquendi; Ego inquit, hominem iustum de patibulo liberaui, & ecce tam iniquum beneficium rependit mihi. Quem illi considerantes & cognoscentes, secundo eum plenè suspenderunt, & liberatus est sanguis innoxius.

CAPVT XXV.

NON est diu, quod peregrinis quibusdām de Alemania ad limina Sancti Iacobi tendentibus, & falsus eis frater nocte quadam se sociauit: manè exeuntibus de hospitio vsq; ad portam ciuitatis illos secutus, vni illorum manus iniecit clamans sibi equum eundem ab eo ablatum: & compulsi sunt redire in hospitium à Iudice. Testificantibus peregrinis omnibus, quod is, quem ille impetebat, esset vir simplex & bonus, Iudex prudenter agēs, fure absente omnium equorum sellas & frena deponi, sicque eos in stabulū duci præcepit. Quo facto, dixit ad furem, intra, & educ equum tuū. Intrauit ille, & adduxit equum foras, sed non tamen illum, quem in porta sibi dixerat fuisse sublatum: non enim plenè tunc eum considerauerat. Tunc omnibus ridentibus, & cuius equus esset extractus Iudici exponentibus, dolosus ille patibulo appensus est. Vides nunc qualiter Deus in simplicitate ambulātes protegat, & malè astutos puniat? APOLLONIVS: Recordor te superius dixisse, pœnam peccati esse à Deo. CAESARI. Quod à Deo sit omnis pœna peccati, testis est Amos Propheta dicens: Si erit malū in ciuitate quod Dominus non fecerit? Item Dominus per Isaiam; Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras; faciens pacem, & creans malum. Malum dicit pœnam & tribu-

Amos 3. Isai 45.

lationem, quæ patientibus videtur mala, licet in se sint bona, vt pote Dei creatura. Quod autem à Deo sit peccati pœna, tibi exemplificabo.

CAPVT XXVI.

Pœnam peccati esse à Deo.

BErtolphus Palatinus de VVitillimbach iudex erat seuerissimus, ita vt furibus, etiam pro dãno vnius oboli, vitam auferret. Et sicut à quodam Abbate audiui, quotiens exiuit, laqueos cingulo suo appendit ne eorum pœna caperet dilationem. Die quadam mane surgens, & laqueum cingulo suo solito subnectens; huiusmodi vocem in aëre audiuit; Bertolphe, quicunq; tibi egresso de castro tuo primus occurrerit, hoc laqueo eum suspendans: qui vocem pro omine accipiens, mox vt egressus est, occurrit ei quidam Scultetus suus primò: quo viso, cùm satis doleret, eò quod hominẽ diligeret, dicebat illi; Doleo de occursu tuo. Cui ille respondit, Quare? Cui ille, Quia suspenderis. Et ille; Quare suspendar? Respondẽte illi Palatino, Nescio, sed præpara te ad confessionem, & ordina de rebus tuis, quia voci diuinæ resistere non debeo. Ille videns aliter esse non posse, ait; Iustus est Dominus, ego plures in domum meam declinantes insequens, occidi, multis sua rapui, nec tibi domino meo vnquam fidelis extiti, neq; pauperibus perperci. Et mirati sunt omnes audientes eius confessionem, & cognouerunt in eius morte peccati pœnam esse à Deo. Et quia idem, Palatin' sine misericordia iudicauit, cùm in vltionem Philippi Regis, quem occiderat, ab Henrico Marischalco eius interficeretur, misericordiam quæsiuit nec inuenit. Non æquum iudicium, nec à Deo præceptum, vt minor & maior culpa simili pœna plectantur. APOLLONIVS: Iam satis ex his didici, quod Deus peccatum puniat secundum modum & quali-

& qualitatem culpæ. CAESARIVS: Hoc plenius scies in sequentibus capitulis, in quibus nostris temporibus euidentissimè punire voluit vitium duplicitatis.

CAPVT XXVII.

Duplicitatis punitæ exempla

TEmpore schismatis, quod erat inter Philippũ & Ottonem reges Romanorum, cùm Coloniensis, tum propter obedientiam sedis Apostolicæ, tum propter iusiurandum eidem Ottoni factum, fideliter assisterent, & multis damnis atq; periculis subiacerent, quidam ex eis à fautoribus Philippi, vt dicebatur, corrupti sunt occultè: inter quos potior videbatur Theodoricus de Erinportze. Per cuius astutiam, tantum laboratum est, vt deserto Ottone, Philippus in ciuitatem reciperetur. Ore quidem fuerat cum illo, sed corde cum isto. Die quadam, cùm philippus patronos ciuitatis, qui circunferebantur, sequeretur, ducebat idem Theodericus eum ad matronas, respiciens & dicens; Ecce dominæ iste est Rex meus, quem semper optaui. Mira dispensatio Dei, anno reuoluto, die eadem, per eandem plateam mortuus efferebatur. Et cum in monasterio sanctimonalium, quod Piscina dicitur, esset sepeliendus, literis Priorum, quos nimis turbauerat, est prohibitus.

CAPVT XXVIII.

ANte hos paucos annos, cùm Petrus Cardinalis de Saxonia esset Coloniæ, Henricus cognomento Ratio, ecclesiæ Sanctæ Mariæ ad gradus Canonicus, & causarum aduocatus peritissimus, & ad hoc eundem Cardinalem induxerat, vt eiusdem ecclesiæ canonicis præciperet, quatenus cuiusdam ciuis filium, nullo stipendio vacente,

in fratrem, & concanonicum eligerent. Quod cùm illis visum fuisset absurdum nimis, nec acquiescerent, suspensi sunt à diuinis. Iudicantes verò eandem suspensionem friuolam, vnanimiter Præpositum elegerunt; Henricus autem, vt turbatos amplius turbaret, solus alium Præpositum elegit, cum quo, & pro quo fratrum pacem, litibus & damnis non modicum turbauit. Iusto Dei iudicio, eodem anno primus omnium defunctus est, & aperto ore sepultus, obtinuitque præbendam illius adolescens consilio eius intrusus. Audiui veraciter, nulla arte os eius potuisse claudi, vt omnibus patesceret, quanta culpa esset, in causis vendere linguam. APOLLONIVS: Rogo vt vitio duplicitatis postposito, ad simplicitatem sermo redeat, quę in causis, vt prædictum est, etiam linguas disertas eneruat. CEASARIVS: Hoc plenius sequentis capituli declarabit oratio.

CAPVT XXIX.

Simplicitas vincit eloquentiam.

DOminus Innocentius Papa vir literatissimus, & sermonis diserti, sicut mihi retulit Cæsarius monachus noster, Abbas quandoque Prumiensis, qui præsens tunc erat, ita in cuiusdam sacerdotis simplici sermone compunctus est, vt ecclesiam, quam propter illiteraturam perdere meritò debuerat, per eam obtineret. Cui cum quidam clericus ecclesiam suam, nescio quo pacto abstulisset, & ille appellatus ab eo coram iam dictio Innocentio comparuisset, verbisq; compositis, & sententijs ponderosis pro se allegasset, simplex ille sacerdos sermonem eius interrumpēs, ait; Sancte pater, ipse non dicit verum, magnam enim mihi fecit iniuriam. Considerās illum Dominus Papa simplicem hominē, respōdit; Enarra mihi causam tuam. Et ille; Ego nescio latinè loqui: Loquere, inquit, vt nosti, bene te intelligam. Tunc ille satis timidè, satisque corruptē his verbis vsus est; Sancte pater, iste clericus multas habet ecclesias, & ego tantum habui vnam, & eandem mihi rapuit, modò habet vnam cum alijs; hoc tibi conquæror. Cui Papa compassus, ait eius aduersario; Quid ad hæc loqueris frater? Tua auaritia non sinebat te pluribus esse contentum ecclesijs, quin isti pauperi etiam suam auferres. Tam simplicis naturæ est, vt si causam habuisset iniustam, nūquam venisset ad curiam Romanam: iustitia audaciam illi contulit. Præcipio tibi, ne eum in ecclesia sua de cætero inquietes, & ego de ecclesijs tuis dispensabo. Quo audito, timens cessit, quia, simplicitas pro eius aduersario pugnauit. APOLLONIVS: Cùm simplicium verba & opera seculi principes tātum venerentur, puto quod in illorum oratione Deus plurimum iocundetur. CAESARIVS: Hoc tibi simplex Paulus ostendit, sed ego recētioribus tibi pandam exemplis.

Lib. 1. vitæ SS. Patrum cap. 32.

CAPVT XXX.

Simplicitatis exempla.

IN* Claustro Conuersus quidam simplex, satis grauiter tentabatur, qui stans in oratione his verbis vsus est; Verè Domine, si non liberaueris me de hac tentatione, ego matri tuæ conquerar. Pius Dominus, magister simplicitatis & amator humilitatis, ac si timeret apud matrem accusari, Conuersi querimoniam præuenit, tentationem eius mox mitigans. Alius quidam Conuersus post tergum eius stans, cùm hanc orationem audisset, subrisit, alijsq; ad ædificationem recitauit. APOLLONIVS. Quem non ædificet tanta Christi humilitas? CAESARIVS: Dicam tibi alias simplicium orationes, in quibus adhuc amplius iocunderis.

** aliàs Hemmenrode.*

CAP.

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT XXXI.

MAgister Ioannes, nunc Abbas sancti Trudonis, cùm tempore quodam in Saxonia inclusam sibi familiarem visitaret, & illa fleret, ait; Quid habes mulier? quare lacrymaris? Respondente illa; Ego perdidi Dominum meum, deuotionis feruorem notans. Abbas sciens illam fœminam esse sanctam, iocularitèr subiunxit; Circue angulos cellulæ tuæ, & dic; Domine vbi es? responde mihi, forsitan in aliquo foramine muri reperies illum. Quæ verba simplicia simpliciter intelligens, post discessum illius, parietes cellulæ circumiens, & sicut edocta fuerat, dilectum inuocans, quem quæsiuit, inuenit, & quod perdiderat, recepit. Sæpè Deus gratiam suam subtrahit, vt auidius quæratur, & inuenta custodiatur. Post annos aliquot, cùm idem Ioannes eam visitaret, & de statu eius inquireret: illa hilariter respondit; Optimè, gratias vobis ago, quia sicut me docuistis, ita Dominum meum inueni. Qui cùm verbum nõ intelligeret: & illa, secundum quod prædictum est, ad memoriam ei cuncta reuocaret, subrisit, Christum glorificans, simplicibus se conformat.

CAPVT XXXII.

IN Kummede monasterio sanctimonialium ordinis nostri, simplex quædam puella fuit, ligneam habens imaginem crucifixi; quam cùm frequenter adoraret & deoscularetur, saccello impositam, sub stramentis lectuli sui abscondit. Oblita vbi illam posuisset, omnes angulos monasterij tristis circuiuit, quæsiuit, sed non inuenit. Die quadam ante quoddam altare prostrata, cùm pro eisdem imaginis restitutione Christum cum multis la-

tis lacrymis interpellaret, desiderio puellulæ delectatus Dei filius respondit: Noli flere filia, quia in saccello sub stramentis lectuli tui iaceo. Putabam mihi relatum fuisse à Priore loci illius, quod in somno vocem percepisset, sicuti posuisse me recolo in homelijs moralibus de infantia Saluatoris. Mox puella surgens, stramenta sua reuoluit, & sicut audierat, sicut inuenit. Ecce hic est quod dictum est superius, quod quandoque Dominus suam subtrahat gratiam, vt auidius quæratur, & quærendo amplius mereatur. APOL. Cùm Deus simplicium oratione tantum delectetur, puto quod in conspectu eius valdè pretiosa sit mors illorum. CAESARIVS: Veraciter pretiosa, quia virtus simplicitatis etiam martyrij palmam, & miraculorum gloriam meretur. Tria de hoc subnectam exempla.

CAPVT XXXIII.

Simplicitas Martyrij gloria donatur.

IN Ferraria ciuitate Longobardiæ, ante annos paucos erat homo quidam Marcadellus nomine, miræ simplicitatis, & erga Sanctorum loca maximæ deuotionis: Qui cùm ob nimiam simplicitatem à multis pro fatuo haberetur, & in oculis Dei esset prudentissimus, quicquid de suis laboribus vltrà necessitates naturæ reseruare poterat, illud in visitando limina beati Iacobi in Compostella, aut beatorum Apostolorum Petri & Pauli fideliter expendebat. Tempore quo potuit, hominum pecora pauit, & cùm præ senectute ad hoc minùs sufficeret, ostiatim mendicando eleëmosynis fidelium victitabat. Nõ recedebat ab Ecclesia, dũ diuina in ea agerẽtur, vnde ab omnibus amabatur. Qui cũ frequẽtius versaretur in quadã villa dictę diœcesis, & in ecclesia eiusdem villæ thuribulum argenteum negligentius pendere conspexisset, timens tàm damnum ecclesiæ, quàm suæ conscientiæ,

tiæ, ait ſacerdoti; Non ſecurè hic pendet tale thuribulum. Dicente illo, quia multis annis ſine periculo illic pependiſſet. Reſpondit Marcadellus; Sæpè hoc vna die euenit, quod in mille annis non contingit. Quid plura? Inſtinctu diaboli thuribulum ſubtrahitur, non tamen Marcadello furtum imponitur. Quod cum fur Domino prohibente, & ſeruo ſuo occaſionem martyrij præparante, vendere non poſſet, nec auderet, ſciens hominem eſſe ſimpliciſſimum, & eccleſiæ illius notiſſimum, eum ſecretè adijt; & quia ipſe idem rapuiſſet vas, prius tamen recepto ſacramento ne ſe proderet, ſibi confeſſus eſt. Cui ille reſpondit; Da mihi thuribulum, & ego illud, nullo ſciente bene reſtituam, &, ſi neceſſe fuerit, etiam animam meam ponam pro te. His auditis, fur thuribulũ ei tradidit; quod ille fœno inuolutum; ſacculo ſuo immiſit. Qui cùm plus ſolito præfatam eccleſiam frequentaret, vt thuribulum cautè, & ſine nota in locum ſuum reponere poſſet, die quadam nimia tempeſtatum violentia à foribus eccleſiæ, quæ tunc clauſa fuerat, depulſus, vicinæ domos ſolatium expetere cogebatur, ſaccelli ſui oblitus: quem homo quidam pertranſiens leuauit; & cuius eſſet non ignorans, vxori ſuæ ſeruandum commiſit, vt Marcadello quærenti illum reſtitueret. Quæ ſaxi ponderoſitatem ſentiens, marito reſpondit; Non poteſt tanti ponderis eſſe panis, puto quod ex nimia ſimplicitate illum impleuerit lapidibus. Apertoq; ſacco, cùm thuribulum in eo reperiſſet, & ſubito clamore vicinis inuentum prodidiſſet, accurrit populus, accurrit tandem & ipſe Marcadellus. Requiſitus de ſacco cuius eſſet, mentiri noluit, ſed reſpondit; ſaccus meus eſt, ſed quod in eo eſt, veſtrum eſt. Ego thuribulum furatus non ſum. non tamen furem prodam. Et recitauit eis per ordinem

dinem, qualiter ad ſe aduenerit, & quid furi promiſerit. Dicentibus eis; Lex eſt Longobardiæ, vt vel furem prodas, vel furis pœnam ſubeas; reſpondit; In manibus veſtris ſum, quod iuſtum eſt facite de me. Illi ſibi proſpicere volentes, hominem Ferrariam ducentes, poteſtati obtulerunt, caſum expoſuerunt, innocentiæ eius, ac ſimplicitati teſtimonium bonum perhibentes. Quem cùm Iudex inducere non poſſet vt furem publicaret, capituli ſententia ſuper eum data, ante fores maioris Eccleſiæ, tanquam ſacrilegij reus, decollatus eſt; cuius corpus à quibuſdam in eodem loco ſepultum eſt. Nocte ſequenti, cùm quædam religioſæ matronæ ciuitatis ad Eccleſiam, propter matutinarum ſolemnia irent, veniſſentque ad tumulum eius, cantus angelicos illic audierunt, cereos ardentes viderunt, inſuper & ſuauiſſimi odoris fragrantiam ſenſerunt. Quod cùm ſecunda, & tertia nocte, plenius comperiſſent, quæcunque audierant, vel viderant, ſeu etiam ſenſerant, epiſcopo ciuitatis retulerunt. Qui cùm eſſet vir religioſus, aliquibus ſecum aſſumptis, cùm nocte quarta eſſe ita, vt mulieres dixerant, experimento didiciſſet, ſuper tumulum hominis Dei baſilicam fabricari fecit, & fiunt ibi miracula vſq; ad hodiernum diem, ad laudem nominis Chriſti.

CAPVT XXXIIII.

CIrca eadem tempora, ciuis quidam Louanienſis, cum vxore ſua rebus ordinatis, ad Vilarium, domum ordinis noſtri ſe transferre diſpoſuerat: erant autem ambo religioſi, & religioſorum ſuſceptores deuoti. Habebant ſecum puellam adultam cognatam ſuam, quæ loco ancillæ, tam ipſi, quàm hoſpitibus, ſicut teſtes ſunt. Conuerſi

uersi nostri, satis simpliciter, ac diligenter ministrabat, & nomen virginis Margareta. Scientes homines quidam maligni, pecuniam illos habere collectam, eadem nocte, qua de manê erant profecturi circiter octo domum illorum serò ingressi, quasi cum eis hospitaturi, dictam puellam pro vino miserunt. Interim dominum & dominam totamque familiam, ibidem repertam, occidentes, & sublatis omnibus, puellam cum vino reuersam secum educentes, domum quandam satis à ciuitate remotam simul ingressi sunt. Quæ cùm tristis sederet, & hi qui in domo erant æstimarent quod vi rapta esset, duxerunt illam ad fluuium. Cui cùm quidam ex latronibus compateretur, & diceret vnus, finite eam viuere, & ego ducam illam vxorem, non consenserunt, timentes per eam prodi, addentes portioni vnius decem marcas, vt eam occideret. Ille agnam simplicem suscipiens, tanquam crudelis carnifex, prius defecto eius gutture, cultrum lateri moribundæ infixit, sicque Deo hostiam viuentem, in flumen proiecit. Hospita verò domus, quam intrauerant, latenter egressos secuta, quæ facta sunt vidit. Manê tam execrabili facinore cognito, turbata est ciuitas, quæsiti sunt latrones, sed non inuenti: consideratis occisorum corporibus, quæstio habita est de puella, cuius corpus cùm piscatores post dies aliquod inuenissent, nec tamen prodere præsumpsissent, timentes sibi crimen impingi, in littore sepelierunt. Circa cuius sepulchrum, alij tempore nocturno luminaria videntes, effossam tulerunt Louanium, capellulam super eam fabricantes; & fiunt vsque hodie, meritis eius exigentibus, miracula, tam in loco occisionis illius, quam in loco translationis. Supradictus dominus eius, Amandus nomine, cum vxore, monachos cuidam Vilariensi apparens, cùm de statu eum interro-

interrogaret, respondit; Nondum plenam habemus gloriam. Nouissimè requisitus de virgine, subiunxit; Quicquid nobis impensum est gratiæ meritis habemus Margaretæ, nec audemus respicere ad gloriam, in qua illa est: Cernis nunc quantum operetur ad martyrium simplicitas & innocentia vitæ? Omnes quidem occisi sunt, sed non omnes miraculis clarescunt. Vnde patet quod non pœna faciat martyrem, sed causa. APOLLONIVS: Quænam extitit causa martyrij in puella ista? CAESARIVS: Vt iam fatus sum, simplicitas, & vita innocua. Diuersæ sunt species martyrij, innocentia videlicet, vt in Abel; iustitia, vt in prophetis & Ioanne Baptista; amor legis, vt in Machabæis; confessio fidei, vt in Apostolis. Ob huiusmodi causas diuersas, agnus, id est, Christus, occisus dicitur ab origine mundi. APOLLONIVS: Quidam etiam ex nimia simplicitate seipsos occidunt. CAESARIVS: Tales à martyrij gloria prorsus immunes existunt, nisi per causam impellentem excusentur. Ecce exemplum.

Augustin. epist. 61.

Genes. 4. Matth. 14. 2. Mac. 7. Apocal. 13.

CAPVT XXXV.

SAcerdos quidam, sicut mihi retulit quidam vir religiosus, cùm die quadam multis præsentibus sermonem haberet de peccatis, & de pœnis gehennę, mulier quædam verba eius interrumpens, eò quod territa esset & compuncta, sic ait; O domine, quid fiet de concubinis sacerdotum? Ille sciens fœminam valdè simplicis esse naturæ, in ioco respondit; Nunquam poterunt saluari, nisi clibanum ardentem ingrediantur; erat & ipsa sacerdotis concubina. Quæ verbum sacerdotis, non in ioco, sed in multo suscipiens serio, dum die quadã clibanus coquẽdis panibus succenderetur, & ipsa adesset, casu omnibus egressis, ostium clausit, & vt

Simplex simplicibus mortẽ adferẽs.

Universidad de Deusto Biblioteca

flammas euaderet æternas, seipsam in caminum ardentem præcipitans, flammis excepta spiritum exhalauit. In ipsa hora hi, qui circa domum fuerãt, contemplati sunt columbam candidissimam de ore fornacis exire, & cum multa claritate cœli secreta penetrare. Stupefacti autem de visione, effractis foribus ingressi sunt, & fœminam semiustam, atque extinctam extrahentes, ad verbum prædicti sacerdotis, tanquam proprij corporis interfectricem, in campo sepelierunt. Vt autem Deus ostenderet mortem tam simpliciter illatam, non fuisse ex malitia, sed ex obedientia, noctibus candelis ardentibus, videntibus multis, tumulum eius illustrauit. APOLLONIVS: Non me scandalisat hoc factum, quia legitur in Vitas patrum, quendam Abbatem cuidam volenti conuerti, vt fornacem intraret, præcepisse; Obediuit ille, & reputaum est ei ad iustitiam. Hoc etiam scire delectat; quid columba de fornace significet. CAESARIVS: Animam simplicis fœminæ: nam in specie eiusdẽ auiculæ, S. Benedictus, sicut in eis vita legitur animam sororis suæ Scholasticæ vidit cœlos penetrare.

Gregõ lib 2. dialog. c. 34.

CAPVT XXXVI.

COlumba hæc, ad mentem mihi reuocat monachum quendam simplicem Lodevvicum nomine, qui ante hoc biennium apud nos defunctus est. Hic cùm tempore meridiano agonizaret, & conuentus dormiret, monachus quidam in somnis interim vidit columbam cãdidam in tecto cellulæ, in qua moriens iacebat residentem, cui cattus niger insidiabatur; & cùm esset ei nimis importunus columba ab eo apprehendi timens, ad ecclesiam volitando, fugiens super crucem ascendit, ibi residens secuta. Eadem hora visum alteri cuidam monacho fuit, quod fratribus circulariter hinc inde

inde stantibus, leo circumiens stationem eandem irrumpere nisus sit & intrare, sed à singulis prohibebatur; & calcibus eorum impulsus fugabatur. Interim percussa tabula, conuentus accurrit, morientem circumstetit, dictaque letania, sacerdos defunctus, lotus, & vestitus, cum solenni cantu deportatus est in oratorium, & spero quod catti, leoniſque euaserit insidias. Diabolus catto & leoni, qui satis in forma, & in natura concordant, simplicium animabus morientibus maximè insidiando, propter rapacitatem assimulatur. Quàm fortiter impellatur, & repellatur orationibus iustorum, in hora illa terribili, satis audies in distinctione vndecima de morientibus. Idem Lodovvicus, licet natura simplex fuerit, satis tamen carnaliter ante conuersionem vixerat, vsque ad ætatem decrepitã. Quantum verò virtus simplicitatis Deo, qui naturæ simplicis est, placeat, cuiusdam sanctimonialis mors pretiosa declarabit.

CAPVT XXXVII.

IN diœcesi Treuerensi, monasterium quoddam sanctimonialium situm est Lutere vocabulo, in hoc ex quadam antiqua consuetudine, nulla recipitur puella, nisi septennis sit, vel infra; ad conseruationem simplicitatis, quæ totum corpus lucidum facit, huiusmodi constitutio, siue consuetudo inoleuit. Erat in eodem cœnobio, recentiori tempore virgo quædam adulta, sed in rebus mundanis tam infantula, vt vix discernere posset inter pecus, & hominem secularẽ, eò quod huiusmodi formarum ante conuersionem nullam habuisset notitiam. Die quadam murum pomarij capra ascendit, quã illa vidẽs, & quid esset prorsus ignorãs, ait cui dã sorori iuxta astanti; Quid est hoc? Illa cognoscẽs eius simplicitatem, miranti ioculariter respondit;

Matth. 6.

Mulier est secularis, & adiecit; Quando seculares mulieres senescunt, cornua & barbas emittunt. Illa sic esse putans, aliquid se didicisse gratulabatur. Cumque per huiusmodi simplicitatis exempla, sæpius sororum maturitatem temperasset, grauissimam incurrit ægritudiem. Quæ cùm sic iaceret, vt vix loqui posset, visitante se infirmaria, primò verbo, deinde signo, vt ocyus recederet indicauit. Illa neutrum intelligente, dum stupida staret, ægrota panniculum capitis sui complicans, contra pectus stantis leniter iecit, quæ mox ac si lapide percussa esset, in terram corruit. In qua dum sine sensu aliquamdiu iacuisset, erecta per fenestram lecto infirmantis contiguam prospexit, & ecce in cæmiterio multitudo stabat dextrariorum, sellas deauratas, frenaq; aurea habentium; cumque in ipsa hora virgo agonizaret, sororibus proprius accedentibus, clara voce clamare cœpit; Date locum, date locum; sinite dominos istos accedere: viderat enim cellulam repletam personis, miri decoris atque splēdoris, quorum vestimenta deaurata videbantur. Sicq; obdormiuit in Domino. APOLLONIVS: Puto cælestem fuisse exercitum, qui animam illius simplicis fœminæ, in cælestem deducebat thalamum. CAESARIVS: Bene sentis. Vnum tamen notare debes, videlicet quod infirmaria equos vidit in cœmiterio, moriens verò ascensores in domo. Testis huius visionis est Henricus Prior Prædicatorum in Colonia, qui se eam à prædicto loci Præposito audiuisse commemorat.

FINIS LIBRI sexti.

CAESA-

CÆSARII HEISTERBACENSIS ORDINIS CISTECIENSIS MONACHI *illustrium miraculorum, & historiarum memorabilium, sex posteriores libri.*

PROLOGVS IN LIBRVM SEPTIMVM.

PRAEMISSIS sex distinctionibus, videlicet de conuersione, de contritione, de confessione, de tentatione, de dæmonibus, & virtute simplicitatis, inter sex adhuc superstites primam distinctionem sibi vendicat beata Dei genitrix virgo Maria, eò quod ipsa sit dignissimū ecclesiæ membrum. Et hoc non incongruè fieri videtur in septimo loco, quia secūdum philosophos, septenarius numerus est virginitatis, eò quod infra primùm limitem denarium, nullum numerum ex se generet. Quod virgo genuit, supra naturam fuit: ipsa est enim virga de radice Iesse exorta, quæ florem nobis protulit super quem spiritus septiformis gratiæ requieuit. Cuius virtutem, vt digna scribere, & scribenda possim perficere, suppliciter imploro. *Isaie 7.*

CAPITA LIBRI septimi.

De his, quæ beatam virginem Mariam mystlicè designant, & de beneficijs humano generi per eam collatis cap. primum.
De imagine eius quæ sudauit timore diuina sententia cap. 2.
De plaga Frisiæ, ob iniuriam dominici corporis cap. 3.
De sacerdote idiota, quæ à sancto Thoma Cantuariensi degradatus, per Beatam Mariam virginem officium suum recuperauit cap. 4.
De sacerdote in Derlar idiota, & deposito, cui sancta Maria ecclesiam restitui præcepit cap. 5.
De sancto Innocentio papa, quem sancta Maria corripuit per Reinerum, cùm in ordinem Cisterciensium exactiones facere conaretur cap. 6.
De vindicta hostium loci sanctæ Mariæ cap. 7.
De Henrico canonico sancti Cuniberti, qui per intercessionem sanctæ Mariæ conuersus est cap. 8.
De monacho apud monasterium infirmato, quod Trappa dicitur, cui sancta Maria gratiam confitendi obtinuit cap. 9.
De duobus mendicis in hospitali eius Parisiis ægrotantibus, quos de confessione monuit cap. 10.
De Petro monoculo Abbate Clareuallis, cui in ecclesia Spirensi sancta Maria benedictionem dedit cap. 11.
De monachis ac Conuersis in Hemmenrode, quibus ad vigilias benedixit, Henrico Conuerso inspiciente cap. 12.
De eodem Conuerso, & cæteris Cõuersis infirmis, quos noctu visitans benedixit cap. 13.

De

De monachis, quibus dormientibus benedixit, vno tamen neglecto, quia inordinatè iacebat cap. 14.
De eo quod beata virgo Maria, cũ sancta Elisabeth & Maria Magdalena prædicto Conuerso apparuit c. 15.
Vita domini Christiani monachi de Hemmenrode cap. 16.
De sacrista de Lucka, qui nocte sanctam Mariam super altare residere conspexit cap. 17.
De quodam monacho eiusdem cœnobij, qui sanctam Mariam ad vigilias circuire, & singulorum monachorum vultus detegere vidit, duobus tantùm neglectis cap. 18.
De altero monacho eiusdem claustri, cui beata Maria super altare in aëre inter multitudinem Sanctorũ apparuit cap. 19.
De visionibus nobilis virginis de Quida cap. 20.
De Christina sanctimoniali, quæ sanctam Mariam in sua assumptione coronam de cælo super conuentum vallis sancti Petri demittere conspexit cap. 21.
De fratre in Arnsberg, quem beata virgo per seipsam visitare dignata est cap. 22.
De Ottone Præposito Xantensi, qui precibus sanctæ Mariæ à duplici infirmitate curatus est cap. 23.
De clerico, cui sancta Maria pro lingua ab Albiensibus hæreticis præscisa, nouam restituit cap. 24.
De Adam monacho de Lucka per sanctam Mariam à scabie capitis curato, & de sanitatibus quas operatur in monte Pessulano, & imagine eius apud Sardanai cap. 25.
De Conuerso, qui per Aue Maria ab infestatione diaboli liberatus est cap. 26.
De inclusa, quæ eodem beneficio illusiones diabolicas euasit cap. 27.

De

De matrona, quæ per eandem salutationem angelicam liberata est ab oppressione adulterij cap. 28.
De Theoderico milite, cuius vincula meritis sanctæ Mariæ dirupta sunt cap. 29.
De sacerdote de Poilogne, cui sancta Maria apparens timores tonitruorum temperauit cap. 30.
De beata Elizabeth de Sconauia, quæ ad illum versiculum, Audi nos &c. vidit sanctam Mariam flexis genibus Christum pro conuentu orare cap. 31.
De clerico, cui ad illum versiculum, Ora virgo, panem sancta Maria in os misit cap. 32.
De milite, quem propter vxorem domini sui tentatum, sancta Maria per osculum liberauit cap. 33.
De sanctimoniali, quam per alapam sanauit, cùm iam amore cuiusdam clerici esset accensa cap. 34.
De Beatrice custode cap. 35.
De milite in vigilijs deficiente, quem sancta Maria in visione confortauit cap. 36.
De Henrico monacho eiecto, qui meritis beatæ Mariæ receptus est cap. 37.
De miris visionibus domini Betranni monachi de Carixto cap. 38.
Vita domini VValteri de Birbach cap. 39.
De Abbate nostro, cui virgam pastoralem sancta Maria porrigere visa est antequam in Abbatem promoueretur cap. 40.
De episcopo Theoderico, qui per ipsam Colonia in antistitem est promotus, eiusq; nutu depositus cap. 41.
De scholari Coloniensi, quem sancta Maria in somnis corripuit, cùm ordini maledicere cap. 42.
De pœna Sibodinis & sociorum eius, ob iniuriam beatæ virginis cap. 43.
De pœna lusoris, qui blasphemauit sanctã Mariã c. 44.

De

De pœna cuiusdam matronæ de Veldenze, quæ de imagine sanctæ Mariæ stultè loquebatur cap. 45.
De alia matrona, quæ filias à lupo raptas, per imaginem recepit cap. 46.
De imagine sanctæ Mariæ in Iesse cap. 47.
De monacho medico, cui sancta Maria in choro electuarium suum primo negauit, & postea emendato donauit cap. 48.
De sanctimoniali, cuius tibiam læsam sancta Maria in visione perunxit, & sanauit cap. 49.
De incluso, qui per Aue Maria sensit miram dulcedinem cap. 50.
De monacho, quem sancta Maria deosculabatur ante mortem cap. 51.
De Hermanno Conuerso, pro quo defatigato, sancta Maria horam camauit, & finem prædixit cap. 52.
De Pauone Conuerso, qui sanctam Mariam in fine suo vidit cap. 53.
De sanctimoniali, cui B. Virgo morienti apparuit c. 54.
De VVernero monacho, cui B. Virgo in extremis subuenit, cùm à dæmonibus terreretur cap. 55.
De Canonico Coloniensi, cui in fine se ostendit cap. 56.
De Simone cruce signato, quem Sancta Maria morientem consolata est cap. 57.
De milite decollato, qui per eam euasit gehennam c. 58.
De latrone, quem decollatum sepeliri iussit in ecclesia cap. 59.
De monacho, qui ordinem Cisterciensem sub eius pallio vidit in regno cœlorum cap. 60.

Finis capitum.

Universidad de Deusto Biblioteca

DE SANCTA MARIA LIBRI SEPTIMI

CAPVT PRIMVM.

CAESARIVS:

Figuræ de B. Mariæ Virgine. Apocal. 18.

IOANNES in Apocal. vidit mulierem amictam sole, & lunam sub pedibus eius, & coronam duodecim stellarum in capite eius, atque in vtero habentem, quæ clamabat parturiens, & cruciabatur vt pareret, & cætera. Mulier hæc per Ioannem visa, virgo est sancta Maria, sole lucidior, fulgore caritatis; luna superior, id est, mundo, ex contemptu glorię secularis; omnium virtutum stellis tanquam diademate gemmato coronata; &, quod illis dignius est, diuino partu fœcundata. Hanc designant per exemplum mons, castellum, aula, tẽplum, thalamus, & ciuitas, palma, cedrus, vitis, rosa, & cum istis numerosa nominum nobilitas. Miror in huius gloriosæ virginis designatione virgam floridam, & rubum inter flammas vrentem, vellus madidum Gedeonis, thronum eburneum ac deauratum Salomonis, fontem signatum, hortum conclusum, & alia quàm plurima, quę breuitatis studio sunt omittenda. Sicut etiam in creaturis vniuersis, matre creatoris nil est sanctius, nil dignius, nil præcellentius; ita eius visione nulla sanctorum visio dignior, nulla iocundior, nulla eminentior. Cuius preces, vt quidam ait, vitia, cuius nomen tristia, cuius odor lilia, & cuius vincunt labia fauum in dulcedine. Super nuccem sapida, & super niuem candida,

Num 17. Exod. 3. Iudic. 6. 3. Reg. 10. Cant. 4.

candida, super rosam roscida, super lunam lucida, veri solis lumine. APOLLONIVS: Beati verò & ter beati, qui tantæ virginis visione digni habiti fuerint lætificari, & sermone iocundari, oratione consolari, benedictione cõfirmari. CAESARIVS: Hoc plenius nosces per exempla. Audisti iam ex parte figuras & ænigmata; vis nunc scire qualia, & quanta mundus per ipsam consequatur beneficia? APOLLONIVS: Nihil plus sitio. CAESARIVS: Ipsa est orbis conseruatrix, & tribulatorum consolatrix, fida sibi famulãtium defensatrix: per ipsam peccatores illuminantur, desperati ad confessionẽ reparantur, apostatæ à Deo, per ipsam Deo mirabiliter reconciliantur, iusti reuelationibus consolãtur. Nomen eius, & memoriale eius, morbos sanat, dæmones fugat, vincula soluit, timores pellit, tentationes compescit. Per ipsam pusillanimes confortantur, torpentes excitantur, eiecti misericorditer reuocantur. Diligentes se diligit, imò diligendo præuenit & honorat, & contemnentes se, quia iusta est, punit & humiliat. Apud ipsam electuaria sunt confortatiua, vnguenta sanatiua. Nomen eius super mel dulce, & hæreditas eius super mel & fauum. Morientibus assistit, & mortuorum animas ad vitam perducit æternam. APOLLONIVS: Licet omnia hæc credam de illa, vellem tamen mihi eadem exemplis elucidari. CAESARIVS: Quæ à viris audiui religiosis tibi referam, ipsius vt spero oratione adiutus. Quod verò mundus eius meritis precibusque conseruetur, binis tibi pandam exemplis.

Beneficia, quæ per B. Virginem tribuuntur mundo.

Eccli. 27.

CAPVT II.

ANte hos annos, quando validi illi fuêre venti atq; tonitrua, quorum mentionem feci in distinctione quarta capite 21. cùm in quadã ecclesia prouinciæ nostrę populus staret, & diuina sacerdos

Mundum cõseruat sua intercessione.

sacerdos celebraret, imago Dei genitricis tam vehementer sudare cœpit, vt astantes notarent & mirarentur, atque ipsæ sudorum guttæ peplis matronarum extergerentur. Nutu Dei obsessus eadem hora adfuit, requisit de causa, hoc respōdit: Quid statis admirantes? Filius Marię manū extenderat ad feriendum, quam si non ipsa tenuisset, mundus iā minimè subsisteret. Ecce hæc est causa sudoris. Et territi sunt omnes audientes verba tam stupenda. Hæc mihi relata sunt à quodam Abbate religioso ordinis nostri, tunc temporis recenter gesta.

CAPVT III.

PAruo post hæc emenso tempore, anno videlicet gratiæ 1218. mare in partibus Frisiæ terminos suos egrediens, multarum prouinciarum terras occupauit, villas deleuit, ecclesias lapideas deiecit, tantam extinguens hominum multitudinem, vt summa centum millia transcenderet. Ita exaltati sunt fluctus eius, vt turrium altitudines operire viderentur, & procella procellam impellens, generale diluuium minaretur. Et, sicut dictum fuit Abbati nostro, cùm eodem anno visitationis gratia Frisiam intrasset, fluctus furentes, etiam vsque Coloniam peruenissent, sinon is, qui eos excitauerat, genitricis suæ, vt postea dicetur, precibus compescuisset. APOLLONIVS: Nosti causam tantæ plagæ? CAESARIVS: Noui; Friso quidam arte pugil in eadem prouincia extitit, qui quotiens de taberna ebrius redijt, totiens vxorem verberibus & plagis satis tribulauit. Tempore quodam, timore mariti, infirmitatē simulans, ne simulatio eadem posset notari, corpus domini sibi dari postulauit. Venienti sacerdoti, pugil cùm scypho cereuisiæ ebrius occurrens, bibere monuit, & cùm ille responderet; Corpus Domini porto, nō modò

Iniuria Sacrosanctæ Eucharistiæ illata, vindicatur.

modò bibam, iratus Friso cum scypho pixidē percussit, & omnes hostias de illa excussit, ita vt per pauimentum dispergerentur. Matronæ verò, quæ consolationis gratia conuenerant, super singulas hostias, tanquam stellas radiantes viderunt: quas sacerdos gemens ac dolens, in pixidem recollegit & abijt. Friso verò à Decano prouinciæ citatus, excommunicatus est, sed non curauit. Qui tandem ad hoc cōpulsus est, vt cruce, pro tanto sacrilegio, signatus, cùm iam dicto sacerdote, etiam cruce signato, veniret Romam. Cui dominus Honorius Papa culpam confitenti, pro pœnitentia iniunxit, vt mare transiret, ibique tribus annis in armis CHRISTO seruiret. Quid plura? Mare transierunt ambo, & ante Damiatam mortui sunt ambo. Quibus defunctis, cùm anno eodem Dominus prouinciam terribiliter, vt supradictum est plagasset, & causa plagę populum lateret, matronę cuidam valdè religiosæ, domino in ieiunijs, orationibus, vigilijs, & eleëmosynis seruienti, materteræ videlicet Domini* VViniboldi Abbatis Sancti Bernardi, beata Dei genitrix Maria, lacrymis eius mota, populique miserta, apparens, sic ait; Propter iniuriam filij mei in sacramentum corporis eius factam, submersa est Frisia, & adhuc amplius plagabitur, si condigna pœnitentia non fuerit subsecuta. Ex quibus verbis colligitur, quod non solùm pugilis, sed communibus populi peccatis exigentibus, hoc euenerit. Moxque adiecit Mater misericordiæ: Leua oculos tuos contra mare: quod cùm fecisset, cōtemplata est pixidem à pugile percussam, in summitate fluctuum natantem; quæ cùm in tantum approximasset, vt posset agnosci, ait; Ecce corpus filij mei: in loco enim vbi dispersum est, ædificanda est ecclesia, & debet ei tanta exhiberi reuerentia, quomodo sepulchro Dominico. Hoc etiam noueris,

** al Vviboldi.*

ris, quod ambo mortui sunt, pugil scilicet & sacerdos, sed pugil, eò quod sine contritione obierit, sepultus est in inferno; sacerdos verò tenetur adhuc in purgatorio. Retulit tamen nobis Theodericus Prior de Iesse, eundem pugilem, quantum ad signa exteriora, cùm proficisceretur, satis magnam habuisse contritionem, sed credendum est beatæ Dei genitrici Mariæ. Hac visione cognita, dominus * Theobaldus episcopus Monasteriensis, ad cuius diœcesim maxima pars Frisiæ pertinet, missis literis suis per Ididam Sancti Bernardi Cellerarium, sicut ipse nobis retulit, solemnem prouincialibus pœnitentiam iniunxit. Quod autem insufficiens fuerit; ex hoc probatur, quod anno præterito denuò punita est Frisia multis millibus per aquarum inundationes submersis. Matrona quædam prædiues, ex prædicti pugilis dono ecclesiam ædificauit. Ex his quæ dicta sunt, considerare potes, quàm solicita sit circa hominum salutem Beata virgo Maria, cui tanta cura extitit de pœnitentia. Quod verò tribulatorum sit consolatrix, sequentia declarabunt.

* al. Theodericus.

CAPVT IIII.

B. Maria est consolatrix tribulatorum.

RETulit quidam mihi Abbas de ordine nostro, de Sancto Thoma Cantuariensi, qui nostris temporibus martyrisatus est, quiddam satis delectabile, quod nec in eius passione legitur, nec in libris miraculorum eius reperitur. Cùm esset in eius diœcesi sacerdos quidam idiota, nullam sciẽs missam, nisi de Domina nostra Sancta Maria, & illam quotidie celebraret, atque apud eum de hoc accusaretur, prohibitus est, ob honorem sacramenti à beato episcopo, de cætero dicere missas. Qui cùm esset in tribulatione, & egeret, beatamq;

tamque virginem Mariam iugiter inuocaret, illa ei apparens ait; Vade ad episcopum, & dic ei ex parte mea, quatenus restituat tibi officium tuum. Respondit sacerdos; Domina, ego pauper sum, & persona despecta, non me audiet, neque mihi patebit accessus ad eum. Beata Virgo Maria subiunxit; Vade, & ego tibi viam præparabo. Et ille; Domina nõ credet verbis meis. Respondit ei; Dices ei pro signo, quod cum tali hora, & in tali loco, cilicium suũ dissutum resarciret, ego illud ex parte vna tenebam adiuuans eum, statimque crederet tibi. Manê sacerdos sine impedimento intrans ad episcopum, beatæ Dei genitricis Mariæ referens nuncium, cùm ille diceret, vnde credam te ab ea missum? prędictum signum de cilicio subiunxit; quo audito, beatus pontifex stupens simul ac pauens, respondit; Ecce reddo tibi officium tuum, & præcipio tibi vt tantùm missam de Domina sancta Maria cantes ac frequentes, oresque pro me: APOLLONIVS: Satis miror pietatem dominæ nostræ S. Mariæ, quod idiotam depositione dignum sic defenderet, & ministerio tanto dignum iudicaret. CAESARIVS: Hoc actum est ex ineffabili eius misericordia, sicut in sequenti capitulo amplius mirari poteris.

CAPVT V.

CAnonicus quidam Sancti Gereonis in Colonia, * Harderardus nomine, vir nobilis, oriundus de Merenberch, pastor erat cuiusdam ecclesiæ super fluuium Logonam sitæ, vocabulo Derlar. Cùm esset liberalis, & multa consumeret nec annui ei redditus sufficerent, putans iam dictæ suæ ecclesiæ vicarium multam habere pecuniam cogitare cœpit, qualiter extorqueret ab illo. Sciensque prorsus hominem illiteratum, assumpto secum Decano Limburgensi, in ipsa dominica infra Epipha-

* Alias Hederadus.

* Alias Derlar.

Epiphaniæ octauam, cuius officium difficillimum est, cùm se sacerdos præparasset, ecclesiam, tanquã missam auditurus, intrauit. Expauit ille visis tantis viris, & facta tamen confessione, eò quod ignoraret officium diei, introitũ de S. Maria, scilicet, Vultum tuum deprecabuntur, inchoauit. Quem Harderardus confundere volens, auctoritate curæ pastoralis, officium diei incœpit, id est, In excelso throno. Cui cùm sacerdos resisteret, cessit ille confusum se simulans. Finita missa, cùm illum durè satis argueret, diceretque, qualem missam dixisti hodie? & ille responderet, de Domina nostra S. Maria, nonne bona fuit? adiecit Harderardus; Videte ne vnquam de cætero missam dicatis in ecclesia mea, sicque recessit, alio sacerdote substituto. Et cũ egeret pauper ille amotus, compassa est ei Mater misericordiæ, nocte quadam Harderardo, dictis matutinis, in ecclesia Sancti Gereonis soli apparens, durius allocuta est dicens; Vt quid repulisti cappellanum meum, auaritia tua ad hoc te instigãte? Si non celerius eum restitueris, linguæ officio à me priuaberis. Ille ad pedes eius corruens, & veniam postulãs, omnem satisfactionem promisit. Mox manè, directo nuncio, amotum restituit, mandans, sicut supradictum est de Sancto Thoma Cantuariensi, vt missam de Sancta Maria quocunque die vellet celebraret, ipsamque pro suis peccatis interpellaret. Adhuc idem sacerdos viuit, & præest cuidam monasterio sanctimonialium, cuius ipse initiator extitit. APOLLONIVS: Bonũ est tali seruire dominæ, quæ sic sibi seruientibus subuenit. CAESARIVS: Non solùm eos à quibus affliguntur monet, & corripit, imò etiam, quæ illorũ sunt, potenter defendit.

CAPVT

CAPVT VI.

Defendit etiam res eorum, quã eam veneranturr.

TEmpore illo, quo Baldevvinus comes Flandriæ cum cruce signatis Constantinopolim expugnauit, dominus Papa Innocentius ordini literis suis mandauerat, vt quadragesimam partem omnium rerum suarum mobilium, in succursum terræ sanctæ transmitteret. Ordo verò priuilegijs sibi ab eius antecessoribus indultis innitens, ne libertatem concessam, vertere videretur in seruitutem, tam grandi exactioni subiacere non acquieuit. Vnde Innocentius furens, in tantum ordini indignabatur, vt dignitatibus secularibus indulgere proponeret, quatenus possessiones ordinis sibi vsurparent. In proximo generali capitulo Abbates, qui confluxerant, spem suam in Beata Dei genitrice Maria, quæ ordinis patrona est, & aduocata, ponentes, scientes sententiam malè conceptã, eius precibus & meritis facilè posse reuocari, speciales pro eadem necessitate, vsque ad proximum capitulum, orationes iniunxerunt. Hoc etiam adijcientes, vt à capite quadragesimæ nudis pedibus de capitulo exeuntes, septem psalmos cum letania cantarent: quod & fecimus. Interim beata Dei genitrix virgo Maria, cuidam religioso nomine Reinero, iam dicti Innocentij confessori apparens, in hæc verba eidem mandauit; Tu ordinem Cisterciensem, cuius aduocata sum ego, destruere conaris, sed non præualebis; & nisi citius de tuo malo proposito resipiscas, ego te, & omnem potestatem tuam cõteram. Huiusmodi nuntio dominus Innocentius audito, sciens Reinerum virum esse sanctum, ac veracem, timuit, in tantum de conceptò peccato pœnitens, vt ordinis priuilegia roboraret, hoc adijciens, vt primo omnium negotia ordinis in curia expedirentur: quam indulgentiam

cum tam sua bulla, quam omnium Cardinalium subscriptionibus confirmaret, & vnus tantum nigri ordinis Cardinalis contradiceret, ita in illum exarsit, vt statim eum amouere minaretur. Cumque hæc in proximo capitulo patribus nostris innotuissent, Christum eiusque genitricem virginē Mariam, de tam inopinata in mutatione glorificantes, orationes iniunctas, cum gratiarum actione dimiserunt. APOLLONIVS: Non miror, si aduocatiam suā tam potens regina defendit. CAESARIVS. Verum dicis, licet enim sit mater misericordiæ, non tamen obliuiscitur circa immisericordes vindictæ.

CAPVT VII.

DVm nobilis fœmina domina Aleydis de Molsberg, cum consensu mariti sui Euerhardi Burgrauij quædam allodia sua, per inspirationem diuinam, ad nouam Abbatiam ordinis nostri construendam in manus domini Hērici Abbatis nostri liberè, & sine omni cōtradictione tradidisset, & ante ipsius mortem domus, quæ vocatur locus Mariæ, constructa fuisset, viri quidā nobiles, ex eius cognatis, post eius mortem, contra iusiurandum venientes, eandem nouellam plantationem querimonijs, minis, rapinis, multisq; alijs incommodis molestare cœperunt. Sancta verò Dei genitrix virgo Maria, eiusdem cœnobij domina & aduocata, sicut à multis dicebatur, hoc apud filium egit, vt Henricus de Molsberg, qui præcipuus videbatur, obsideretur, & supra vires damnificatus, de proprio castro eliminaretur. De Zegenbergh vir nobilis, à quo multum domus prædicta vexabatur, à seruo suo satis mirabiliter occisus est: alius quidam, ad eius deprædationem properans, in via crepuit medius. Quam vindictam cum audisset alius quidam nobilis, vnus de cohæredibus, venit ad locum timore correptus, dicens; Domina mea sancta Maria sint tua tibi, ego parti meæ renuntio. VVilhelmus miles de Helpenstein, ab vxore instigatus, quæ se hæredem possessionum collatarum dicebat, cortem meliorem inuadēs, fratres multis expensis grauabat. Interim sacerdos quidam religiosus, confessor eius, nocte quadam in loco Sanctæ Mariæ se per visum transposium vidit, & cùm quidam ex sacerdotibus celebraturus esset Missam, & à supradicto VVilhelmo impediretur, vir quidam nigerrimus, fuste illum percussit, & occidit. Quem visum, cùm ei recitasset, asserens eum in breui moriturum, nisi à vexatione monachorum cessaret, ille stimulis quotidianis vxoris suæ se vrgeri conquerens, non acquieuit consulenti. Citatus literis papalibus, cùm esset in violenta possessione, & iudices cum aduocatis iam negotium diutius pertractassent, tandem partibus duos dies præfixerunt; vnum amicabilem ad componendum, alterum ad litigandum. Qui cùm componere non possent, diesque tres adhuc superessēt ad litigandū, Ioannes de Horechim in veteri monte Cōuersus, proxima nocte vidit se in somnis esse in loco Sanctæ Mariæ, audiēs virginem gloriosam clara voce dicentem; Oportet me recedere à loco isto. Dicente Conuerso; Quo ibis ô domina? Respondit; ad filium meum, conqueri de VVilhelmo de Helpenstein, qui me non sinit quiescere in loco isto. Manè verò visionem referens Cellerario iam memorati VVilhelmi, subiunxit; Sciatis pro certo, quod dominus vester citò morietur propter conuentum loci Sanctæ Mariæ. Cui ille subridendo respondit, Non curetis, tamē vellemus esse absoluti ab eo, qui post dies paucos pede truncatus pœnam soluit irrisionis. Eadem verò die, cùm

Universidad de Deusto Biblioteca

VVilhelmus circa nemus ſpatiaretur, niſum portans ſuper pugnum, à duobus ſeruis comitis Seynenſis, qui hominem ſui iuris captiuum ducebant, quem ipſe excutere niſus eſt, lancea transfoſſus, animam protinus exhalauit. Eadem hora, obſeſſa quædam in villa, quæ Trys dicitur, à caſtro Helpẽſtein ſatis remota, ita cœpit ſaltare, manusq; cum cachinno complodere, vt vix à duodecim hominibus poſſet teneri. Interrogata quid haberet? Reſpondit; Modò in hac hora magiſter meus acquiſiuit tres animas: noueritis VVilhelmũ de Helpenſtein iam occiſum. APOLLONIVS: Quæ fuerunt illæ tres animæ? CAESARIVS: Occiſi, & occidentium, ſicut conijcio, eò, quod animam mortui habuerit in re, alias duas in ſpe. Non multo pòſt interrogatus diabolus in Briſeke, de anima eiuſdem VVilhelmi, per os alterius fœminæ reſpondit; Magiſter meus habet eam, & propter monachos quos ſpoliauerat, pice & ſulphure illam infudit, vſque ad ſummum replens. Vxor verò, quæ ad tãtum malum inſtigauerat eum, poſt breue tempus, à priuigno de caſtro cum liberis eiecta eſt: Nam, cùm ſit inexpugnabile, cum ſcalis nocte intrãs, illam turpiter eiecit, iniuriam beatæ Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ vindicans. Ab illo tempore vſque hodie, monaſterium cortem eandem quietè poſſidet, meritis glorioſæ virginis Mariæ adiutũ. APOLLONIVS: Satis mihi iã probatum eſt, quod ipſa totius ſit orbis conſeruatrix, tribulatorum cõſolatrix, fida ſibi famulantium defenſatrix. Quod autem peccatores per illam illuminentur, quòd his omnibus ſalubrius iudico, aliquo mihi oſtendi precor exemplo. CAESARIVS: Cùm homo homini ſæpe primam obtineat gratiam, multo amplius hoc credendum eſt de matre Domini.

CAPVT

CAPVT VIII.

B. Virginem obtinere peccatoribus gratiam illuminationis.

CAnonicus quidam ſancti Cuniberti in Colonia, nomine Henricus, vita ſatis ſecularis, cùm die quadam ſolus equitaret, nubecula lucida viam ipſam, eo intuente, tranſuolauit, vocemque clariſſimam de ipſa nube audiuit dicentem; Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra: eratque vox eadem tantæ dulcedinis, vt quotiens eius poſtea recordaretur, lacrymis infunderetur. Cumque vocem hanc cælitus demiſſam minus attenderet, vel potius non intelligeret, nocte quadam per viſum ſe ſtare vidit in capella domus ſuæ ante altare, coram imagine Beatæ Dei genitricis Mariæ. Quã cùm verbis angelicis ſolito ſalutaret, reſpondit illa; Vt quid me ſalutas? homo perditus es; & niſi vitam tuam emendaueris, citius peribis. Ego enim & Sanctus Benedictus interceſſimus pro te. Qui cùm ſecundam hanc admonitionem, dulcedine vitæ ſecularis abſtractus, negligeret, circa tempus ſex hebdomadarum, tam graui infirmitate correptus eſt, vt inungeretur, nec vlla eſſet ſpes vitæ eius. Tunc demum ad cor reuerſus, & quid audierit, quidue viderit, recordatus, fratribus quibuſdam Bergenſibus, ordinis Ciſtercienſis, ad ſe vocatis, ſe reddidit, qui in proximo paſcha monachus factus eſt, meritisque & precibus beatæ virginis Mariæ ſe illuminatum vſque hodie gloriatur. APOLLONIVS: Cuius fuit vox illa facta de nube, & quis ſenſus eius? CAESARIVS: Quantum ex iam dictis colligitur, Beatæ Mariæ & ſancti Benedicti: orabant enim Chriſtum vt ſicut voluntas eius eſt in cœlo, id eſt, in iuſto, ita & eius voluntas, quæ ſemper bona eſt, fieret in terra, hoc eſt, in illo iuuene tunc peccatore. Nec mirari debes, ſi peccatores per eam illuminantur, quia ſicut nomen

Matth. 6.

eius, ita & laus eius in fines terræ: Maria enim interpretatur stella maris, siue illuminatrix. Quod verò desperati, & contra omnem gratiam indurati, per ipsam ad confessionem & veniam reparentur, præsto sunt exempla.

CAPVT IX.

Indurati per eandem ad confessionem perducuntur.

IN prouincia Partica domus ordinis Cisterciensis sita est, quæ trappa vocatur; in hac, sicut mihi retulit dominus Henricus Abbas de *Simenim, asserens sibi recitatum ab Abbate prædictę domus, contigit quod dicturus sum, tunc temporis recenter gestum. Infirmatus est ibi monachus vsque ad mortem; deputati sunt ei duo monachi ad seruiendum, qui dum simul exissent, & æger solus iaceret, ingressi sunt duo tetri spiritus in angulo domus stantes: complosis autem manibus cachinnantes dicebant ad inuicem; Cras hora tertia, deducemus cum magno gaudio animam huius ad infernum. Mox infirmus tremere cœpit atque pallescere, maximè propter remorsum conscientiæ: commiserat enim ante conuersionem peccata quædam grauia, quæ, vetante erubescentia, confiteri non potuit, neque clericus in seculo, neque nouitius, neque monachus in monasterio. Pauens verò & circumspiciens, contemplatus est in angulo opposito matronam pulcherrimam, in hæc verba dæmonibus cachinnantibus respondentem: Nolite nimis gaudere, ego illi dabo consilium, qualiter dentes vestros euadat. Post quod verbum visio omnis, ministris intrantibus, disparuit. Consilium autem intelligens confessionem, matronam verò sanctam Mariam Dei genitricem, quam in tãto periculo, vt opinor, inuocauerat, Priorem vocari fecit, cui omnia sua peccata meritis beatę Mariæ virginis adiutus, plenè ac deuotè confitens, & vt ea-

* al. Simenim.

vt eadem Abbati, qui tunc præsens non erat, reuelaret, supplicans, oleo sacro inunctus, & dominici corporis sacramento munitus, hora à dæmonibus prædicta, sub spe veniæ spiritum exhalauit.

CAPVT X.

SImile beneficium consecuti sunt duo pauperes Parisijs à beata virgine Maria, sicut mihi retulit Lambertus monachus, qui eodem tempore ibidem dicit se studuisse. Cùm enim collecti fuissent in hospitali, quod situm est ante eius oratorium in paradiso, viro cuidam religioso, eiusdẽ hospitalis ministro, ipsa virgo benignissima, cui cura est de omnibus, apparere dignata est, dicens; Bone pater, vide vt diligentia ac custodia adhibeatur illis duobus pauperibus, quia in periculoso statu sunt, & dæmones cum multa solicitudine circumeunt quomodo eis noceant. Quod cùm indicasset sacerdoti, & illẽ eos ad emundationem conscientiæ hortaretur semel ac secundò, nec proficeret, tandem subiunxit; Miseri, ego noui vos esse in peccatis grauissimis, citoque moriemini, & nisi confessi fueritis, intrabitis gehennam, pœnis ęternalibus cruciandi. Illi verò territi, &, quod credibilius est, precibus beatæ Dei genitricis Mariæ illuminati, peccata sua confessi sunt, moreque Christiano decedentes, dæmonibus luctum, & sanctis angelis gaudium fecerunt in cœlo. APOLLONIVS: Valdè lætificant ista. CAESARIVS: Non solùm peccatores fidẽ sine operibus habentes, per ipsam, vt probatũ est, illuminantur, imò etiã apostatæ à fide, quod signum est maioris misericordię, per eã Christo recõciliant. De hoc habes manifestè exẽplum in distinctione secũda, capitulo quadragesimo secundo, de iuuene, qui iuxta Florentiam Christũ abnegans, & diabolo se reddens, eius precibus

Etiam apostatæ à fide per Virginem reconciliantur Christo.

Eutychia in eius vita tom.1. Surij 4. Februar.

cibus peruenit ad indulgentiam. Simile legitur de Theophilo Alexandrino. APOLLONIVS; Quia iam sermo satis protractus est de beneficijs eius circa peccatores precor vt exemplis mihi ostendas, quãtis, & qualibus per eam iusti reuelationibus consolentur. CAESARIVS: Quàm mirificè iustos sibi seruientes sancta Dei genitrix virgo Maria consoletur, ex paucis, quæ subijciam, cognoscere poteris exemplis.

CAPVT XI.

B Virgo Maria etiam iustos consolatur.

CAusa extitit, vt quidam ex Abbatibus ordinis nostri pro negotio ordinis ad Henricum Imperatorem, filium Frederici mitterentur, inter quos præcipuus videbatur tam sanctitate, quàm dignitate, dominus Petrus monoculus Abbas Claræuallis, cuius mentio habita est in distinctione sexta cap. 11. Et quia dominus Cisterciensis in propria persona venire non potuit, Priorem pro se misit. Venientibus eis Spiram, cùm in ecclesia beatæ Dei genitricis semperq; virginis Mariæ, cuius structura stupendæ magnitudinis est, orassent, cunctis ocyus ab oratione surgentibus, & eiusdem ecclesiæ ædificia circumlustrando considerantibus, iam dictus Petrus (cuius cogitatus & delectatio non fuit ædificijs corruptibilibus, sed in structura Ierusalem cœlestis) in oratione perseuerauit. Tandem omnibus egressis, cùm in porticu ecclesiæ à canonicis honorificè fuissent salutati, & cum instantia multa ad prandium inuitati, requisitum est à quodam Abbate, in cuius honorẽ ecclesia esset consecrata. Respondentibus clericis in honorẽ Dominæ nostræ S. Mariæ, Abbas Clareuallis incõsideratè subiunxit; Et ego sciebã. Quod verbũ Prior Cistercij cõsiderans, tunc quidem tacuit, sed mox vt egressi sũt ciuitatẽ, eiusdẽ verbi recordatus,

datus, ait Abbati; Domine Abba, dicite mihi, vnde sciebatis Spirense monasterium in honorem dominę nostrę fuisse consecratum? Ille de verbo prolato dolens, respondit; Visum est mihi bene dicere, vt tam mirificæ structuræ patrona foret mater Dei, & cælorũ regina. Prior bene cognoscens eius sanctitatem, & quia aliquid sibi in ecclesia reuelatum fuisset ex responsione conijciens, adiecit; Ego in hac via vicem gero domini Abbatis Cisterciensis, in cuius auctoritate vobis præcipio, vt non mihi dicatis nisi veritatem. Tunc ille obedientia arctatus, cùm verecundia respondit; Quando prostratus coram altari pro peccatis meis, & viæ negligentijs, attentius oraui, ipsa beata virgo Maria mihi apparens, benedictionem, quam ordo noster super redeũtes de via dicere consueuit, super me dedit in hęc verba; Omnipotens sempiterne Deus, miserere huic famulo tuo, & quicquid ei in via subripuit visus, aut auditus malæ rei, aut otiosi sermonis, totum ineffabili pietate propitiatus indulge, per Christum Dominum nostrum. Hæc mihi relata sunt à quodam Abbate religioso ordinis nostri, in cuius domo idem Petrus sæpius visitauit. Ex benedictione eius intellexit, eam ibidem fuisse patronam. APOLLONIVS: Felix oratio, per quam tantæ virginis meretur benedictio. CAESARIVS: Non solùm orantes, sed etiam psallentes, sua benedictione consolari consueuit.

CAPVT XII.

HEnricus Conuersus in Hemmenrode, cuius memini in distinctione quinta, cap. quinto, loquens de dæmonibus, sæpius, in solennitatibus maximè, gloriosam virginem Mariam inter psallentes videre consueuit. Quæ nocte quadã, ipso intuente, de choro monachorum veniens, Dei

filium ex se natum in brachijs gestans, chorum ingressa est Conuersorum, & more Abbatis fratres excitando circumiens, ante quosdam, qui in oratione vigiles erant & deuoti, gradum fixit, filium eis ostendens, ac benedicens, deuotioni illorũ congratulando: tepidos autem & dormiẽtes, celerius pertransiuit, nil consolationis eis impendens. Singulos verò Conuersos in illa cœlesti circuitione visitatos, nec non & neglectos prædictus Conuersus diligenter notauit, singulos domino Hermanno, tunc ibidem Priori, nunc loci sanctæ Mariæ Abbati nominatim exprimens. Hæc ab eius ore audiui. APOLLONIVS: Simile recordor te dixisse in prima distinctione cap. 35. de Godefrido monacho Vilariensi. CAESARIVS: Tãta charitate beata Virgo Maria sibi deuotè famulantes complectitur, vt non solùm orantibus, non solùm psallentibus, sed etiam dormientibus benedicat.

CAPVT XIII.

NOcte quadam cùm Conuersus præfatus sederet in lecto suo, in infirmatorio, & cæteris dormientibus diceret orationes suas, vidit Dominam nostram sanctam Mariam eandem cellulam in magna claritate intrãtem, monacho quidam, quem nominare nolo, præcedente, matronis duabus subsequentibus. Supra cuius caput cùm manum posuisset, lectos infirmorum perlustrans, & dormientibus benedicens, iterum ad eum rediens, manuque super caput eius secundò posita, sic ait; Deus benedicat quicquid hic manet, sicque egressa est. APOLLONIVS: Si sic dormientes noctibus à speculo totius castitatis visitantur, valdè decet, vt tam ordinatè, & tam compositè religiosi in lectis suis iacere studeant, vt virgineus aspectus in eis nõ offendatur. CAESARIVS: Iustè moueris: referam

referam tibi de hoc exemplum, quod me audisse recolo à magistro meo in probatione.

CAPVT XIIII.

MOnachus quidam, sicut frequenter contingit, cùm nocte quadam dormire nõ posset, diceretque orationes suas, contemplatus est in dormitorio fœminam miri decoris, quæ dũ dormientium lectos circuiret, singulis benedixit, vno tantùm monacho neglecto, quem non respicere curauit. Hunc vigilans diligentius notans, cùm visio ei fuisset intimata manè, confessus est, quod eadem nocte inordinatè iacuisset, aliquid sibi de rigore ordinis relaxando. Non mihi dicere potuit magister meus, vtrum cingulum deposuerit, vel caligas demiserit, siue tunicam denodauerit. APOLLONIVS: Si pro culpa tam modica monachus iste gratia benedictionis priuatus est, puto eum dignum esse pœna, qui inordinatè, & impudicè iacere dormiens consueuit. CAESARIVS: De hoc terribile satis habes exemplum in distinctione quinta capitulo tricesimo quinto, de Conuerso quem diabolus impudicè dormientem, in forma monialis deosculabatur, qui mox infirmatus, infra triduum mortuus est. Dormientes enim & peccare possumus, & mereri: quæ enim vigilando cogitamus, siue ad quæ mouemur, siue bona sint siue mala, eadem nobis sæpe per somnia occurrunt; sicut catena dum trahitur & iactatur, pulsus pulsum impellit; ita in dormiente, præcedens cogitatio, motus, siue consensus, opus bonum vel malum inducit. APOLLONIVS: Placet quod dicis, procede nunc de consolationibus iustorum.

Indecenter cubantes nocte religiosos B. Virgo præterit.

CAPVT

CÁPVT XV.

CAESARIVS:

Consolatur pios.

SVpradictum Cóuersum Henricum, monachus quidam vitæ laudabilis, cuius nomen prodere non licet, obnixius rogauit, vt beatam Dei genitricem virginem Mariam pro se interpellaret, cùm ab illa visitaretur. Quod cùm promisisset, & die quadam dicto completorio in oratorio grangiæ, cuius magister erat, pro ipso preces funderet, apparuerunt oranti tres matronæ miræ pulchritudinis. Ad quarum decorem dum stuperet, & quænam essent, vel vnde venirent, intra se miraretur, vna ex eis cogitationibus eius respondit; Ego sum Maria Magdalena; hæc est vniuersalis domina Dei genitrix virgo Maria, digito eam demonstrás; tertia verò est Elisabeth: & adiunxit; Tu oras pro monacho illo, nomen eius exprimens, magis autem indiges vt ipse oret pro te. sicque disparuerunt. Super eiusdem monachi caput, cùm adhuc esset Diaconus & euangelium legeret ad missam, idem Conuersus columbam vidit descendentem, & vsq; ad finem lectionis ibidem manentem.

CAPVT XVI.

Vita Christiani monachi in Hemmenrode.

IN eodem Claustro, quod etiam Hemmenrode dicitur, monachus quidam fuit, prædicto Conuerso Henrico contemporaneus, nomine & opere Christianus. Istum multis modis Domina nostra consolari consueuit, secreta sua illi manifestans. Huius beati viri vitam, videlicet qualis ante conuersionem fuerit, vel post, in quantum scire potui, succinctè tibi perstringam: Non alia tibi de illo referam, quàm ea, quæ à religiosis viris, qui eum viderunt & nouerunt, mihi dicta sunt. Cùm adhuc esset scholaris, vt scholas visitans per prouincias discur-

discurreret, nocte quadam in domo cuiusdam mulieris hospitabatur, cuius filia, cùm haberet caput scabiosum, & instaret apud adolescentem, vt si aliquid cótra illum morbũ nosceret, sibi diceret, asserens multa experimenta scholares scire, & ipse negaret, illaq; neganti non crederet, tãdem importunitate eius victus, vt se ab illa liberaret, respondit; Accipe barbã Iouis, fuliginẽ & sal, & fac ex eis vnguentũ, de quo mox vt filiæ tuæ caput perunxeris, melius habebit. Quæ cũ eidẽ morbo essent contraria, fecit tamen mater sicut edocta fuit, & puella citius, nõ ppter medicinã, sed propter scholaris simplicitatẽ, vt opinor, plenè conualuit. Alio tẽpore, cũ in domo quadã sibi ignota dormiret, & propter necessitatẽ naturæ, solis femoralibus indutus surgeret, diabolus in specie nudæ mulieris illi occurrens, dorso eius nudo insiluit: quã cũ nullo conatu de dorso suo excutere posset, sic vsq; ad tẽpus matutinarũ circũeundo, magnũ tàm corporis, quàm mentis incurrit defectum. Ordinatus in sacerdotem, factus est capellanus comitis* Lossensis, in castro eius Missas celebrans. Filius verò Comitis, sciens illum virum esse simplicem, & timidum, vt eũ terreret, vrsi pelle se circumdedit, & more bestiæ super pedes manusque incedens, ad solum in capella sedentem sic venit, rugitus contra illum emittens. Quo viso, Christianus tertius, & penè extra mentem factus, arrepto cultello, tam validè illum collo iuuenis infixit, vt rueret penè mortuus; quicùm modicum respirasset, timens vitæ sacerdotis, ait; Fugite domine Christiane, quia filium Comitis occidistis. Mox ille territus fugit, & cùm venisset ad portam castri, dixit ostiario; Aperi, & sine me fugere, quia filium Comitis occidi. Vides quãta simplicitas? Statim vt hæc innotuerunt, parentes & familia planxerunt valdè, ad petitionem tamen iuuenis

al. Lossẽsis.

iuuenis Christianus reuocatur, culpa ignoscitur, contra spem vulneratus citius conualescit. Tempore quodam, cùm prædictus Christianus commẽdationem hominis mortui faceret, mortuus ille surrexit; fugientibus omnibus qui aderant, fugit & ipse Christianus, venitque ad fluuium, qui non longè aberat; quem mortuus sequẽs clamauit post tergum eius dicens; Domine est mihi domi aries optimus, tollite illum, & orate pro me, sicque ad feretrum, de quo exilierat, reuersus mortuus est, & sepultus. Habebat autem præter prædictam capellam, ecclesiam legitimam, cuius pastor erat, ad quam quotiens ire debuisset, fluuium quendam trãsire habebat, qui cùm minor esset, equo vectore illum transuadabat; cùm verò inundasset, nauigio transibat. Quodam igitur tempore, cùm ad fluuiũ de more accessisset, maiorem quàm crediderat reperit. Propter quod, cùm se, & equum ei committere non auderet, & nauicula deesset, paululumq; quid faciendum esset deliberaret, ecce apparens ei beata Maria Magdalena, apprehendit eum de vestimento supra collum, & in vlteriorem ripam deposuit, ita vt erat in equo sedentem. Lætus itaque ad ecclesiam peruenit, & diuina celebrare exorsus est, nullum habens adiutorem, nisi rusticum ecclesiæ custodẽ; Beata verò Maria Magdalena, quæ mirabiliter eum illuc perduxit, missæ eius interesse non refugit. Nã quotiens se vertebat dicendo; Dominus vobiscum, vidit matronam reuerendissimã in oratorio deambulantem, in qua nullum sciens esse mortalium, nisi prædictum custodem, eundem Missa finita conuenit, interrogans, si aliquid vidisset: ipse autem etiam se eã vidisse asserebat. Quia, teste scriptura, dignum est vt iustus iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc; considerans venerabilis sacerdos mundi pericula, diaboli tentamenta,

Apoc. 22.

menta, carnis incentiua, diuina gratia inspirante, mundum deseruit, & religionis habitum in Hemmenrode suscepit. Die quadam in solario probationis, in oratione iacens, & de corporis sui imbicillitate, ordinis districtione, pœnisque purgatorij cogitans, tædere cœpit, & mox mirabili quadam virtute, animam suam à corpore separari sensit. Vidit & sepulchrum opere merifico coram se compositum: & ecce sancta Dei genitrix semper virgo Maria, in claritate maxima, cum multa turba virginum per fenestram, eo videnti, ingressa est, dictumq; est quod ipsa esset mulier de Nazareth; quæ corpus exanime sacerdotis à capite leuans, & Fredericus Imp. auus huius Frederici, qui hodie imperat, à parte pedum, reuerenter illud tumulauerũt. Deinde beata virgo Maria cùm multitudine angelorum obsequentium, ad cælestia rediens, animam tumulati, dæmonum caternis sequentibus ac massas igneas post eam exsufflantibus, secum duxit, illęsamque custodiuit. Ducta tamen ad quendam ignem maximum, edocta est ab angelis, post mortem illuc esset reditura, & ignem eundem transitura. Repente se corpori restitutam inuenit. De modo illius transitionis & causa, nemini aliquid dicere voluit. Testatus est autem, animam suam vbique fuisse oculatam, & tantæ scientię, quam diu exuta fuit à corpore, vt post suscitationem, cæcitatis suæ caliginem miraretur. Interrogatus de formis angelorum & dæmonum, respondit, angelos se vidisse in specie pulcherrimarum auium; dæmones verò in effigie coruorũ. Hic recordor dicti cuiusdã, cuius anima nuper educta fuit à corpore, quando non est reuersura, reliquas animas siue spiritus angelicos videt: quãdò verò reuersura est ad corpus, nõ ei datur animas siue angelos cõtẽplari, nisi sub aliqua similitudine, & lineamentis, ppter viuẽtes.

APOL.

APOLLONIVS: Satis videtur istud esse probabile: Sed quid significat quod prædictum sacerdotem Domina nostra cum Imperatore Frederico tumulauit? CAESARIVS: Sicut mihi retulit præfatus VValterus, qui huius tumulationis solutionem cũ maximo labore, & hoc secretissimè, ab eo elicere potuit, quantum beata virgo Maria illum dilexerit, vel quanti meriti apud Deum fuerit, per eandem visionem ostendit: ac si diceret; Nullius in regno terreno Frederico Cæsare, qui nunc imperat dignior est, nec ipse tamen præstare obsequium sepulturæ tuæ dignus est. Ita ipse intellexit. Dæmones verò in diuersis formis sæpissimè vidit, hominum videlicet, animalium, reptilium, sicut in quinta distinctione memini me plenius dixisse capitulo vj. Cùm tempore quodam staret inter alios ad horam sextam, vidit mensam in medio chori stantem, decentissimè præparatam: venientes autem tres viri, decoris maximi indumenta sacerdotalia apportauerunt, & explicantes ea super mensam ei præsentauerunt. Alio itidem tempore, cùm initio laudum psalmus, Deus misereatur nostri, decantaretur, vidit dexteram Dei super medium chori dãtem benedictionem super conuentum: ob quam causam concessum est fratribus Conuersis, in maioribus festis, illum psalmum semper audire: APOLLONIVS: Miror quibus meritis vir iste ad tantam peruenerit gloriam? CAESARIVS: Virtutibus animi maximè, charitate videlicet, simplicitate, humilitate, & in his similibus. In his enim consistit regnum Dei, non in sermone, vel labore corporali. Prædicare autem, seu manibus laborare sine virtutibus, ad modicum valet. Tantæ siquidem fuerat humilitatis, vt si aliquem monachorum obuium habuisset, complicatis manicis se contraheret, &, ne illum veste tangeret, in partem declinaret.

Requisitus de hoc, respondit; Ego sum peccator, & non sum dignus vt hos sanctos viros tangam, vel tangar ab eis. Duos siquidem filios ante conuersionem in iuuentute genuerat, non tamen legitimè, Henricum videlicet de Vilario, virum sanctum, de quo est dictum in quarta distinctione, capitulo tricesimoprimo; & Ioannem monachum de Claustro, qui adhuc superest. APOLLONIVS: Quid est, quod maiorem in huiusmodi reuelationibus gratiam videmus impendi peccatoribus, & lapsis post pœnitentiam; quàm his innocentiam suam seruauerunt? CAESARIVS: Vbi abundauit delictum, ibi frequenter superabundat & gratia; & fit hoc ex ineffabili misericordia Dei, ne videlicet lapsi, propter peccata commissa desperent, & ne innocentes, de sua superbiant innocentia. Sedente me tempore quodam in conuentu sanctimonialium ordinis nostri, cùm de huiusmodi visionibus conferremus, vna ex virginibus dixit ad me: Videte quod Deus talibus secreta reuelat, & non nobis, vnam digito demonstrans, quam non virginem venisse ad ordinem suspicabatur. Cui ego respondi, quod iã supra dixi, hoc adijciẽs; Vos fortè eandem gratiam adscriberetis virginitati vestræ, & vult Deus magis vos esse humiles, quã virgines. Bene intellexeram, non sine superbia eam verba protulisse. Quod talium mentes quandoque virtus virginitatis extollat, ex verbis cuiusdam alterius sanctimonialis tibi plenius ostendã. Certè, inquit, non ero similis ego, quæ virgo sum, quæ filios, & filias genuerunt. Quantum tamen Deo humilis virginitas placeat, & quàm mirificè sua illis secreta reuelet, sequentia capita declarabunt. APOLLONIVS: Memini te superius dixisse, meritum magis consistere in virtutibus animi, quàm in operibus exterioribus: vt quid

Rom. 5.

vt quid ergo quotidiè mortificamur orando, legendo, vigilando, ieiunando, cantando, & manibus laborando? CAESARIVS: Hæc omnia sine merito vitæ æternæ fieri possunt; motus autem virtutum, nunquam. Quicquid sine charitate & cæteris virtutibus fit, mortuum est. Audi ergo vtilem distinctionem ex regulis theologiæ, per quam cognoscere poteris, penes quid meritum consistat. Meritum consistit penes gratiam efficaciter, penes liberum arbitrium occasionaliter, penes virtutes formaliter, penes motus virtutum essentialiter, penes opera virtutum, vt est oratio, & reliqua paulò ante à te enumerata, instrumentaliter. Plenius tibi hanc distinctionem exponerem, si non ad eas, quæ adhuc supersunt huius beati viri visiones festinarem. Quodam tempore cùm grauiter infirmaretur, & à ministro vt aliquãtisper gustaret rogaretur, dixit quod septẽ dies transissent, in quibus singulis visitationem domini nostri Iesu Christi & dulcissimæ matris eius Mariæ accepisset, de quorũ visitatione tã dulciter esset refectus, quod nullum cibi vel potus haberet appetitum. Alio itidem tempore cùm ægrotaret infirmitate peremptoria, & filio suo prædicto Ioanni quasdam visiones recitaret, cognoscens hoc dominus Geuardus, tunc infirmarius ibidem, postea Abbas noster, à quo hæc audiuimus, ad Priorem currit, & quia dominus Christianus quædam mirifica filio suo recitaret, nunciauit. Mox Prior ad illum veniens, & coram ipso sedens, si aliquid loqui vellet de confessione ex industria interrogauit. Cui cùm responderet, confessionem feci, subiunxit; Rogo vt aliquid mihi dicatis ad ædificationem. Tunc ille; Quid dicam vobis? Iam enim domina nostra sancta Maria fuit ante me cum filio suo Domino nostro Iesu Christo, & quia horas meas ab corporis imbecillitatem

Vide lib. 2. Sent. d. 27.

litatem dicere non potui, ipsi me iuuerunt: quasdã horas speciales dicere consueuerat. Vniuersa hæc audiuit prædictus Geuardus post tergum Prioris sedens. Interrogatus etiam, qualia haberent vestimenta, respõdit; Cucullas sicut & nos. In tali enim habitu se ei ostẽdere dignati sunt, qualem ille pro eis susceperat. Sicq; fine beato decedens, ab ipsis receptus est, à quibus moriens fuerat visitatus, & in æternis sedibus cum gloria locatus.

CAPVT XVII.

NVper monachus quidam ordinis nostri, Adam nomine, per nos transiens, inter cætera, mirifica quædam de domina nostra sancta Maria nobis recitauit, quæ in suo monasterio veraciter cõtigisse testabatur, ex quibus etiam duo nũc proferam, reliqua locis competentibus reseruabo. Vocatur autem domus eius Lucka, & est sita in Saxonia. Est ibi custos vir bonus & religiosus, qui cũ nocte quadam oratoriũ intraret ante matutinas, dominam nostram sanctam Mariam, tanquam oratorij patronam super altare in multa gloria residere conspexit. De qua visione valdè lætificatus est, sperãs ministerium suũ illi placere. Alio verò tempore, cũ ostia oratorij reseraret, venissetq; ad cancellos, vbi hospitibus stare moris est, diabolũ super feretrum, in effigie hominis nigerrimi, iacere vidit: qui cùm se signaret, nec ille fugeret, mox vt proprius accessit, fantasma euanuit. Tunc ad confusionem diaboli, super ipsum feretrum se composuit, tam diu in eo iacens, donec septem psalmos pœnitentiales decantasset.

CAPVT XVIII.

ALius quidam ex monachis eiusdem loci, vir tanta gratia dignus, nocte quadam domi-

nam nostram sanctam Mariam vidit chorum psallentium circuire, & singulorum monachorum vultus detegere, duobus tantùm neglectis, ex quibus vnus mox incurrit apostasiam; de altero quid adhuc futurum sit ignoratur.

CAPVT XIX.

IN eodem cœnobio monachus quidam, nocte quadam putans in oratorio nolam ad matutinas esse pulsatã, cum multa festinatione surgẽs, oratorium intrauit, venienſq; ad presbyterium, circulum nimiæ claritatis, ad instar iridis formatum in aëre super altare conspexit. In quo Dei filium Saluatorem nostrum Iesum Christum, cũ beatissima matre sua Maria contemplatus est, & circa ipsos ex omni parte multitudinem sanctorum, illorum maximè, quorum in ecclesia reliquæ continebantur. Nouerat enim illorum nomina, eò quod quandoque ibidem fuisset sacrista. Nec mihi constat, si idem fuerit qui supra. Stante eo in loco prædicto, ait domina nostra duobus angelis; Adducite eum ad me. Quo facto cùm literas in circuitu coronæ beatæ Dei genitricis scriptas legere iuberetur, nec posset; ait illa angelis; Deponite eum ad terram, ibique petens veniam, dicat angelicam salutationem, & reducatur. Quod cùm factum fuisset, & adhuc easdem literas minimè legeret; tertiò eodẽ modo depositus & reductus, litteras quidẽ legere, & intelligere potuit, sed ne scripturam vlli hominum proderet, interdictum accepit. Quo ad terrã ab angelis deposito, disparuit hæc visio. APOLLONIVS: Miror, si sic domina nostra visitet perfectas fœminas, quomodo viros. CAESARIVS: Non est apud ipsam differentia, fœmina nata est, omnium virorum caput Christum ex se genuit, vtrumque

que sexum consolatur & visitat, vtriq; sua secreta reuelat. Hoc esse verum, magis tibi ostendam exemplis, quàm verbis.

CAPVT XX.

Etiam fœminas visitat B virgo Maria.

IN regno Franciæ villa, quæ Quido dicitur, virgo quædam fuit nobilis & religiosa, sed paralytica. Huic pater suus, vtpote vir magnus & diues, sacerdotem, qui ei diuina celebraret instituit, ministros, annuoſq; redditus sufficienter ordinauit: quæ cum orationibus, ieiunijs, & diuinæ contemplationi operam daret, ita illarum dulcedine est pasta, vt omnis cibus corporalis ei in nauseam verteretur, nec aliquid ex eo sumere posset, nisi succum modicum vuarum. Hospitalis erat valde, per quam & spiritum meruit prophetiæ. Ordinem nostrum summo honore reuerebatur; & hoc ei sæpissimè contigisse fertur, vt cum aliqui monachorum, siue Abbatum ad eius hospitium diuertere proponerent, illorum aduentum ipsa præsciret, atque in hunc modum hilaris familiæ prædiceret; Tali ac tali die, illi & illi Abbates siue monachi ad nos venturi sunt, præparate necessaria. quod ita factum est. Visionem quandam mirificam de ordine videre meruit, quę in ordinis amorem illam plurimum accendit. Tempore quodam capituli generalis, in ipso capitulo scalam miræ pulchritudinis vsq; ad cælum vidit erectam, dominumq; innixum scalæ super capitulum respicientẽ, cuius latera & gradᵒ tanti splendoris erant, vt solares radios superarẽt. APOLLONIVS: Quid tibi autem significasse videtur hęc visio? CASARIVS. Licet omnia, quæ in eodem capitulo tractabãtur ab Abbatibus, qui ex diuersis mundi partibus illuc confluxerant, diuina inspiratione fierent, haud dubiũ tamẽ, quin sancti angeli descendentes & ascendentes, eandem Christo, ob

sto, ob cuius honorem fiebant, nuntiarent. APOL-
Genes. 28. LONIVS: Videtur mihi sancta hæc virgo in visi-
one hac sancto Iacob patriachæ æqualis, quem si-
milem visionem in Bethel scriptura vidisse com-
memorat. CAESARIVS: Iudicio humano, vide-
tur hæc visio illa superior, eò quod illa facta sit in
somnis, ista vigilando in excessu mentis. Se-
quenti capitulo, cùm relata fuisset hæc visio Abba-
tibus, exultantes in Spiritu sancto aiebant; Verè
terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi do-
mus Dei & porta cœli. Alio tempore cùm in die
Purificationis dominæ nostræ sanctæ Mariæ Virgi-
nis, clericis, alijsq; ministris diuino nutu abscn-
tibus, sola iaceret intra se tristis, dicebat; Modò hic
sola iaces, nec aliquid obsequij more ecclesiæ vni-
uersalis hodie beatæ Dei genitrici Mariæ impēdis.
Dum talia in mente volueret, spiritus eius mira bi-
li Dei virtute de corpore eductus, ab angelo in cœ-
lestem Ierusalem est deductus; in qua maximā vidit
processionem, ex diuersis eiusdem beatæ ciuitatis
ordinibus, Patriarchis videlicet, Prophetis, Apo-
stolis, Martyribus, Confessorib°, Virginibus, cæte-
risq; fidelibus; ex quibus bini ac bini simul incede-
bāt, & candelas ardētes in manibus gestabāt, anti-
phonas, siue respōsoria, ad diē pertinentia, more ec
clesiæ militātis, oēs decantabāt, & stationes debitas
obseruabāt. Angel° verò virginis ductor, alteri cui
dam virgini, quā nouerat esse cōsimilis meriti, illā
sociauit, candelam porrigens ardentē. Tantus erat
decor omniū tāta gloria, in dispari tamen claritate
singulorū, vt nulla lingua fari sufficeret. Saluator
verò, qui caput est omniū sanctorum, splēdor glo-
riæ, & sol iustitiæ, indutus pōtificalibus, mitram ge
stās in capite suo, cum baculo, chirothecis, & an-
nulo, & reliquis episcopalibus ornamentis, nouissi
mum locum cum sanctissima matre sua Maria te-
bat:

bat: cuius pulchritudinem omnis ille cælestis
exercitus mirabatur. Qui cùm post tertiam sta-
tionem inchoasset antiphonam; Hodie beata vir-
go Maria puerum Iesum præsentauit, & cætera, in-
gressi sunt templum ex auro, gemmisque constru-
ctum. Deinde incœptus est missæ introitus, vide-
licet; Suscepimus Deus misericordiam tuam, & ab
omnibus simul decantatus. Interim Christo in-
troeunte ad altare, postquam expletum est Kyrie-
leison à choris alternatim, post Gloria in excelsis
Deo & cæt. quod ipse Dominus noster Iesus Chri-
stus inchoauit, beatus Protomartyr Stephanus epi
stolam legit de libro Malachiæ, prophetæ, videli- Mala. 3.
cet, Ecce ego mitto angelum meum. Sanctus verò
Ioannes Euangelista, dalmatica indutus, legit euan Lucæ 2.
gelium secundum Lucam, scilicet, Postquā impleti
sunt dies purgationis Mariæ, & cætera. quo perlē-
cto, Dñs secundū morem ordinis nostri, ad gradum
redijt, & ab offerentibus cādelas suscepit. Prædicta
autem virgo, per spiritū sentiēs se ad corpus reuer
suram, candelam suam offerre noluit, etiam angelo
suo prçcipiente, volēs illam secum ad terras porta-
re: quod angelus considerans, candelam in manu
eius fregit, superiorem partem auferens, & inferio
rem illi relinquens, sicque ad corpus reuersa, par-
tem eandem manu cōclusam, se retinuisse inuenit.
De qua plurimæ fiebant, & fortè vsque hodie fiunt
virtutes; Nam aquam superfusam, infirmi bibunt,
& conualescunt. Tam manifesta & sublimis erat
visio, vt modū eius minimè intelligeret, dicens il-
lud Apostoli cū de ea interrogaretur; Siue in cor-
pore, siue extra corpus, nescio, Deus scit. Domi-
nus Eustachius Abbas de Claustro siue Hemmēro-
de vsitator noster, audiens hanc visionem quibus-
dam Abbatibus referentibus, desiderio veritatis
cognoscendæ, virginem principaliter adijt, & ab

Universidad de Deusto Biblioteca

eius ore, quæ dicta sunt audiuit. APOLLONIVS: Non possum visionem Apostoli huic præferre, qui se vsque ad tertium cœlum raptum fuisse testatur. CAESARIVS: Nosti quid sit tertium cœlum? APOLLONIVS: Non. CAESARIVS: Primum cœlum, visio est corporalis: secundum, visio spiritualis; tertium, visio mentalis. hac vsus est in suo rāptu Apostolus, sicut & hæc virgo: quod viderunt, hoc & intellexerunt. Si autem quæris de loco, primum cœlum intelligas aëreum: Secundum sydereum: Tertium empyreum; in hoc corpora electorum erunt post resurrectionem gloriosam. Verùm an ad hoc cœlum, nec ne corpore rapta sit hæc virgo, nescio, Deus scit. Aliam verò Deus illi ostendit visionem, multo hac excellentiorem. Cùm tempore quodam cogitaret de abysso æternæ prædestinationis, & ineffabili sacramento, atque remedio diuinæ incarnationis, facta in excessu, virginem coram se vidit crystallinam, id est, admodum crystalli perlucidam, in cuius vtero contemplatus est infantem pulcherrimum, regio diademate coronatum. Habebat autem idem diadema quatuor flores eminētes, qui, ea intuente, sursum ascendentes, & virginis cerebrum excrescentes, in ramos arboreos profecerunt, & modico spacio temporis emensо, quatuor mundi partes impleuerunt; quorum fructus erant pulcherrimi, odoris eximij, miriq; saporis. Et ecce, sub ramis eiusdem, apparuit omne genus humanū à protoplasto Adam, vsque ad vltimum, qui in fine mūdi nasciturus est. Soli verò electi, fructus arboris carpebant, eisque vescebantur; reprobi autem nihil ex eis contingere, vel vesci potuerunt. In qua visione, tantam diuinitus accepit scientiam, vt postea loquens de aliquo, mox intelligeret vtrum esset prædestinatus, vel præscitus. Si verò prædestinatus, satis cum illo,

Haymo in 1. 2. poster. epist. ad Cor.

illo, quasi cum ciue loqui delectabatur: si autem præscitus, mox se ab eius colloquio liberauit. APOLLONIVS: Mira sunt quæ dicis. CAESARIVS: Si Deus tanta & talia iustis ostendit in via, quanta putas illi ostendet in patria? Reuera, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Die quadam cùm corporale, quod iam lauerat, panno mundissimo substrato radijs solaribus per fenestram immissis super genua sua desiccaret, matrona reuerendissimi vultus ad illam ingressa, infantem pulcherrimum, quem manibus gestabat, eidem corporali superposuit & abijt; quē cū amouere vellet, ignorans quis esset, ait infantulus; Sine me sedere super linteamen meū, sicque in oculis eius disparuit: & cognouit, quia Christus esset, qui sub specie panis super sanctum altare eidem linteo inuolui consueuit. Multa alia huic virgini reuelata sunt, quæ mihi non sunt relata, quæ fortè ab alijs sunt conscripta. Non est diu, quod ab hac luce migrauit, laboris sui, ac patientiæ mercedem receptura.

1. Corin. 2.

CAPVT XXI.

De Christina virgine monti S. Valburgis.

IN monte sanctæ Valburgis, cœnobio ordinis nostri, quod duobus miliarijs distat à Colonia, quædam sanctimonialis virgo ante paucos annos est defuncta, nomine Christiana. Huic Dominus & beata eius genitrix plurima de secretis suis reuelauerunt, ex quibus aliqua, non per ordinem, sed sparsim tibi replicabo. Cùm tempore quodam, in festiuitate assumptionis gloriosissimæ dominæ nostræ, visitaret apud nos in Heisterbach prædictus Eustachius pater noster, & essent cū eo plures Abbates in ipsa sacratissima nocte, iam dicta virgo de loco nostro visionem vidit huiusmodi. Cùm

Cùm Abbas præfatus dicto Euangelio hymnum, Te Deum laudamus, inchoasset, illa stans in choro suo, mentis excessum passa est, viditque cœlum super congregationem nostram apertum. Et cùm illo in tempore oratorium nostrum totum esset ligneum, vtramque eius frontem auream esse conspexit. Sustollens oculos, cùm cœlum intueretur, gloriosam Dei genitricem Mariam, totius ordinis nostri patronam in sede splendidissima vidit residentem, & circa illam sanctorum multitudinem, quorum ætas circa viginti quinque annos esse videbatur. Cùm verò chorus monachorum inclinando deuotè cantaret, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, ipsa virgo beatissima deuotioni eorum congratulans, coronam miræ pulchritudinis, quales in ecclesijs pendere solent, per catenam auream super conuentum demisit. Loco autem nodi, gemma erat pretiosa nimis ac lucida, in qua scriptum erat, O clemens, O pia, O dulcis Maria. De ipsa gemma, tria procedebant brachia, quæ coronam dependentem tenebant. Ex nomine verò, Maria, radij quidam exeuntes, nomina singulorum monachorum, eadem hora in choro existentium, quæ per circuitum coronæ scripta videbantur, illuminabant. In eisdem nominibus, magna erat inæqualitas, tam in positione, quàm in claritate, quia secundum claritatem meritorum, erat claritas nominum; & quorundam nomina, qui recentiori tempore venerant, quorundam nominibus videbantur superiora, qui diu in ordine laborauerant. Ex quo colligitur, quod merita domino famulantium, non consistant penes spatium temporis, non in labore corporis, sed magis penes feruorem deuotionis. Cùm autem ventum esset ad illũ locum; In te Domine speraui, non confundar in æternum, coronã retraxit in cœlum, clara voce dicens;

cẽs; Sicut ego hodie sum in gloria mea, ita isti õnes mecum erũt in æternũ. Cum nihil apud nos de hac visione sciretur, Theodericus de Lureke monachus noster, accedens ab Abbatem nostrum, dominum Henricum, conquestus est ei quod eadem sanctissima nocte, nihil potuisset habere deuotionis, antequam ventum fuisset ad prędictum locũ hymni, scilicet, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth. De quo verbo postea satis mirabatur, cùm ei visio recitata fuisset. Antequam eadem sanctimonialis veniret ad ordinem, essetq; nubilis & adulta, die quadam stans ad missam in ecclesia quadam, cum lecto euãgelio campanarius existet, putans se posse redire ante, Sanctus, sanctus &c. & sacerdos expletis secretis dixisset, Per omnia secula seculorum, Dominus vobiscũ, Sursum corda &c. quæ ibi sequuntur, imago Dei genitricis semperq; Virginis Marię desuper altare ad singula respondit. Illa nouitatem vocis considerans, vt campanarium abesse deprehẽdit, defectum illum gloriosam virginem suppleuisse per os suæ iconæ non dubitauit. Ex quo nobis verecundia incutitur, si ibi desides & negligẽtes fuerimus, cum circa illud ineffabile sacramentum, tanta sint sanctorum obsequia. Quod autẽ gloriosi nominis matris domini inuocatio, ergà ęgros salus sit & medicina, subiecta probabunt exempla.

CAPVT XXII.

B. Virginis inuocatio, ægris est medicina.

IN Arnsburgh, domo ordinis Cisterciensis, fuit quidam frater, deuotissimus erga beatam virginem Dei genitricem Mariam: hic dum aliquantum temporis in eius domo seruitium peregisset, æstu cordis incredibili cœpit anxiari, aliquam sibi specialem visitationem à matre misericordiæ cupiẽs impertiri. Igitur intempeste quadam

dam noctis hora, dum in strato se ad requiescendum collocasset, oculis somnum non capientibus, toto cordis affectu fiducialiter inuitare cœpit beatam virginem, vt de alta sede polorum descenderet ad se inuisendum. Tum repentè è lecto prosilit, & pomarium quoddam dormitorio cõtiguum, ingreditur: in quo aliquantum resedit, oculis cordis & corporis sursum erectis. Tũ ecce virgo pulcherrima ingreditur, his eũ verbis alloquens; Nunquid non desideratis audire cantum meum? Quo respõdente, Desidero; tam dulciter modulata est, vt vix aures humanæ sufferre possent. Melodia autem illa terminata, inclinauit se virgo, abijt. Et post pusillum, vidit aliam virginem ingredientem, ad instar prioris, nimio fulgore micantem, quæ etiam dulce melos cecinit, & recessit. Quas intellexit fuisse beatã Katherinam & Agnetem, Et post paruum interuallum, ecce gloriosissima mater misericordiæ Maria, per semetipsam visitare dignata est deuotum sibi famulum, quæ etiam omnes sibi in veritate seruientes, neque hîc, neque in futuro sua gratia destituet. Venit ergo circumuallata agminibus angelorum, omnem terræ noctis horrorem vultus claritate ac splendore lampadarum fugans, propiusque accedens, blanda voce eum compellare cœpit; O frater charissime, si placuerit, qualiter cunque recompensabo deuotissimum famulatum tuum, dulci melodia. Beata itaque virgine melos prę cinente, frater ille quasi in extasi factus, in faciem corruit, & omnis illa visio disparuit. Interim fratres ex more ad matutinalem surgunt synaxim, prædicti fratris absentiam vehementer admirantes, quia nunquam diuinis officijs se subtrahere solitus erat, nisi graui infirmitate depressus, vel quolibet vtili negotio occupatus. Quapropter, quia reuerẽdus omnibus habebatur, officinas totius monasterij

sterij perlustrantes, tandem in prædicto pomario repererunt, vultum habentem in terram demissum; quem leuantes, & in lectum deponentes, omnem diligentiam adhibuerunt. Qui sospitati redditus, per præceptum Abbatis sui, coactus est omnem rei ordinem pandere. Qui postea non ingratus beneficijs sibi collatis, reliquum tempus vitę feruentius in Dei seruitio, atque eius pijssimę genetricis perfecit, tandemque fine beato requieuit. Hæc mihi relata sunt à religiosa vidua, sorore eiusdem fratris, quæ omnia testata est se veraciter intellexisse.

CAPVT XXIII.

NObilis vir Otto, quandoque Xantensis præpositus, tempore quodam adolescentiæ suæ, duplici laborabat infirmitate, febre videlicet acuta, & fistula in locis naturæ secretionibus; quam infirmitatem ob verecundiam medicos celans, & pro remedio sanitatis Dominam nostram frequenter inuocans, febre inualescente desperatus & depositus, candela, more secularium, manui eius impressa, omnibus, qui aderant, visus est expirasse. Et ecce beata virgo Maria, quã inuocauerat, spiritui eius visa est adesse cum filio, his verbis eum pro iuuene interpellans, Fili, inquit, da mihi puerũ istum. Qui respondit, tuus sit. Ad quod verbũ mox cœpit ægrotus, velut circumstantibus visum est, mortuus respirare, atque confortari, in tãtum, vt in lectum suum se iuberet reponi. De febre per intercessionem beatæ virginis tunc plenè curatus, cùm adhuc fistula laboraret, tacito morbo, per totam ciuitatem Traiectensem missarum suffragia, maximè de Domna nostra, pro sua incolumitate sibi impendi postulauit. Et quia medicinam spiritualem medicinæ corporali præposuit, ante-

antequam missæ omnes essent peractæ, sacramenti virtus fistulam dirupit, & sanies erupit, sicque integraliter sanatus, pro gratiarum actione cruce signatus est. Eodem tempore veniens Vercellas ad domum ordinis nostri, Dominum VValterũ, quindoque magistrum suum, & tunc nouiter conuersum, modo Abbatem Vilariensem, ibidem reperit, & salutauit, cui etiam ordinem suæ miraculosæ curationis recitauit, hæc adijciens; Vtinam modò non essetis hîc, vt simul mare transire possemus. Quem cum interrogasset de quibusdam vitijs, quibus illum aliquando subiacere nouerat, & si de illis se emendasset, & ille respondisset, non, subiecit; Certe malas gratias curatori & curatrici vestræ rependitis. Postea verò schisma propter ipsum in episcopatu Traiectensi ortum est, & extitit causa multorum malorum. Hæc nobis prædictus retulit Abbas Vvaltarus. Quam medicinale sit nomen Mariæ, quodam iocundissimo pandam tibi miraculo.

CAPVT XXIIII.

ANte hos annos, cùm Catholici contra Albienses hæreticos fuissent signati, & iam non mooicum ab eisdem essent ijdem hæretici exacerbati, duo honesti clerici per terram illorum transeuntes, cùm ecclesiam vidissent in via desolatam, ait vnus alteri; Sabbatum est, intremus ecclesiam hanc, & dicamus missam in honore dominæ nostræ. Portabant enim secum librum, calicem, & indumenta sacerdotalia. Antequam esset missa completa, hæreticis proditi sunt; qui armata manu intrantes, & sacerdotem de ecclesia trahentes, linguá eius radicitus abscíderunt. Quem socius cum multo labore Cluniacum deducens, monachis commẽdauit. Illi verò, sicut viri Catholici & religiosi, sacerdotẽ

cerdotem catholicum & notũ, propter fidem Christi & genetricis eius Marię honorem tam crudeliter muti latum, deuotè suscipientes, omnem ei humanitatem exhibuerunt. In nocte verò Epiphanię cùm solemnes decantarentur vigiliæ, baculo parietem pulsans, ministros aduocauit: qui cùm quærerent quid vellet, & ille se in oratorium deportari signaret, volentes ei parcere, non acquieuerunt. Tãdem, importunitate eius tædiati, in ecclesiam eum ducentes, ante altare quoddam deposuerunt. Qui cùm matrem misericordiæ tota mentis deuotione inuocasset, illa ei apparens, & carnem linguæ formam habentem in manu tenens, respondit oranti; Quia propter fidem filij mei, & honorem mihi exhibitum, lingua tua priuatus es, ecce nouam tibi restituo, aperi ergo os tuum: quod cum fecisset, digitis ori eius immissis, radici linguæ præcisæ eandem carnem coniunxit, & vniuit, sicq; disparuit. Qui mox cum angelo in vocem laudationis erumpens, clara voce clamauit; Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum, vsq; ad finem. Quam salutationẽ cum crebrius repeteret, stupentes accurrêre ministri, accurrerunt & de choro monachi, de tam puro, & tam iocundo miraculo, Deum eiusque genitricem glorificantes. Non immemor collati sui beneficij clericus, in eodem cœnobio factus est monachus. Cùm Ioannes Scholasticus Xantensis circa idem tempus est in prouincia Albiensium cum exercitu Domini, audiens de tanto miraculo, in reditu Cluniacum venit, iam dictum monachum sibi ostendi petiuit, & obtinuit, linguam vidit, ab eius ore, quæ dicta sunt, audiens. Sicut nobis retulit idem Ioannes, reliqua carne cãdidior est, in loco præcisionis seruans cicatricem. Huius miraculi testis est vniuersus Cluniacensium conuentus, vsque hodie.

CAPVT

CAPVT XXV.

ADam ſacerdos & monachus in Lucka, cuius ſupra memini cap. 17. conſiderans me in huiuſmodi miraculis delectari, ex multa charitate, mihi de ſeipſo retulit, quod dicturus ſum: Cũ inquit, eſſem puer, ita caput habebam ſcabioſum, vt præ fœtore putredinis eius, mecum ſedere, vel legere ſcolares recuſarent. Prima oratio quam didici, ſalutatio erat angelica, adhuc puerulus ſatis eam frequentans. Cùm apud monaſterium VVeſtphaliæ poſitus fuiſſem ad literas, & eundo ad ſcholas, ſiue ad matutinas, quotidie tranſirem per quandam eccleſiam conuentualem ex neceſſitate viæ, ſine intermiſſione ante oratorium, in honore Dei genitricis Mariæ dedicatum, cum tribus venijs, totidem feci ſalutationes. Nocte quadam, putãs ad matutinas fuiſſe compulſatum, ſurrexi tremẽs, & cùm veniſſem ad iam dictum monaſterium, eſſetq; oratorium clauſum, tribus vicibus, ſecundum conſuetudinem, genua flectendo, Dominam noſtram angelico verſiculo ſalutaui. Surgens verò, inueni oſtium apertum, & tanta erat in eccleſia claritas, vt fulgori meridiano aſsimiletur: quam cùm ſtupidus intraſſem, vidi ante maius altare, ſeptem matronas pulcherrimas reſidentes, vnam in medio, quæ cęteris clarior erat, & ſex hinc inde, id eſt, tres à dextris; & tres à ſiniſtris. Media verò me vocans, cum propius acceſſiſſem, ait; Bone puer, quare non adhibetur cura capiti tuo? Reſpondente me; Domina, ſatis circa me laborauerunt amici mei, ſed nihil profecerunt, ſubiunxit illa; Noſti quæ ſim? Cui cùm dicerem; Non domina. Reſpondit; Ego ſum mater Chriſti, & domina huius oratorij; quia mei memoriã ſolitus es habere, ego tibi curã adhibeo: Accipe fructus ligni fuſilis, & fac tibi hodie ex eo lauari caput tribus vicibus ante miſſam, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſtatimque curaberis: & adiecit; Ad me accede Adam; quod & feci. Flectente me coram ea genua, manum ſuper caput meum ponens, ait; Ab hac hora, vſq; ad diem mortis tuæ non dolebis caput. Manè verò cuidam fratri, qui me nutriuit, omnia retuli; qui in vallem proximam deſcendens, & oſtenſos fructus colligens, prædicto modo caput meum lauit, ſtatimque conualui: Dolorem verò capitis, nunquam ab illa hora paſſus ſum, cùm tamen hoc in ordine ſatis ſit miraculoſum. APOLLONIVS: Vt video medicina beatæ Virginis nihil efficacius, nil ſalubrius eſt. CAESARIVS: Nec mirum, ipſa medicum genuit, ipſa medicinam generis humani ex ſe produxit. Vnde ſcriptum eſt; Germinet terra herbam virentem ſecundum genus ſuum, id eſt, Maria Chriſtum hominem, qui animatum corpus ſumens, de virgine naſci dignatus eſt. Item expreſſius in Eccleſiaſtico; Altiſſimus de terra creauit medicinam, id eſt, ex carne virginis Mariæ Saluatorem; IESVS interpretatur Saluator, ſiue ſalutare; quia ſaluator medicus eſt, & ſalutare medicina eſt. Quod Maria terra ſit, teſtis eſt Iſaias, qui dicit; Aperiatur terra & germinet Saluatorem. Quod de hac terra creatus ſit, idem propheta dicit in perſona Patris; Ego Dominus creaui illum. Et Apoſtolus dicit eum factum ex muliere. Quid ergò mirum, ſi apud ipſam ſunt medicamenta ſanitatum, quæ hortus eſt aromatum? Dilectus meus, inquit, deſcendit in hortum ſuum, id eſt, in vterum meum, ad areolam aromatum. Conſidera rupem Saluatoris, amatoris, & alia loca in honore ipſius dicata; & non miraberis, ſi parata fuerit ad medendũ, & efficax ad ſanandũ. Vnde in mõte Peſſulano, vbi fons eſt artis phyſicæ, tantas operatur

Genes. 1.
Eccl. 38.
Iſai. 45.
Iſai. 43.
Galat. 4.
Cant. 6.

ſanitates in quadam ſua eccleſia, vt medici gratiæ inuidentes, pauperculis infirmantibus, & pro remedio ſanitatum ad ſe confluentibus, dicere ſoleant; Ite ad eccleſiam ſanctæ Mariæ, deferte ei lumen, & recipietis ſanitatē: & cū hoc ironicè dicāt, pauperes, ab eis paſſi repulſam, ad ipſam confugiunt, & ſanantur. Nunquid non vides quam celerem ſanitatem conſequantur febricitantes, ieiunium trium ſabbatorum, vſque poſt ſolis occaſum ipſi vouentes? APOLLONIVS: Video & admiror. CAESARIVS: Conſidera iconam eius in Sardanay, quæ in carnem verſa, oleum ſine ceſſatione ſtillat. Huius rei teſtes innumerabiles ſunt, qui de eodem loco in inſtanti venientes, oleum, quod in oculis ipſorum de eadem ſacra imagine receptum eſt, tam nobis, quā cæteris religioſis diſtribuerunt. In quibuſdam verò ampullis, te teſte, idem oleum incipit incarnari. Quod virtus nominis Mariæ dęmones fuget, præſto ſunt exempla.

CAPVT XXVI.

Dæmones fugantur inuocatione B. Virginis.

REtulit mihi VValterus de Birbach monachus de Hemmenrode, diabolum cuidam Conuerſo ordinis noſtri ita fuiſſe infeſtum, vt non per ſignationem, non per aliquam orationem ab illo poſſet liberari. Viſibiliter illi apparens, multis modis eum terruit. Suaſum eſt ei à quodam viro religioſo, vt angelicam ſalutationem contra occurrentem proferret. Quod cùm feciſſet, malignus ſpiritus, quaſi turbine impulſus, clamauit; Diabolus dentes ei excutiat, qui te hoc docuit. Sicque liberatus eſt ab eo.

CAPVT XXVII.

INcluſa quædam, ſicut mihi retulit Supprior noſter, qui illam nouit, diu à dæmone ſub ſpecie an-

gie angeli illudebatur: non ei data fuerat diſcretio ſpirituum. Diabolus ſæpius falſa quadam circumfuſus claritate illi apparuit, & fœminam ſimplicem familiarius alloquens, die quadam in huiuſmodi verba prorupit: Nunc venio remunerare te. Requiſita eodem tempore à confeſſore ſuo, quomodo haberet, cùm ei reſponderet, Optimè: ſacerdos, ſicut vir prudens, fiduciam reſponſionis eius conſiderans, cauſam inquiſiuit. Cui cùm confiteretur, quod ab angelo Domini crebrius viſitaretur, ſciens ille docente Apoſtolo angelum tenebrarum ſe tranſſigurare in angelum lucis, reſpondit; Quando angelus denuò viſitabit te, dices; Rogo domine mi, vt dominam meam S. Mariam mihi oſtendas: quod ſi fecerit, viſa ea, genua flectes & dices; Aue Maria gratia plena &c. Et ſi tunc ſubſtiterit, fictio non eſt; ſin autem, ſcias tibi à diabolo illudi. Quæ cùm feciſſet, ſicut fuerat edocta, ait diabolus; Vt quid deſideras videre illam? bene tibi ſufficere debet præſentia mea. Illa fortiter inſtante, opere diabolico, virgo miræ pulchritudinis ſe oculis eius obiecit, qua viſa, mox ad pedes eius incluſa ſe prouoluit, & cōtra fantaſma angelicā ſalutationem proferendo, in turbinem illud reſoluit. Quam tamen inimicus euaneſcens in tantum terruit, vt amens facta, vix poſt annum dimidium, multorum precibus adiuta, ſenſum reciperet. Vides nunc quanti ſit ponderis nomen Mariæ. APOLLONIVS: Bene video, & non ſine admiratione, tam ex præſenti, quàm ex prædictis exemplis, virtutem eius conſidero. CAESARIVS: Inuocatio huius nominis, non ſolum corruptores mentium, id eſt, dæmones, ſed & corruptores corporum, ſcilicet malos ac libidinoſos homines, eneruat.

1. Cor. 11.

CAPVT XXVIII.

Calibidinosis liberat.

MAtrona quædam cuiusdam honesti militis vxor, instinctu diaboli, militem alium admisit: quæ post tempus aliquod, inspiratione diuina, ducta pœnitentia, de crimine doluit, & adultero prorsus contradixit. Ille verò mariti eius absentiam obseruans, domum illius intrauit, & & cùm solam reperisset, verbis solitis ad crimen solitum eam inuitauit: quod cùm illa renueret, vi renitentem opprimere nisus est: & cùm videret se illi non posse resistere, vtpote fœmina debilis ac delicata fortissimo militi, ad totius castitatis patronam confugit, dicens; Rogo te domina sancta Maria, per illud sanctum Aue Maria, quatenus in hac hora liberes me. Ad quod verbũ, virtus omnis in milite defecit & emarcuit, & fœmina se ab eius amplexibus excutiẽs, incorrupta euasit. Postea requisita à milite, de causa virium sibi subtractarum, respondit illi; Non mea virtute, sed gloriosi nominis dominæ nostræ hoc actũ est: quod cùm audisset ille, territus est, nec amplius adulterij verbum ad illam facere præsumpsit. APOLLONIVS: Benedictũ sit nomen Mariæ: CAESARIVS: Quod vincula soluantur eius virtute, etiam per exemplum tibi ostendam.

CAPVT XXIX.

Vincula soluit.

EOdem tempore, quo dominus Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus ædificauit castrũ in Furstinberg, contra nobilem virum Gerrardum de Brubach, iuuenis quidam miles de eius exercitu, Theodoricus nomine, facere sibi volens nomen, ante idem castrum captus est. Diu ibidem incarceratus, cùm pecuniam pro sua solutione dare spopondisset, extractus de carcere, positus est in

est in domo superiore, cui addita sunt vincula, & serui ad custodiam deputati: habebat enim circa pedes annulos ferreos, & circa brachium eiusdem generis manicam, quæ annexa catena parieti cautè satis erat infixa. Nocte quadã cùm esset dormiens inter sex satellites, tam se, quàm reliquos captiuos custodientes, & dominam nostram, nec non & alios sanctos solito inuocasset, obdormiuit. Et ecce in somnis vidit se transpositum in monasterium nostrum, de quo cum vellet egredi, sedens in equo more fœmineo, necessitate vinculorum, dixerunt ei duo ex monachis nostris, Monegundus scilicet & Henricus cognati eius secundum carnem; Nolite egredi, sed reuertimini, quia sancta Maria de Heisterbach liberabit vos. hoc etiam nomine vocatur domus nostra. Ad quod verbum ille euigilans, gauisus est; & de visione cogitans, vtrum nam esset vera, an fantastica scire volens, mox vt digitos amouit, pedem vnum sine difficultate extraxit; simili facilitate manum à catena liberauit. Sæpius ista tentauerat, sed non profecerat: cumque ex motu vinculorum vnus seruorum euigilasset, territus miles, circulum reponere voluit, nec potuit. Tunc primùm intelligens, tale miraculum Dei genitricis meritis circa se gestum, seruo rursum obdormiente, leniter surrexit, & vincula adhuc seruans in vno pede, per linteamen per fenestram se dimisit & fugit. Quod dum seruus comperisset, clamore fugam eius prodidit; sed manus humana capere non potuit quod virtus diuina protexit. Multi eum tubis & canibus insecuti sunt, & cùm sæpius in proximo sub frutetis latitaret, inuenire eum non potuerunt. Qui ad nos veniens, eosdem circulos pro gratiarum actione super altare beatæ Mariæ virginis obtulit, & qualiter eius meritis liberatus sit, nobis per ordinem

recitauit. Acta sunt hæc anno gratiæ M. CC. XIX.
APOLLONIVS: Quia eosdem circulos vidi, amplius eidem credam miraculo. CAESARI. De hoc etiam quod timores pellit nomen Mariæ, rem, quã nuper audiui, tibi referam.

CAPVT XXX.

Maria nomẽ timores pellit.
+ alias Pulche.

IN * Peloge villa diœcesis Treuerensis sacerdos quidam paræciam regit, vir secundum suã possibilitatem multæ hospitalitatis, atque laudandæ castitatis; adhuc enim corpore virgo est. Die quadam quedam ex Conuersis nostris hospitio recipiens, ait ad illum; Ordinem vestrum plurimum diligo, quia multum boni mihi contigit per eum, Antiphona illam gloriosam, scilicet, Salue regina misericordiæ, ab illo habeo, & quid mihi propter illam cõtigerit, ad ædificationem vobis enarrabo. Ad omnes horas meas illam dicere consueui: cùm autem die quadam campum breuem transirem quandam visitare inclusam, iuxta ecclesiam solitariam habitantem, orta sunt tonitrua tam valida, vt ictus ictui succedens, vires ambulandi mihi adimeret: veniens tandem cum multo labore ad ecclesiam ipsam, intraui, & coram altari me prosternens, pro ipsa tempestate dominam nostrã interpellaui: & ecce, matrona virginei vultus, magnique decoris de altari ad me veniens, cùm admirarer quænam esset, illa prior me allocuta est dicens, Quia antiphonam, Salue regina misericordiæ, libenter, ac frequenter decantas, nunquam tonitrua, neque fulmina, quorum timore sæpius affligeris, te lædent. sicque ad altare rediens, in oculis meis disparuit; & statim intellexi, quia ipsa esset clemens illa, pia, ac dulcis virgo Maria. Ab illa hora, vsque hodie, à timore prædicto tempestatum, quo nimis afficiebar, meritis beatæ virginis liberatus

ratus sum. APOLLONIVS: Quantum ex hac visione colligo, videtur quod in sequentijs, cantilenis, & hymnis, alijsq; cantibus, in eius honore dictatis, plurimum delectetur. CAES. Hoc certum est, si tamen humiliter ac deuotè eis laudetur.

CAPVT XXXI.

TEmpore quodam, sicut ex relatione religiosorum didici, cum conuentus sanctimonialium in Sconauia, sequentiam, Aue præclara maris stella, in lucem gentium Maria, in quadam solennitate sanctæ Dei genitricis decantaret deuotissimè, Venerabilis virgo Elizabeth, tunc ibidem magistra, mentis excessum passa, ad illum versiculum; Audi nos, nam te filius nihil negans honorat; Vidit dominam nostram flexis genibus, pro eodem conuentu preces fundentem. Ab illa autem die vsque hodie, ex institutione iam dictæ Elizabeth, idem conuentus ad eundem versiculum, cùm sequentia decantatur, veniam petere consueuit.

CAPVT XXXII.

APud monasterium sancti Chrysanthi, scholasticus quidam fuit, nomine Daniel, pueros illic instituens: huic consuetudo fuit, diebus singulis eiusdem ecclesiæ cryptam intrare, & coram altari flexis genibus, prædictam sequẽtiam in honore Dei genitricis Mariæ decantare. Hoc cũ per aliquod tempus actitasset, & ad illũ versiculum; Ora virgo nos illo pane cœli dignos effici, semper surgendo veniam peteret; die quadam beata virgo super altare stans illi apparuit, & panem paruulum niue candidiorem manu tenens, vt os aperiret præcepit; quem cùm ori eius immisisset, tãtam ex eo sensit dulcedinẽ, vt omne mel & fauũ

Universidad de Deusto Biblioteca

ſuperet. Iuuenem hunc, dominus Daniel Abbas Sconauiæ bene nouit, qui mihi ipſam viſionem recitauit. Vis nunc ſcire, quia nominis eius inuocatio etiam tentationes compeſcat? APOLLONIVS: Hæc ſcire neceſſe eſt, quia tentationes nos frequenter moleſtant. CAESARIVS: Dicam tibi quod audiui ab Abbate noſtro, & ipſe ſe hoc didiciſſe veraci relatione teſtatur.

CAPVT XXXIII.

Fugat tentationes.

MIles quidam ætate adoleſcens, cùm quodam milite diuite domino ſuo, à quo beneficiatus erat, habitabat: & licet ætate floreret, amplius tamen florebat virtute virginitatis. Inuidia operante diaboli, ab vxore domini ſui grauiſſimè cœpit tentari: qui cùm per annum eadem inceſſanter tentatione laboraret, iamq; ei intolerabilis eſſet, ſubmota verecundia, dominæ ſuæ, quid pateretur aperuit. à qua repulſam paſſus, amplius affligebatur; caſta enim erat matrona, & viro ſuo fidelis. Veniens ad quēdam heremitam, à cuius conſilio totus pendebat, paſſionem ſuam illi cum lacrymis confeſſus eſt: cui vir ſanctus fiducialiter reſpondit: O nihil aliud nocet tibi ego dabo tibi conſilium, vt deſiderium tuum conſequatur effectum. Per annum iſtum ſingulis diebus, ſi fieri poteſt, in eccleſia dominam noſtram Dei genitricem Mariam centies, cū totidem venijs, angelico verſiculo ſalutabis, & quicquid volueris, per eam impetrabis. Sciebat enim quod caſtitatis amatrix, iuuenem caſtum, licet in errore poſitum, non deſereret. Cūq; iuuenis in multa ſimplicitate dominę noſtræ iniunctum obſequium impēderet, die quadā ſedens in menſa domini ſui recordatus eſt, quia dies eadem terminus eſſet anni: & ſtatim ſurgens aſcendit equum ſuum, vicinamq; intrās eccleſiam, oratio-

orationes ſolitas expleuit: qui cùm exiret de eccleſia, vidit matronam pulcherrimam, omnem decorem humanam tranſcendentem, equum ſuum per frenum tenentem; miranti quænam eſſet, illa reſpondit; Placet ne tibi ſpecies mea? Dicente milite; Nunquam pulchriorem te vidi. Illa ſubiunxit; Sufficeret tibi, ſi me poſſes habere vxorem? Qui cùm reſpōderet; Cuilibet regi bene ſufficeret ſpecies tua, & beatus iudicaretur tuo conſortio, ſubiecit illa; Ego ero vxor tua; accede ad me, & da mihi oſculum. Et coēgit eum, dixitque: Modo initiatæ ſunt nuptiæ, & in tali die coram filio meo perficiētur. Ex quo verbo cognouit eam eſſe matrē Domini, cui' caſtitas humanæ cōgaudet integritati. Apprehendenſque ſtrepam equi eius, vt aſcenderet præcepit, cuius auctoritate miles preſſus, obediuit. Ab illa hora tam plenè à tentatione prędicta liberatus eſt, vt etiam vxor domini ſui miraretur. Hoc cùm heremitæ recitaſſet per ordinem, ille genitricis Dei pietatem, ſimul & humilitatem admiratus, reſpondit; Ego intereſſe volo diei nuptiarum tuarum, interim de rebus tuis diſpouas. Quod cum feciſſet, & heremita veniſſet ad diem præfixum, dixit iuueni; Sentis aliquid doloris? Reſpondente illo; non. cùm ſecundo poſt horam id ipſum ab eo ſciſcitaretur, reſpondit; Modò ſentio. qui poſt paululum agonizans, ſpiritum exhalauit, & cœleſtem thalamum, promiſſas nuptias celebraturus, intrauit.

CAPVT XXXIV.

QVædam ſanctimonialis virgo, à quodam clerico verbis luxurioſis ſtimulata, in tantum flante Behemoth, cuius anhelitus etiam prunas ardere facit, ſuccenſa eſt, vt corde & ore petitioni eius conſentiret, promittens quod dicto com- *Iob 41.*

pletorio veniret ad locum condictum; erat enim Custos ecclesiæ. Dicto completorio, cùm conuentus ascendisset dormitorium, & illa exire vellet de oratorio, in ipso ostio, Christum manibus in cruce expansis stare conspexit. Cui cùm egressus non pateret, ad ostiũ quod erat in opposito cucurrit. Ita succensa fuerat in amore clerici, vt penè rationis expers, quid circa se diuinitùs ageretur, minus aduertoret. Quid plura? Omnes ianuas adijt, & crucifixum in omnibus inuenit. Tunc ad se reuersa, & territa dixit; Fortè volũtas Dei non est, vt vsquam vadas. Solita fuerat eadem virgo singulis diebus specialem quandam orationem de passione Domini dicere, quam Dominus in tanto periculo remunerauit visione tam vtili. Quæ tremens ante imaginem beatæ Dei genitricis se prostrauit, de peccato suo veniam postulans. A qua cùm imago faciem verteret, & illa obnixius supplicatura proprius accederet, imago maxillam eius manu percussit, dicens; Quò vis ire fatua? vade in dormitorium tuũ. Tam fortis erat alapa, vt in terram ruẽs sic iaceret, vsque ad tempus matutinale: cumque signa in dormitorio sonarent, & illa in oratorio non pulsaret, putantes eam esse in oratione, vel pressam sopore, intrantes, & in multo defectu illam reperientes, postquam refocillata loqui potuit, omnia, quæ circa se gesta sunt, ad honorem Dei consororibus suis recitauit. Licet grauis esset alapa, prorsus tamen à tentatione per illam fuit liberata; durus morbus, duram requirit medicinam. APOLLONIVS: Valde accendere debet sexum virilem in amorem dominæ nostræ, quod in milite tentationem compescuit, ipsum deosculando; in fœmina, maxillam eius feriendo, cùm vtriusque voluntas mala fuerit ac peruersa. CAESARIVS: Per hoc enim ostendit, quod sexum nostrum non abhorreat, imò æquè vt fœmi-

fœmineum diligat. Magis etiam decet, vt domina ancillam peccantem castiget quam seruum. APOLLONIVS: Placet quod dicis. CAESARIVS: Referam tibi aliud benignitatis eius indicium, & adhuc isto gloriosius.

CAPVT XXXV.

IN monasterio quodam sancti monialium, cuius nomen ignoro, ante non multos annos virgo quædam degebat nomine Beatrix. Erat corpore speciosa, mente deuota, & in obsequio Dei genitricis feruentissima. Quotiens illi speciales orationes, siue venias, secretius offerre potuit, pro maximis delicijs reputauit: facta verò Custos, hæc egit tanto deuotius, quanto liberius. Quam clericus quidam videns, & concupiscẽs, procari cœpit. Illa verba luxuriæ spernente, isto importunius instante, serpens antiquus tam vehementer pectus eius succendit, vt flammam amoris ferre nõ posset. Accedens verò ad altare beatæ virginis patronæ oratorij, sic ait; Domina, quanto deuotius potui, seruiui tibi, ecce claues tuas tibi resigno, tentationes carnis sustinere diutius nõ valeo; positisque super altare clauibus, clam secuta est clericum: quam cùm miser ille corrupuisset, post dies paucos abiecit. Illa, cùm non haberet vnde viueret, & ad claustrũ redire erubesceret, facta est meretrix. In quo vitio cùm publicè quindecim annos transegisset, die quadam in habitu seculari ad portam venit monasterij; quæ cùm dixisset portario, nosti Beatricẽ quandoque huius oratorij custodẽ, respondit; Optimè noui; est enim proba ac sancta domina, & sine quærela ab infantia, vsque ad hanc diem in hoc monasterio conuersata. Illa verba hominis notãs, sed non intelligens, dum abire vellet, mater misericordiæ in effigie nota, ei apparens, ait; Ego per quin-

quindecim annos absentiæ tuæ, officiũ tuum suppleui; reuertere nunc in locum tuum, & pœnitentiam age, quia nullus hominum nouit excessum tuum. In forma siquidem, & habitu illius, Dei genitrix vices egerat custodiæ. Quæ mox ingressa, quamdiu vixit, gratias egit, per confessionem circa te gesta manifestans. Quod pusillanimes per eam confortentur, subsequens ostendit exemplum.

CAPVT XXXVI.

Confortat pusillanimes.

MIles quidam iuuenis ac delicatus in Hemmenrode ante paucos annos est conuersus, vocabulo Henricus. Factus monachus, cùm die quadã à quodam commilitone suo requireretur, quomodo ei ordo placeret, & quomodo haberet, respondit; Optimè mihi placet ordo, & bene habeo, sed per tempus valde malè habui. Interrogatus de causa, quia hominem dilexit, & ædificare voluit, subiunxit; Quando primò conuersus sum, ita graues erant mihi solennes vigiliæ, vt quotiescunque oportebat me ire ad matutinas, timore ac tædio illarum tam corpore, quàm corde tabescerem. Nocte quadam defectum passus, cùm stare non possem, à Priore de choro sum eductus, & in sede infirmorum positus, Conuerso ad custodiam mihi deputato. Mox in extasi factus, contemplatus sum dominam clarissimam, quam diuersi ordinis personæ præcedebant per viam, quæ erat inter me & chorum, incedentem: habebat in capite coronam diuersorum colorum, & erat more Iudaico velata. Cum mihi propinquasset, quasi ex necessitate me tangens, veste percussit, & ecce subitò confortatus, ita omnis prædicta tentatio conquieuit, vt ab illa hora delitiæ mihi sint ire ad matutinas. Spero quod Domina nostra fuerit, quæ pusillanimes

animes confortat, ne tentationi succũbant. De his à à me requisitus à me Henricus, non negauit. Quod verò torpentes ad deuotionem excitet, habes explum in distinctione quarta capitulo tricesimo de Christiano monacho nostro, quẽ in oratione dormientem tetigit, dicens; Non est hic dormitãdum, sed orandum. APOLLONIVS: Bene recordor huius capituli. CAESARIVS: Quod verò pro suis vitijs de ordine eiecti, beatæ virginis misericordiã reuocentur, sequens sermo declarabit.

CAPVT XXXVII.

Eiecti propter delicta; per B. Virginem reuocantur.

EOdem tempore, quo Daniel monachus in Hemenrode, vir simplex & rectus, vltimam incidit infirmitatem, laborabat in eadem domo hydropisi alius quidam monachus, Henricus nomine, ordine sacerdos, non tamen ædhuc lecto decumbens, sed ambulare sufficiens, qui ad lectum infirmantis appropians, hæc verba ab eodem Daniele audiuit; Monachus ille multas habet beatæ virgini referre gratias. Audiens hoc Henricus, miratus est, & inquiri fecit ab eo, quid his verbis notare voluerit. Qui respondit, eum auxilio dominæ nostræ fuisse receptum, fuerat namque ob excessus quosdam, moresque reprobos idem Henricus eiectus de domo: vnde nimium dolens, die noctuque lacrymis & orationib' insistebat inuocare beatam virginem Mariam, vt ipsa ei regressum ad propriã domum donaret. Tempore generalis capituli per Abbatem suum seniores interpellauit, qui vnanimiter ei contradixerunt, eò quod incorrigibilis existeret. Quod vbi cõperit, iratus beatæ virgini, omne seruitium, quod ei impendere consueuerat, subtraxit. Tandem ductus de hoc pœnitentia, obsequium neglectum resumpsit, & valefaciens Porcensibus ad Hemmenrode redijt, misericordiam

quæsi-

quæsiuit, sed nõ inuenit. Suasit ei Abbas, qui solus ei erat propitius, vt Archiepiscopũ Treuerensem adiret, & eius auxilio, atq; interuentu ingressum obtineret. Vtrumque factum est: omnia tamen hęc circa illum gesta fuisse per clementiam beatæ Dei genitricis, prædicto Danieli reuelata sunt. Vis nũc nosse quam sincero affectu diligentes se diligat, quantum dilectos honoret, & quàm mirificis reuelationibus eosdem glorificet? APOLLONIVS: Talia audire cibus mihi est. CAESARIVS: Quæ dicturus sum, multorum didici fida relatione.

CAPVT XXXVIII.

Quantum B. Virgo diligẽtes se diligat & honoret.

IN Longobardia in quadam domo ordinis nostri, quæ Carixtus dicitur, ante paucos annos monachus quidam extitit nomine Bertramus: iste tam feruenti motu charitatis dominam nostrã sanctam Dei genitricem amabat, vt non sine magno cordis cruciatu audire posset, si fortè dubitatiuè quis diceret, vel legeret, de corporali illius assumptione. Cùm iam exegisset in ordine quindecim annos, adhuc iuuenis ætate, in vigilia assumptionis eiusdem gloriosæ virginis, rogauit Abbatem, vt sibi liceret ire ad vicinam grangiam, dicẽs se non posse audire, neque sermones Hieronymi in choro, neque sermonem in capitulo, timens quod prædictum est: erat enim grangiarius. Abbas sanctitatem eius turbare timens, annuit eius petitioni: cumque venisset iuxta grangiã, angelus domini mirabili modo illum rapuit, & ad spatium vnius dietæ, iuxtà paruam quandam ecclesiam, vicinam latis castro fratris sui carnalis, viri nobilis, deponens, disparuit. Equus verò cui insiderat, & seruus, iuxta grangiam dimissi sunt. Erat autem fluuius, qui sine naue transuadari non potuit, inter castrum

castrum & capellam. Qui cùm sederet admirans vbinam esset, vel qualiter ad illum locum deuenisset, iuuenis quidam splendidus de ecclesia exiuit, & quia domina nostra ipsi ocyus ecclesiam ingredi mandaret, voce clara nunciauit. Ingressus ecclesiam, vidit sanctam Dei genitricem Virginem Mariam in corpore glorificato, in sede miri decoris residentem. Sedebant circa illam diuersi ordines sanctorum, Patriarchæ videlicet, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, Viduę, Coniugati; erat aũt hora nona. Quem virgo beatissima salutans familiarius, ait; Bertrame, meliores sermonibus Hieronymi hic audies sermones. Dicta Nona à circũsidentibus, per interualla dictę sunt & reliquæ horæ, Vesperæ videlicet, Completoriũ, Matutinæ, Laudes, Prima, Tertia, Sexta; eratque psalmorum siue reliquorum cantuum melodia tã suauissima, & vocum tanta concordia, vt sermo nullus exprimere posset. Deinde vultum iocundissimum ei exhibens, voce hilari ac dulci sic ait: Bene scio Bertrame quare nũc egressus sis de claustro; noueris pro certo, me in vtraq; substantia, id est, corpore & anima, glorificatam, & die quadragesimo à mortuis resuscitatã. APOLLONIVS: His verbis concordat visio dominæ Elizabeth de Sconauia, in qua legitur sub eisdem verbis domina nostra ei resurrectionem suam reuelasse. CAESARIVS: Tanto amplius fides adhibenda est huic visioni. Mox vt beata virgo verba prædicta protulit, conuentus ille cœlestis disparuit, & monachus in loco suæ sessionis se solũ inuenit. Nutu diuino germanus eius, de quo supra dictũ est, adueniens, cùm solùm illũ ibidem reperisset, & q̃d ibi solus sederet, vel vndeveniret interrogasset, omnia q̃ circa se gesta sũt, ne laicũ scandalisaret, p̃ ordinẽ recitauit. Tũc ille: Expectate hic frater, donec equũ vobis adducam;

Universidad de Deusto Biblioteca

ducam. Mira res, festinante illo ad castrum, angelus domini in momento in locum, de quo tulerat illum, reposuit. Reuersus miles, cùm non inuenisset, quem dimiserat, apostatam, siue eiectum illum æstimans, ad monasterium cursitauit, ad quod dicto Completorio veniens, Abbatem vocauit, & vbinam frater suus esset requisiuit. Cui cùm Abbas signaret, vt expectaret vsq; manè; & ille turbatus responderet; Scio quia eiecistis eum, minaretúque monasterio, rupto silentio respondit Abbas; Per licentiam meam ad proximam grangiam equitauit, non dubito quin ibi sit. Ierunt simul, & in capella Conuersorum orantem inuenerunt, & cognouerunt ex testimonio illorum, quia eadem hora, qua miles eum iuxta castrum reliquerat, eandem grangiam intrauerit. APOLLONIVS: In his quæ dicta sunt, parem hunc iudico virum duobus antiquis prophetis Ezechieli, scilicet & Habacuc, ex quibus vnus mirabiliter vidit quæ agebantur in Ierusalem; alter verò de Iudæa subitò translatus est in Babylonem. CAESARIVS: Aliquid amplius in isto considero; magis miraculosum videtur corpus glorificatum, siue cœlestes ordines, oculis corporeis posse videre, quàm in spiritu, qualem visionem se Ezechiel vidisse testatur. APOLLONIVS: Consentio. CAESARIVS: Maiorem iudico visionem quæ sequitur. Die quadam angelus Domini ex parte Abbatis signum ei fecit, vt ad portam veniret, secutus est ille præcedentem, & cùm ad portam non inuenisset Abbatem, eodem signo angelus eum traxit in campum: qui cùm miraretur, quo nã esset iturus, & ille signis ex parte Abbatis sequenti nimis esset importunus, venerunt ad quosdam montes sublimes, quibus trãsmissis, locum ingressi sunt amœnissimum, arboribus & diuersi generis floribus nimis deliciosum: erat

Ezech. 8. Danie. 12.

erat enim paradisus terrestris. Inter cætera, quæ ibidem vidit, duos senes splendidos Enoch videlicet & Heliam conspexit & agnouit, tenebantque in manibus librum maximum, litteris aureis scriptum, vno tantùm folio vacuo. Et dixit ei angelus Domini; Iste est liber prædestinationis, continens omnia nomina electorum, qui ab initio mundi vsque ad diem hanc nati sunt: cùm autem folium, quod vacuum cernis, perfectum fuerit, mundus consummabitur. Et ostendit ei nomen suum, quod cùm legisset lætus, adiecit; Nunquam delebitur nomen tuum de libro hoc: Iste est liber de quo Dauid dicit in psalmo; Et in libro tuo omnes scribentur; & Dominus in Euangelio: Gaudete & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cælo. APOLLONIVS: Si in illo libro soli electi scribuntur, quid est quod idẽ propheta de reprobis dicit; Deleantur de libro viuentium? CAESARIVS: Psalmista hic loquitur secundũ spem illorum, qui de sua præsumentes iustitia, putãt se ibi esse scriptos. Quod autem nullus reproborum in eo scribatur, mox ostendit, cùm subiungit; Et cum iustis nõ scribantur. APOLLONIVS: Placet quod dicis, sed rogo, vt si aliquid adhuc nosti de hoc beato viro, dicere mihi non differas. CAESARIVS: Tempore quodam cùm esset in oratione, beatam genetricem Dei ex opposito sui supra cespitem virẽtem stare conspexit. Et ecce, fons aurei coloris ê regione cum impetu erumpens, riuulum suum ad pedes ei dirigebat: cuius lapilli, lapides erant pretiosi, smaragdi videlicet, carbunculi, topazij, saphiri, hiacinti. Cumque de visione miraretur, ait illi domina nostra: Nosti Bertrame quid ista significent? Dicente illo, Non domina, respondit; Fons iste aurei coloris, ordo Cisterciensis est, qui sicut aurum reliqua metalla, ita cæteros ordines tam dignita-

Psalm. 138. Lucæ 10. Psalm. 68.

te, quàm sanctitate præcellit : illis iam ex magna parte fluentibus à me, iste speciali quadam prærogatiua dilectionis non cessat fluere ad me: lapilli pretiosi, quos vides riuulo, speciales amici mei sunt in ordine, & in obsequio meo plus cæteris feruentiores. Sicque disparuit visio in oculis eius. Omnia hæc recitata sunt Abbatibus tempore capituli generalis. Multa alia vir iste beatus vidit, & egit digna relatu, quæ mihi non sunt recitata. APOLLONIVS: Miror sit aliquas vir tam sanctus habuerit in ordine tentationes. CAESARIVS: In principio conuersionis suæ, vt audiui, de cibis regularibus plurimum tētabatur, sicut vir nobilis & delicatus; hoc cùm dixisset Abbati, intelligens ille ex munditia conscientiæ eius, Spiritum sanctum esse in eo, respondit; Roga Deum quod vis, & non negabit tibi. Orauit ille, & exauditus est: ab illo tempore in tantū delectabatur cibis regularib⁹, vt de licentia maioris abstinētiq; Abbati foret importunus. APOLLONIVS: Beati sunt claustrales, qui ad tantā familiaritatē Dei genitricis admittuntur.

Bed. 2. 4. CAESARIVS: Non solùm claustrales, imò etiā & personas seculares se diligentes, mater pulchræ dilectionis, diligit & honorat, ex quibus occurrit beatæ memoriq; VValterus de Birbach, cuius suprà in diuersis locis memini, quem non solùm inferioris ordinis homines, sed & Reges, & principes, nobilesq; venerabantur, audientes beneficia à matre misericordiæ illi concessa. APOLLONIVS: Cuius fuerit professionis vir iste ex superioribus noui, sed quis fuerit, vel qualem duxerit vitam ante cōuersionem, siue conuersus in ordine, scire desidero. CAESARIVS: Quicquid de illius actibus memoria dignum noui, fida tibi pandam relatione.

CAP.

CAPVT XXXIX.

Vita VValteri de Birbach.

IGitur VValterus, de Birbach villa oriundus extitit, vir diues ac potens, & nobilis valdè, consanguineus Henrici ducis Lonanij. Qui cùm esset militiæ seculari adhuc ætate florens deditus, & in ea strenu⁹ satis atq; nominatus, dominam nostrā sanctam Dei genitricem semperq; virginem Mariam ab ipsa pueritia cœpit inuocare, & ex intimo cordis affectu diligere, atq; ieiunijs, eleemosynis, & missarum celebrationibus honorare; licèt enim corpore deditus esset, vt dictum est, torneamentis, corde tamē totus erat in obsequio beatæ Virginis. Tempore quodam, cùm properaret ad quoddam torneamentum, milites habens in comitatu, venissetq; ad ecclesiam quandam, illos vt missam audire vellent hortabatur: quod cùm recusarent, moram tantam sibi periculosam esse pretendentes, illis recedentibus ipse mansit, missam de sancta Maria sibi cātari fecit, & obtulit, sicq; socios insecutus est. Cui cum aliqui de torneamento occurrerēt, & hoc ex responsione illorum cognouisset, subiunxit: Est ne adhuc inceptum? Dicentibus illis, etiam, respōdit; Quis fortius ibi agit? Dominus VValterus, inquiunt, de Birbach, ipse in ore omnium est, omnibus præfertur, & ab omnibus laudatur: alijs verò occurrentibus, & similia dicentibus, stupens admirabatur, quidnam hoc portenderet. Actum est in effabili pietate beatæ Virginis, vt militem deuotum in obsequio suo tardantem, interim torneamento honoraret, eiusq; absentiam mirabili quadam virtute suppleret. Veniens tamen ad locum, armauit se, & intrauit, sed nihil magni illic egit. Ludo verò expleto, quidam ex militibus hospitium eius intrauerunt, & vt secum mitius agere dignaretur deprecabantur: quibus cum diceret,

Quæ est causa petitionis vestræ? Responderũt; Hodie cepistis nos, & rogamus vt bene nos tractetis: VValtero negante, ac dicente, Ego vos non cepi; responderunt; In rei veritate nos hodie dextras vobis dedimus, nos signa vestra militaria ibi vidimus, nos vocem vestram ibi audiuimus. Et cognouit statim hoc actum fuisse gratia beatæ Virginis, quam honorauerat in missa. APOLLONIVS: Cùm sit mortale peccatum, ire & exercere torneamenta, quomodo beatæ Virgini placere potuerunt oratio & oblatio VValteri? CAESARIVS: Duo ibi committuntur peccata mortalia, superbia scilicet & inobedientia: superbia, quia fit intuitu laudis humanæ; & inobedientia, quia fit contra prohibitionem ecclesiæ. vnde in torneamentis occisi, extra cœmiteria fidelium sepeliuntur. Cùm autem obsequium prædictæ missæ VValtero potuisset esse meritorium vitæ æternæ, si factum fuisset in charitate, nunc transiuit in mercedem temporalem: opera enim bona, id est, de genere bonorum, temporalibus remunerantur. Homo etiam per illa, vt quidam ex scripturis probant, habilem se reddit ad gratiam suscipiendam. Hoc verum esse, sequens probat exemplum. Cùm alio quodam tempore nundinas illas execrabiles quæreret, & inter multos stans missam audiret, sacerdos vt in canone calicem leuauit, crucem auream sub eius pede conspexit, cui annexa fuit chartula hæc continens verba; Crucem hanc defer ex parte mea, Mariæ scilicet matris CHRISTI, amico meo VValtero militi propè Birbach. quam cùm sacerdos legisset, post completionem missæ, pulpitum ascendit & clamauit; Est ne aliquis hic miles, qui vocetur Vvalterus de Birbach? Respondentibus quibusdam, ecce iste est; Sacerdos eum seorsum duxit, crucem porrexit,

rexit, & vbi illam inuenerit, vel quis miserit intimauit; quàm lætus suscipiens, in Hemmenrode conuersus, eam Abbati resignauit. Postea Comitissa Hollandiæ, missis honestis nuntijs, eandem crucem sibi dari petiuit, & tali modo obtinuit: Cùm conuentus nuncijs responderet, non possumus eam dare, nisi sit voluntas fratris VValteri, sperantes quod non annueret, requisitus de hoc respondit; Ego nihil proprietatis habeo, penes Abbatem est: sicque dolentes illam miserunt. Cuius aurum tanti fulgoris est, vt omne aurum in eius pallescat comparatione: quam Comitissa inter reliquias suas reposuit, ea vti non audens. Considerans VValterus adhuc in seculo positus, tanta circa se beatæ Dei genitricis beneficia, in tantum in illius amore accensus est, vt in quadam paupere ecclesia, in eius honore dedicata, conscio sacerdote, fune collo suo iniecto, seruum glebæ se illi super altare offerret, soluens singulis annis censum de capite suo, qualem serui originarij soluere consueuerunt. Et quia propter honorem reginæ cælestis, se tam valdè humiliauit, ipsa suum dilectum etiam glorificauit. Solitus erat in vigilijs omnium solennitatum beatæ Virginis ieiunare in pane & aqua, & sæpè etiam in sextis ferijs, ob reuerentiam sabbati: die quadam seruus ieiunanti vas paruulum fictile cum aqua obtulit, quam in eius manibus diuina virtus in vinum optimum conuertit: qui cùm gustasset, aquam vinum factum, seruum secretè vocauit & arguit, dicens sibi vinum pro aqua ministratum; quod cùm ille negasset, asserens se hausisse aquam de situla, vas recepit, & effudit, sicque aqua purissima impleta, vt securus esset, prægustauit, & obtulit; de quo dum gustasset, sicut prius, vinum inuenit, & mox seruo iratus sic ait; Vt

quid mihi illudis, en secundò vinum pro aqua afferendo? Ad quod verbum stupens seruus, cum iuramentis maximis negauit. Tunc primùm intelligens ex multa misericordia Dei genitricis hoc miraculum circa se gestum, eundem seruum adiurauit, ne illud vnquam alicui homini, quoad viueret, manifestaret: ex quo colligitur quod non cupidus erat inanis gloriæ. Seruus verò, tanti particeps miraculi, frater est Arnoldus, qui cum eo venit ad ordinem, vir sanctus, & multum ordinatus, & in monte Stromberg sepultus. Antequam moreretur, idem miraculum ad Dei gloriam publicauit, timens de thesauro occultato, post mortem reddere rationem. Audiens sæpè dictus VValterus ordinem Cisterciensem beatæ Virgini dedicatum, omnia quæ sunt huius mundi, diuitias videlicet, honores, & amicos, ob illius amorem reliquit, & in Claustro, quod alio nomine Hemmenrode dicitur, cuius fama tunc temporis, sicut & hodie, clarissima fuit, habitum regularem suscepit: in quo cœnobio quàm humiliter sit conuersus, quàm feruens fuerit & obediens, & in obsequio beatæ Virginis deuotus, testes sunt omnes monachi eiusdem monasterij. Psalterium verò, hymnos, cantica, & alias de domina nostra orationes plurimas, in probatione didicerat, quæ omnia studiosissimè frequentauit: Missæ quotidianæ Dominæ nostræ, semper interesse voluit, quicquid penè loquebatur, ædificatorium fuit. Quia non solùm verbis, & aspectu, imò etiam odore famæ eius multi ædificabantur, magister hospitum creatus est. Tempore quodam, ductus est ad monasterium spe curationis quidam obsessus, & in hospitio receptus; erat enim rusticus diues satis ac notus, qui cum nullo remedio posset sanari, non reliquijs sanctorum, non orationibus monachorum,

rum, sæpe dictus VValterus auctoritate officij frequenter eum visitans, orationes & rithmos, quos bebat de Domina nostra conscriptos, super caput hominis legit, sacras picturas ostendit, per quæ omnia dæmonem vt exiret adiurauit. Die quadam cùm psalterium super obsessi caput posuisset, obsidens clamans & furens, in tantum hominem, à quo exire cogebatur, turbauit & allisit, vt cadens in terram mortuus diceretur: post horam ad se reuersus surrexit, à diabolo se liberatum clamitãs: Conuersus verò, qui curationi huic interfuit, & rusticum furentẽ seruauit, ista mihi recitauit. Vadens ille sanus in domũ suam, post aliquantulum temporis redijt, gratias agens beatę Virgini, eiusq; seruo suo curatori, hoc verbum audiente cõuentu adijciẽs; Si nihil esset amplius reliquiarum in monasterio isto, præter hũc sanctum virum, cuius meritis curat' sum, toti loco sufficere deberet. APOLLONIVS: Magna sunt quæ dicis. CAESARIVS: Non solùm dæmones, sed & bruta animalia illius sanctitati obediebant. Erat monasterio poledrus pulcherrimus, & tanti valoris, vt tam episcopus Treuerensis, quàm Dux Lotharingiæ quadraginta, vt puto, marcas argenti offerret pro illo; Species enim optimi dextrarij in eodem erat poledro. Timens conuentus alterum offendere si vni vẽderetur, per dominum VValterum, duobus adhibitis Conuersis, eundem equum comiti Hollandiæ gratis transmisit. Venientibus eis in quendam saltũ, poledrus equaritiam, id est, gregem equarum, de longè pascere conspexit, qui statim hinniens atq; lasciuiens, ex ducentium manibus se excussit, & cursu velocissimo ad æquaritiam properauit; quem cùm Conuersi insequerentur, equaritia fugiente, magis poledrus ab eis elongabatur: quibus frustrato labore reuersis, ait VValterus; Procedamus,

damus, equus iste perditus est, nisi S. Maria illum nobis reducat: vix ad duo miliaria processerant, & ecce poledrus velociter recurrens, qui nondum satis domitus fuit, velut ouis mansueta ductorum suorum manibus colla subiecit. Quia notus erat nobilibus terræ, & ab eis, tum propter sanguinis nobilitatem, tum propter vitæ sanctitatem venerabatur, sæpè pro monasterij necessitatibus, contra voluntatem suam, emittebatur. Tempore quodã descendens cũ naue domus, q̃ vinum portabat, cùm in Zeládiã venisset; orta tẽpestas maxima oẽs terruit, & nauẽ inclinauit. Accessit periculũ periculo; prædones ad eos remigãtes, nauim deprẽdari conati sũt; & ecce, iusto Dei iudicio, duo vasa, vi ventorũ eiecta, nauiculã subuerterunt. ipsosque prædones in profundum dimerserunt. Acta sunt hæc in vigilia sancti Nicolai post mediam noctem: singuli vitæ suæ timentes, Deo supplicabãt, ipse vero vir beatus de gurgustio nauis egrediens, seruo suo deorsum ducto, confessionẽ fecit, & intrauit: deinde imagine sanctæ Dei genitricis eburnea, quam sẽper penes se habebat, coram se posita, ante illam se prostrauit, & orauit, atque in illa oratione leuiter obdormiuit. Statimque visum est ei, quod dominum Arnoldum in Claustro virum sanctum & probatæ vitæ, tẽpore psalmodiæ citharizare audiret, sicque ex ipsa dulcedine vocis expergefactus est: erat enim tempus matutinarum. Intelligens protinus quod vir iustus eadem hora pro ipsis oraret, lætus exiuit, omnesque consolans his verbis ait; Nolite timere, nullum nobis periculum nocere poterit, dominum Arnoldum de sancto Seuerino monachum nostrum audiui citharizantem. Mox virtute diuina, & meritis beatæ Virginis, quam inuocauerat, & iam dicti Arnoldi, tempestas sedata est. Hæc cùm relata fuissent domino Hermanno

Priori, nunc Abbati loci sanctæ Mariæ, statim dominum Arnoldum, horum prorsus insciũ, vocauit, & quid in nocte sancti Nicolai infra matutinas cogitauerit, vel quid ibi egerit, interrogauit. Cui ille respondit; Credite mihi ego citharizaui ibi. Quali modo, inquit? Et ille; Quando non possum habere deuotionem, sub cuculla digitos, ad similitudinem citharizantis moueo, & chordas cordis tango, sicque mentis torporem ad deuotionem excito. Et miratus est Prior nimis, audiẽs hæc. 4. Reg. 3.
Quia vir literatus est, puto exemplo Elisæi hoc eum facere, in quo ad vocem psalterij excitatus est spiritus prophetiæ. Vt enim taceam de fratribus, tantæ fuit compassionis circa pauperes, vt in viam directus, petentes præueniret, ex nummis sibi ad expensas datis illis porrigens. Cùm die quadam scholaris nudipes illi occurreret, & frigus esset, stare eum fecit, & descendit, calceosque extractos illi tribuit, & nouis, quos in sacco habebat, reindutis, equum ascendit & abijt. Hæc me præsente facta sunt. Discordantes concordabat, inobedientes exorabat, iracundos & impatientes ad cor sæpius reuocauit, tentatos exemplis plurimis, quæ semper ad manum habebat, alleuiauit. Hinc est quod tempore quodam, cùm de quodam verbo conferrem cum illo, in partem me traxit, & ait; Et ego magnas carnis meæ patior tentationes: vt alijs posset mederi, proprias infirmitates illis non erubuit confiteri. Requisitus die quadam à prædicto Priore, sicut ipse mihi retulit, quid in mensa cogitaret, eò quod non intelligeret lectionem, respondit; Ego habeo ibi lectionem meam; quando manducare incipio, retracto mente, qualiter pro me Dei filius sit ab angelo nunciatus, & in vtero Virginis de Spiritu sancto conceptus, sicque primum folium verto: deinde cogito, quomodo angelis concinentibus

bus sit natus, & pannis vilibus inuolutus, in præsepio reclinatus; & ecce perlectum est folium secundum: In hũc modum transcurro circumcisionem, aduentum Magorum, oblationem eius in templo, baptismum, ieiunium, passionem, & resurrectionem, ascensionem, & Sancti Spiritus aduentũ, extremumq; iudicium: talis est lectio mea quotidiana, cuius finis, finis est prandij. Quod in tali libro comedens legeret, testabantur lacrymæ, quas in mensa fudit; plus enim delectabatur in sanctis meditationibus, quàm in genu flexionibus, per quas spiritus contemplantis impeditur. Non multas, vt dixi in oratione venias petiuit, sed stans, vel supra genua iacens, erecto vultu cælos respicere consueuit. Antequam Deus eum vocaret de hoc mundo, cuidam monacho, mirifica quædam visio relata est de illo. Existente eo VVilre, quæ domus est ordinis Cisterciensis, cum Abbate suo domino Eustachio, cùm dies esset dominica, totum conuentum idem Abbas post cœnam conuocari fecit: quod cùm factum fuisset, & ipse diceret; Suntne fratres nostri hic omnes? responsum est ei; Omnes domine, exceptis duobus iuuenibus, qui de Frãcia hospites huc missi sunt, qui studiosi sunt valde circa silentium, maximè diebus, quibus communicant. Secundò verò ex parte eius vocati, cùm venissent, & eis Abbas moram improperaret, humiliter se excusantes, consederunt. Sequenti die conuentus à labore rediens, & ante portam facto primo signo nonæ, secundum expectans, senior ex eis cùm stans super fossorium suum se reclinaret, & nonam de Domina nostra diceret, sic stando leuiter obdormiuit; Et ecce ipsam Dei genitricem, diuersorum ordinum personis stipatam, in mira claritate inter se & portam transire conspexit: à qua cùm minimè, quasi ignotus, respiceretur, neque vocaretur, tristis ait intra

intra se; Hei mihi misero, quare me nõ vocat? Quæ cũ paululum processisset, misera illius, monachũ familiarius sibi adhærentẽ remisit, dicẽs; Voca monachum illum: quem cum reuersus vocaret, & diceret; Veni Domina nostra vocat te, prę gaudio expergefactus est; intrans, & dominum VValterũ cõsiderãs, dicebat intra se; Simillimus est monachus iste monacho, per quem hodie Domina nostra in somnis vocauit me, nisi quod cuculla illius grisea, huius autem alba est, & recitauit visionem socio suo. Sequenti die, cùm dominus Abbas & VValterus essent recessuri, & ab eis prædicti iuuenes ad portam vocati, VValterusque in sua grisea cuculla staret, alba, quæ sibi fuerat accõmodata, deposita, ait monachus socio; Reuera, iste est monachus, qui vocauit me, vestem cognosco, de persona non dubito. Post dies paucos idem VValterus cœpit infirmari, qui fide & charitate plenus, confessus atque contritus, beata Dei genitrice se vocante, de tenebris transiuit ad lucem, de fide ad speciem, de labore ad requiem, de merito ad præmium, de mundo ad patriam. Ad quam nos perducat Dei filius dominus noster IESVS CHRISTVS ex Maria virgine natus, qui est via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. Amen. Monachus verò Vilariensis & ipse vocatus, sicut fuerat ei præostensum, interpositis paucis diebus migrauit ad Dominum. Hæc mihi relata sunt à prędicto Abbate Eustachio. Vt autem ostenderet Dominus, quanti apud ipsum esset meriti matris suæ dilectus, signis post mortem ipsum glorificauit. Eodem tempore VVinemarus de Aldendorp, miles diues & honestus, lecto totus paraliticus decubuit, audiens hominem Dei vnicè sibi dilectum ad Dominum migrasse, mox nuntium ad Claustrum misit, per quẽ sibi defuncti coturnos transmitti supplicauit; missi

missi sunt ei noui, & mox remissi, eò quod intellexisset eos domini VValteri non fuisse. Mox per eũdem nuntium boti viri Dei satis veteres mittuntur, quos infirmus cum fide ac deuotione suscipiens, statim vt manus præmortuas imposuit, beneficium ex eis sensit; simile actum est in pedibus; ab illa enim hora, cœpit manus leuare, & pedes erigere, & totius corporis vires, sensim tamen, recipere. Eadem verò calceamenta, ob amorem beati viri, & concessum sibi per illa beneficium, in tantum venerabatur, vt in castro suo capellam ædificaret, atque eosdem coturnos eius altari ligneo, Abbate nostro præsente, includeret. Alius quidem miles periculosum habens apostema in pectore, audiens per prædictos calceos tantam in VVinemaro virtutem factam, vnum sibi transmitti petiuit, per quem, mox vt vlceris locum tetigit, plenè conualuit. APOLLONIVS: Satis mihi iam fateor probatum, quod beata Maria diligentes se diligat & honoret. CAESARIVS: Non solùm suos dilectores ac dilectos ad vitam dirigit æternam, imò frequenter illos etiam ad honores prouehit temporales.

CAPVT XL.

B Virgo sæpe etiã ad honores temporales cultores suos promouet.

POst mortem Abbatis nostri Geuardi, huius præcessoris, qui hodie abbatisat, fuit apud nos sacerdos quidam ætatis decrepitæ Sifridus nomine, spiritum aliquando, vt nobis videbatur, habens prophetiæ: hic multis diebus ante celebrationem electionis, quibusdam secretè prædixerat, quod dominus Henricus, tunc Prior, Abbas esset futurus, & in ecclesia Treuerensi in Abbatem consecrandus. Requisitus vnde hoc sciret, respondit; Dominam nostram vidi ante presbyterium eiusdẽ ecclesiæ, videlicet beati Petri, virgam ei porrigere pastora-

lem. Modum tamen visionis, nemini dicere voluit. Quid plura? Tam concorditer in Abbatem electus est, vt Visitator miraretur, dicens tam vnanimem electionem nõ posse esse nisi à Deo; & quia tunc temporis ordines Coloniæ fieri non poterãt, propter captiuitatem episcopi Brunonis, licentiatum est ei à Prioribus, ordinationem suam recipere ab Archiepiscopo Treuerensi Ioanne. Diuulgatum nobis fuerat, quia ordines solennes celebraturus esset apud Confluentiam, sicut & fecit: assumptis secum electus noster quibusdam monachis, qui erant ordinandi, profectus est illuc: & dixi ego in corde meo; Bonus iste homo, ab aliquo spiritu erroris in parte deceptus est. Et quia ea, quæ diuinitus ordinata sunt, mutari non possunt, cùm Dominus Archiepiscopus clericos ordinasset, & valdè fatigatus esset, ait Abbati; Domine Abba, multum sum lassus, in die Palmarum veniatis ad me Treuerim, & libenter ibi vos consecrabo; quod & fecit. Et miratus sum valdè, nihil deinceps dubitans de veritate visionis. APOLLONIVS: Quid si malè se habuerint in prælaturis sic à beata Virgine promoti? CAESARIVS: Sicut ab ea misericorditer exaltantur, ita dictante eius iustitia nonnunquam humiliantur, & hoc fortè ad bonum suum. APOLLONIVS: De hoc mihi dicas exemplum. CAESARIVS: Exemplum non longè quæram.

CAPVT XLI.

Promotos malè se gerãtes eadem B Virgo humiliat.

MOrtuo prædicto Brunone, & post occisionem Philippi, Ottone iam in regno confirmato, de successore in ecclesia Coloniensi satis tractabatur; Hermannus Decanus Bonnensis, qui vir est, vt nosti, valdè literatus, cùm Deum, eiusque genitricem, sicut ipse mihi retulit, toto cordis

cordis affectu deprecaretur, quatenus tantæ ecclesiæ dignus præficeretur, nocte in visu eadem Virgo beata ei apparens, & librum aureis literis scriptum porrigens, ait; Defer librum istum Episcopo. Nihil aliud in libro continebatur, nisi angelicæ salutationes, id est, Aue Maria gratia plena. Per librum intellexit episcopatum, quem cùm ferre vellet Ioanni episcopo Cameracensi, eò quod tam Rex, quàm ipse illi fauerẽt, probitatem illius cognoscentes, reuocauit eum beata Virgo, dicens; Non Ioanni, sed Theodorico sanctorum Apostolorum Præposito deferas illum. Quod si in episcopatu non se bene habuerit, sicut per me illum adeptus est, ita per me illo priuabitur. Sẽper in eius obsequio idem Theodoricus deuotus fuerat, &, sicut * mihi notum est, quotidie missæ eius quotidianæ vult interesse, nummum offerens singulis diebus. Tempore electionis, cùm Rex pro episcopo Cameracensi intercederet, eiq; ab electoribus responderetur, quod idioma terræ ignoraret, cessauit. Hoc ipsum prædixerat præfatus Hermannus. Tunc electores, personis quatuor vota sua cõmiserunt, à quibus Theodericus in Antistitem electus: qui post dies paucos, à malis consiliarijs in tãtum deprauatus est, vt modicam haberet differentiam inter personas laicas & ecclesiasticas, inter rusticos & monachos. AEquè ab his, vt ab alijs telonia recipiẽs, indebitis exactionibus vtrosq; grauans. His alijsque actibus malis Dei genitrix irritata, egit, sicut ex superiori visione colligitur, vt indignè satis à Moguntino deponeretur, episcopo æmulo eius per electionem substituto. APOLLONIVS: Quod durus fuerit ordini nostro in episcopatu, satis intellexi. CAESARIVS: Idcirco meritò ab illa deiectus est, quæ ordinis est aduocata. Tanta illi cura est de ordine, vt etiam eos, qui detrahunt

* al. tibi.

trahunt illi, sine correptione non transeat, verbi gratia.

CAPVT XLII.

Detrahentes ordini Cisterciẽsi corripit

COLONIAE scholaris est penè quatuordecim annorum, cuiusdam ciuis filius, & ecclesiæ sanctæ Mariæ in Capitolio canonicus; iste miro modo ordinem nostrum diligebat. Hoc anno, cùm naues ordinis per Zelandiam timore prædonum transire non auderent, rumor venit Coloniam, quod omnes essent deprædatæ: & dixerunt quidam; Iustè actum est cum eis, monachi auari sunt, mercatores sunt, Deus illorum auaritiam sustinere non potest. Huiusmodi verbis prædictus puer in tantum iratus est, vt odio aduersus ordinẽ concepto, religioni detraheret, nec æquo oculo monachum, sine Conuersum respicere posset. Nocte quadam in somnis ante imaginem Dei genitricis sibi stare videbatur, quem cùm illa seuerius intueretur, & puer tremeret, faciem ab eo auertit, sic dicens; Male puer, optimis amicis meis, quos habeo in toto mundo, maledicis & detrahis. Quod verbum ille bene intelligens, & ex terrore euigilans, amorem extinctum, gratia beatę Virginis in eius corde reaccendit. Quod autem Virgo pijssima spernentes se quandoque puniat, & humiliet, exemplis duobus tibi ostendam. Alia me memini tibi dixisse superius de inuasoribus possessionum loci sanctæ Mariæ, quos humiliauit, & adhuc humiliare non desinit.

CAPVT XLIII.

Spernentes se punit B. Virgo.

ANNO præterito duo milites germani, ministeriales Palatini Comitis Rheni, ex quibus vnus Sybodo, alter Baldemarus vocabatur, multis secum assumptis, armata manu venerũt in vil-

in villam Cussule, forum rerum venalium in odiũ VValrami Comitis de Lutzellenburg spoliantes, & multa pecora, aliaque diuersi generis spolia secum deducentes. Erat autem in eadem die triplex solennitas, dies videlicet Dominicus, Natiuitas S. Dei genitricis, & dedicatio ecclesiæ eiusdem villę: Nocte præcedenti, cuidam militi ex comitibus Sybodonis talis visio ostensa est: B. Virginem Christi pedibus vidit prouolutam; & voce clara dicẽtem; Conqueror tibi domine fili de Sybodone, & complicibus eius, qui dedicationem ecclesiæ meæ turbauerunt, homineſque ad illam confluentes spoliauerunt, nullum tuæ diei, neque meæ natiuitati honorem deferentes. Quod enim eadem die futurum sciebat, iam pro facto reputabat. Miles de visione tremefactus, cùm Sybodoni eam recitasset, & ille parui pendens recitata, ipsum somniasse diceret, renitentem vt se sequeretur coegit. Dominus verò virtutum, qui de Chaldæa adduxit Nabuchodonosor, per quem Iudæorum superbiam humiliauit, VValramum iuuenem, per quem iniuriã vindicaret, aduocauit: nam die eodem circa nonam, inopinatè cùm armatis militibus Cussule intrauit; in dimidio enim anno illuc non venerat. Hi, qui bona sua perdiderant, querimoniam de Sybodone facientes, cùm VValramus, quò isset, vel vbi esset interrogaret, responderunt; Domine, ad quatuor miliaria in tali loco securè quiescit. Tunc ille furorem suum dissimulans, ait; Hodie festum Sanctæ Mariæ est, bellare nobis non licet; iussit tamen dextrarijs dari pabulum; vt modicum quiescentes, fortiores ad conflictum redderentur. Ante solis occasum cum omnibus suis, equis ascensis, insecuti sunt hostes, & nocte super securos irruens, alios cepit, alios occidit, vixq; aliquis euasit, præter militem, qui prædictam viderat visionem. His ita

4. Reg. 24.

ita gestis, dicebat mulier quædam VValramo; Domine, ecce capita prædonum istorum quiescunt in tali loco; recesserant enim modicum à villa in cortem quandam illic dormientes. Mox illuc omnes diuertentes, cùm sepes, & portam cortis inciderent, signumque militare VValrami clamarent, & hoc intimaretur Sybodoni, ille territus, cùm fugere vellet, surgere non potuit, neque pedem mouere de loco: cui cùm Baldemarus diceret: Surge frater, fugiamus, respondit ille; Tu fugias frater, ego enim fugere non valeo, quia super genua mea, quasi massam plumbi sentio; ad quod ille; Nec ego fugiam tecum volens manere, sicq; ambo capti sunt & occisi, soluentes pœnam sacrilegij in Dei genitricem commissi. APOLLONIVS: Satis manifesta fuit vindicta hæc concordans visioni, & pœnę factę in VVilhelmum de Helpenstein, sicut dictum est superius in capitulo septimo. CAESARIVS: Non solùm matris iniuriam Christus vindicat in operibus malis, sed etiam in verbis contumeliosis.

CAPVT XLIIII.

LEgitur in libro miraculorum Clareuallis de duobus lusoribus terribile quid; cùm vni malè succederet, fortunæ alterius inuidens, vt furori suo satis faceret, in Deum euomere cœpit verba contumeliosa: quem socius eodem maligno spiritu afflatus compescens, ait; Sile, tu enim nescis maledicere, statimque Deum nimium blasphemans, cùm in matris eius iniuriam erumperet; vox desuper audita est; Meam iniuriam quocunq; modo sustinui, matris autem meæ contumelias nequaquã potero tolerare; moxque super ipsam tabulã vulnere visibili percussus, spumans expirauit. Et quid dicam de verbis contumeliosis, cùm etiam stulti-

Blasphemãs B. Virginem punitur.

stultiloquia sine felle, malitiæ, contra sanctæ Dei genitricis imaginem prolata, nouerim in præsenti acriter satis punita?

CAPVT XLV.

Stultiloquium contra eandem, plectitur.

IN capella castri Veldensis, quædam vetus imago est beatæ Virginis, in sinu tenens filium, non quidem per opus bene formata, sed multa virtute dotata: Matrona quædam eiusdem castri, quod situm est in diœcesi Treuerensi, die quadam in capella stans, ipsamq; iconam respiciēs, & scripturæ indignans, ait; Vt quid hic stat vetus hæc rumbula? Beata verò Maria, mater misericordiæ, fœminam stultiloquam, nō vt arbitror apud filium accusans sed pœnam proculpa futuram, alteri cuidam matronæ prodicens, ait: Quia domina illa, nomine eam designans, vocauit me veterem rumbulam, semper misera erit quoad viuet. Post paucos dies, ab omnibus suis bonis mobilibus & immobilibus à filio proprio eiecta, miserabiliter satis vsque hodie mendicat, pœnam luens stultiloquij. Ecce sic beata Virgo diligentes se diligit, & honorat; contēnentes se, punit & humiliat. APOLLONIVS: Si sacras imagines contemnentes tantam incurrunt pœnam, puto quod venerantes illas, magnam mereantur gratiam. CAESARIVS: Hæc in sequentibus plenius cognosces.

CAPVT XLVI.

Veneratio sacrarum imaginum vtilis, & Deo grata est.

IN prædicto castro, matrona quædam habitat honesta ac deuota, nomine Iutta. Hæc est illa, cui beata Virgo verba probrosa in suam iconam prolata, conquesta est: & meritò, summo enim honore eandem imaginem veneratur, salutationes, orationes, multasque venias coram illa faciens. Tempore quodam, cùm filiā paruulā in villā proximam nutriendam tradidisset, & infantulā iam triennis in area luderet, lupus ludentem, quibusdam aspicientibus, illam per gulam rapuit, raptamque in dorsum suum mittens, syluas vicinas petiuit: quem aliqui cum clamore insecuti, sine ereptione puellulæ, tristes sunt reuersi: ex quibus vnus in castrum cucurrit, & matri, in mensa sedēti, raptum filiæ nuncians, ait; Domina, lupus comedit filiam vestram. Cui illa, turbata nimis, respondit; Certè lupus non comedit filiam meam: mox tamen mensa amota surrexit, & in multa cordis amaritudine capellam intrans, imaginem Saluatoris de sinu matris euulsit, stansque contra illam cum multis lacrymis in hæc verba prorupit; Domina, nunquam rehabebitis puerum vestrum, nisi mihi incolumem restituatis puerū meum. Mira humilitas reginæ cœli, quasi timeret carere filio suo, si mulier non rehaberet filiam, lupo protinus imperauit, & ille puellā dimisit. Insecuti sūt plures de villa lupi vestigia, cum puellæ reliquias ad tumulandum quærerent, iuxta quoddā frutetū illam deambulantem repererunt; cui cū dicerēt, Vnde venis bona filia? respondit illa; Mummart momordit me, vestigia enim dentium lupi in gutture eius, cuti superficie tenus incisa, apparuerunt, in testimonium tanti miraculi ad hoc reseruata. Tunc filiam ad matrem ducentes, mox vt illam vidit sanam, effecta lætissima, cum gratiarum actione ad imaginem sacram cucurrit, & puerum suum ei restituens, ait; Quia restituisti mihi filiam meam, en tibi restituo filium tuum. Hæc mihi relata sunt à sæpe dicto Hermanno Abbate loci S. Mariæ, qui puellam vidit, & à matris ore, quæ dicta sunt, audiuit. Cum adhuc Prior esset in Hemmenrode, & firmum haberet propositum resignare prioratus officium

officium, prædicta matrona ab Abbate eius, domino Eustachio, quem hospitio receperat, vt sibi eũ transmitteret petiuit, & obtinuit: quem ante imaginem Dei genitricis ducens, ne officium suum resignaret admonuit; Deo, inquit, nõ placet, si resignaretis: cui cùm ille diceret, Vnde hoc nostis? respondit illa; Nemo mihi hoc reuelauit, nisi domina ista, digito imaginem ostendens. Multa siquidem eidem deuotæ fœminæ per sacram illam imaginem reuelantur, plurima per illam beneficia consequitur. APOLLONIVS: Nesciui hactenus tantas esse consolationes in imaginibus Sanctorum. CAESARIVS: Multas sancti in suis, & per suas imagines, virtutes operantur, maximè in illis locis vbi venerantur: nunquid non recordaris iuuenis apostatę iuxta Floreffiam, qui per imaginem beatæ Virginis consecutus est indulgentiam? Similiter & sanctimonialis, quæ ab eius imagine alapa suscepta, periculosam euasit tentationem? APOLLONIVS: Vtriusq; bene memini, primi videlicet miraculi in distinctione secunda cap. 12. & secundi in distinctione præsenti ca. 33. & stupor inuadit me, cum in lignis audio vocem ad loquendum, manus ad feriendum, corporis incuruationem, erectionem, sessionem, & reliquos motus vitales. Magis hęc admiror, quàm loquelam asinę contra Balaam. illa enim animam habebat motabilem; in lignis, lapidibus, siue metallis, nullus spiritus est. CAESARIVS: Diuinus spiritus in creatura est per essentiam, & per potentiam, cui nihil impossibile est, & nihil miraculosum, qui ad honorem sanctorum suorum hæc & huiusmodi similia quotidie operatur. De imagine verò beatæ virginis referam tibi quandam visionem mirificam, quæ ante hoc triennium facta est.

CAP-

CAPVT XLVII.

IN introitu Frisiæ, iuxta ciuitatem Gruningen, cœnobium quoddam sanctimonialium ordinis nostri de nouo constructum est, vocabulo Iesse: quæ dicturus sum, à Priore loci eiusdem audiui, & circa idem tempus imaginem ipsam vidi, & missam coram ipsa celebraui: est enim opere angelico decenter exsculpta, effigiem repræsentans beatæ Virginis filium in gremio tenentis. Die quadam cùm custos candelam, quæ ante illam ardebat, dicta missa extinsisset, & duo carpentarij oratorium, propter opus suum intrantes, illam reaccensam reperissent, dixerunt Priori, Domine, nisi moneatis Custodem, vt cauta sit circa extinctionem huius candelæ, oratorium perdetis; omnia enim lignea sunt, altare scilicet, candelabrum, parietes. Vocata est illa, & culpata, negauit, & extinxit. Carpentarij denuò ingressi, cùm prædictam candelam rursum adere viderent, & mox hoc Priori prodidissent, iratus durè satis inuectus est in illam: qui certus effectus ex verbis eius de extinctione, iussit ne deinceps extingueret illam, scire volens quid portenderet. Totâ illa die, & sequenti nocte, coram imagine prædicta ardebat candela, & in manè, vix ad longitudinem dimidij articuli manus, fuerat consumpta. In festiuitate beati Andreæ Apostoli, cùm vnus ex præfatis carpentarijs vir simplex ac deuotus, modò in eodem cœnobio conuersus, ad missas staret, & sacerdos euangelium inciperet, imago Saluatoris, ipso intuente, de sinu matris, in quo sedebat, se erigens, coronam de capite eius tulit, eamque suo capiti imposuit; dicto verò Euangelio, cùm ventum fuissat ad illum locum symboli; Et homo factus est, coronam materno capiti restituit, &

 rese-

resedit. Hæc cùm simplex ille homo vidisset, & de nouitate visionis expauisset, ait intra se; Melius est vt taceas; si dixeris, non creditur tibi. Cumque in festo sancti Nicolai eandem visionem, eodem modo, quo prius, vidisset, diuinam timens offensam incurrere, si taceret, Priori visa per ordinem recitauit: & quia locum repositionis coronæ exprimere non poterat, vt potelaicus, interrogatus de hoc respondit; Quando nominata fuit Maria. Mox Priori occurrit, quod in festo confessoris, ecclesia Credo in vnum Deum, dicere non consueuerit: vocansque socium suum ait; Dixistis vos missam in conuentu in die sancti Nicolai? ipse tunc domi non erat: respondente illo; etiam: subiunxit, dixistis, Credo in vnum? Dixi, inquit: & Prior; nõ rectè fecistis, non enim Apostolus fuit. Ad quod verbum ille respondit; Certè ego sanctũ Nicolaum æqualem habeo multis Apostolis, sicque Prior de visione certificatus est. APOLLONIVS: Mysterium huius visionis nosse desiderio. CAESARIVS: Diadema regiũ videtur hoc loco signare carnẽ Virginis gloriosã, quam de semine traxit regio, Christus verò coronam maternam capiti proprio imposuit, cùm per sacramentum incarnationis carnẽ de Virgine sumptam, suæ diuinitati vniuit. Vnde ad consideratio-
Cant. 3. nem tanti mysterij Spiritus sanctus nos inuitans, dicit in Canticis Canticorum; Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem, id est, Christum verum pacificum, in diademate, hoc est, carne humana, quo coronauit eũ mater sua, Virgo Maria, in die desponsationis eius, quãdo angelo nunciante, in eius vtero cœlestes celebratæ sunt nuptiæ inter naturã diuinam & humanam. Per hoc autem, quod ad illa verba; Et homo factus est, coronam materno capiti reposuit, dicere videbatur; Mater, sicut ego per

per te particeps factus sum humanæ substantiæ, sic tu per me particeps facta es naturæ diuinæ; Christi enim, qui Deus est & homo, corpus sumus & membra. Hæc de perfectorum consolatione dicta sint per sacram eius imaginem. Audi nunc aliud genus consolationis de hoc quod in exordio huius distinctionis dictum est, apud ipsam esse electuaria confortatiua.

CAPVT XLVIII.

B. Virgo confortat cultores suos.

FVit in ordine nostro quidam physicus, magis habitu, quàm actu monachus, occasione medicinæ per prouincias discurrens, & vix vnquam, nisi in præcipuis festiuitatibus, ad monasterium reuertens. In quadam sanctæ Dei genitricis solennitate, cùm nocte staret cum alijs ad psallendum, ipsa Virgo beatissima, multa claritate circumfusa, chorum, ipso videntè, intrauit, psallentes circuiuit, & de pixide, quam in manu portabat, electuarium per cochlear hauriens, singulis in os mittebat; ad ipsum verò veniens, cùm pertrãsiret & diceret, tu de meo electuario nõ indiges, quia medicus es, & plurimas tibi impẽdis consolationes, ille tristis transeuntem oculis sequebatur, culpam recognoscens. Ab illo tempore, non nisi per obedientiam coactus de monasterio egredi cõsensit, & omnes corporales consolationes sibi temperauit. In proxima sua solennitate, Domina nostra prædicto modo famulos suos visitans, postquam ad medicum venit, gradum fixit, & ait; Quia te emendasti, tuis medicamentis mea præferens, ecce de meo electuario, sicut ceteris, tibi impertior: de quo vt gustauit, mox tantũ dulcedinis ac deuotionis concepit, vt deinceps stabilis in congregatione maneret, & omnia carnis commoda tanquã stercora reputaret. Electuariũ istud gratia de-

notionis intelligitur, cuius virtute psallentes confortantur, cuius dulcedine labor vigilarum vertitur in delicias: huius species aromaticæ sunt, memoria compunctiua dominicæ conceptionis, nativitatis, & reliquorum sacramentorum Christi, quæ omnia melliflua spe futuræ retributionis conciiuntur. & meritis beatæ Virginis psallentibus infunduntur. APOLLONIVS: Placet quod dicis. CEASARIVS: Quod apud beatam genitricem Dei vnguenta sint sanatiua, testatur sponsus in Canticis dicens: Meliora sunt vbera tua vino; odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Et in alio loco in persona illius; Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans, odorem dedi &c. Quantæ virtutis & gratiæ eadem sint vnguenta, sequens declarabit exemplum.

Cant. 1. 4.

Eccli. 24.

CAPVT XLIX.

COntigit ante annos paucos in quodam cœnobio sanctimonialium ordinis nostri, satis mihi noto, res valdè delectabilis: est ibi quædam soror, & ipsa mihi nota, vitæ probabilis, multumque feruens in obsequio beatæ Virginis; hæc cùm in genuflexione, nimio impellente feruore, tempore quodam genu vel tibiam vulnerasset, atqi meridie in infirmatorio dormiret, visa est in somnis ei astare beata Virgo Maria, pixidem vnguenti portans in manu sua, immisisque digitis, de eodem vnguento perunxit vulneratã tibiam virginis: statim tanta fragrantia adfuit, vt sorores in proximo dormientes, odore illius excitatæ surgerent, & ad lectum eius veniẽtes, eò quod maior ibi sentiretur virtus odoris, dormientem excitarent. Cui cùm signassent quis, vel vnde esset odor tantus, illa cautæ non ignara, immò per eadem signa iam de veritate visionis certior effecta, nihil illis dicere, vel

signare voluit, tantum innuens, vt irent dormitum. Quæ cum sursum obdormiuisset, iterum affuit mater Domini, secum illam per visionem ducens in pomarium, cui manum sub mento ponens, dixit; Modo dimitte te super genua tua: quod cum fecisset, Domina nostra subiunxit; De cætero sic modestè, & disciplinatè debes petere veniam, instruens illam, & adiecit; Singulis diebus sequentiam, Aue Dei genetrix, mihi ad honorem dicere debes, & ad singulos versus veniã petere; multũ enim in ea delector. Sãctimonialis vero euigilãs, vt experiretur si esset aliquis in visione effectus, tibiam conspexit, quã non sine multa admiratione sanatam inuenit. APOLLONIVS: Quantum ex hac visione conijcio, minus placet beatæ Virgini in orationibus feruor indiscretus, & in genu flexionibus motus indisciplinatus. CAESARIVS: Non contradico, vt enim de persona beatæ Dei genitricis taceam, nomen eius non tam sententijs, quam viuis exemplis dulce super mel ostendam.

CAPVT L.

IVxta ecclesiam sancti Seuerini in Colonia, inclusus quidam habitabat Marsilius nomine, in Tuscia ad sanctum Sebastianum quandoque episcopus, & tempore schismatis, quod fuit inter Alexandrum & Paschalem, ab ipso Alexandro depositus: hunc cum matronæ ciuitatis frequentarent, & vna ei confessa fuisset, quod dominæ nostræ nomen dicere non posset sine quadam mira dulcedine, de causa tantæ gratiæ requisita respondit; Singulis diebus in honore eius quinquaginta Aue Maria, cum totidem venijs dicere consueui, per quæ tantam dulcedinem merui, vt omnis oris mei iaiiua orationis tẽpore in

B. Maria nomen dulcissimum esse.

mel videatur conuersa. Quod cùm audisset iam dictus inclusus, exemplo deuotæ fœminæ, vix per sex hebdomadas angelicam salutationem præfato modo & numero compleuerat. & ecce tantam dulcedinem sentire cœpit in illius dulcissimæ salutationis prolatione in ore & gutture, vt mellis dulcedinem longè transcenderet ipsa dulcedo. Eandem dulcedinem meruit de ordine nostro quidam monachus, exemplo illius prouocatus. Hæc mihi relata sunt ab eodem incluso, Ecce his tribus exemplis satis ostensum est, nomen eius esse super mel dulce, & quod hæreditas eius sit super mel & fauũ.

Eccli. 24. APOLLONIVS: Vt quid appositum est, Hæreditas eius super mel & fauum? CAESARIVS: Repetitio, confirmatio est; quod hæreditamus, hoc frequentamus: in fauo cera est & mel; & cera, quia tenax est, pertinet ad memoriam; mel exprimit dulcedinem; non nisi per iugem memoriam nominis genetricis Dei, præmissa dulcedo poterit adipisci: cera enim illuminat, mel cibat & inebriat. Nomen Mariæ, in compositione odoris factum opus pigmentarij. In omni ore quasi mel indulcabitur, &

Eccli. 49. vt musica in conuiuio vini. Vtrumq; enim, illuminationem scilicet & refectionem, sancti huius nominis inuocatio operatur, sicut in supra dictis ostensum est exemplis. APOLLONIVS: Ex quo tanta bona per nomen beatæ Virginis conferuntur peccatoribus & iustis, de cætero memoriæ meæ tenacius inhærebit. CAESARIVS: Hoc si feceris, in fine tuo consolationem eius experieris. Quod verò morientibus assistat, eisque suam mellifluam præsentiam ostendat, præsto sunt exempla.

CAP-

CAPVT LII.

IN domo quadam Hispaniæ ordinis nostri, quæ *Pumanne vocatur, duo adolescentes sunt conuersi, & tam laudabiliter in ea conuersati, vt vita illorum esset alijs in exemplum: ex quibus vnus in obsequio beatæ Virginis ita feruens extitit ac deuotus, ita in horis eius decantandis morosus & intentus, vt non solùm in singulis versibus, sed etiam in singulis verbis memoriam ipsius haberet, sicque horam horæ cum maximis laboribus penè continuaret. Qui cùm annos decem & septem fecisset in ordine, grauiter infirmatus est, & ministrauit ei socius suus ex licentia Prioris: sciens eum virum sanctum, & in seruitio Dei genitricis deuotissimum, vt aliquid sibi diceret ad ædificationem intuitu mutuæ charitatis flagitauit; cui cũ ille nihil negare posset, nec vellet, respõdit; Heri Domina nostra visitauit me, & quia die septimo ad dominum sum migraturus, prædixit, & adiecit; Quia præ cunctis mortalibus mihi intentius seruiuisti, & ego tibi faciam quodnõdum alicui feci; collumque meum brachijs suis stringens, dedit mihi osculum. APOL. Hęc legentibus, oriri potest scrupulus, quia superius dictum est capitulo tricesimo tertio, quod tẽtato osculum dederit. CAE. Visio ista, illam tempore præcessit. Cùm autem agonizaret die & hora prædicta vir sanctus, Prior dormiens, cellam, in qua iacebat, turbam candidatorum introire vidit, qui se propter animam illius deducendam adueniſse dicebant. Statimque ad percussionem tabulæ excitatus, surrexit & accurrit, & quia cœlestis esset exercitus, à quibus deuotus genitricis Dei famulus foret deducẽd⁹, minimè dubitauit. Hęc dominus Arnoldus Abbas Cisterci-

B Virgo mariẽtibus assistit.

*al. Pumerane.

Ciſtercienſis, Treueri poſitus, multis recitauit, dicens veraciter in domo, in qua prius Abbas fuerat, geſtum.

CAPVT LII.

IN Clauſtro, quod vulgari nomine Hemmenrode dicitur, Conuerſus quidam fuit vocabulo Hermannus, nemorali aratro cuiuſdam grãgiæ deputatus: erat autem ſinceriſſimæ vitæ, & multas à Domino conſolationes ſecretò percipiebat, ex quibus perpaucæ ad noſtram peruenerunt notitiam. Is in officio ſuo habebat inter alios boues, iuuencum ferocem ac ſuperbum, quem ad opus vix, ac nullatenus ſine magno labore adducebat: hunc ergo cum vice quadã iugo vellet colligare, & modis omnibus recalcitrantẽ nequiret cõpeſcere, cõmotus animo in ſyluã, diuertit, & fuſtẽ ad rebellem taurum feriendũ incidit: cui minaciter cum voce venienti, neſcio quo ſpiritu ductus, taurus occurrit, pedibuſque eius proſtratus, licet non verbis, geſtu tamen humiliati corporis veniam flagitauit. Quo viſo, vir Dei placatus ait; Miſericordiam quæris, miſericordiam tibi non denegabo, ſurgẽ, & caue ne me de cætero inquietes. Ab illa autem die taurus idem omnem depoſuit feritatem, adeò vt in gratia manſuetudinis nullo coniugalium ſuorum inueneretur inferior. Idem frater alio tempore, cùm diuinis laboribus fatigatus, poſt completorium pauſaturus in ſuo ſtrato ſe collocaſſet, ſubitò recordatus eſt quod ipſo die vnam horam, quam decantare ſolebat in honore beatæ Virginis, præ inſtantia occupationis diſtulerat, & dilatam obliuione intercedente neglexerat: exilijt ergo de ſtrato ſuo, vt quod neglexerat, vel tunc ſuppleret: ſed eius miſerante labores, Domina mundi repentè aſtitit ei, imperans vt quieſceret, & ipſa pro eo horam neglectam ſupplere deberet. Quando autem Dominus Deus iuſtam laboribus eius remunerationem reddere decreuit, immiſit ei infirmitatem corporis, ſed animi gaudium, & conſolationem ſpiritus non ſubtraxit. Igitur cùm per aliquot dies ægrotaſſet, venit Abbas Giſilbertus, tam eum, quàm cæteros infirmos viſitare; cui cùm diceret, Non erubeſcis frater Hermanne, quod frater Godefridus erit Prior tuus in regno cœlorum? demonſtrato quodam Conuerſo ibidem infirmo, qui triennium vix perfecerat in ordine; reſpondit; Non domine, ſed quicquid boni ei Deus facere voluerit, bene cupio ei. Dixit ei Abbas; O tu ſemper rides: facies enim eius naturaliter quaſi ad ridendum diſpoſita erat; habe licentiam eundi ad chorum, & ad opus tuum. Reſpondit; Ego ibo quò Deus voluerit. & quò, inquit, ibis? Reſpondit, ad regnum cœlorum. Quando ergo, ait, morieris? At ille ait; Poſt biduum: nam & tertia poſt hanc diem incipiente miſſa hic ero, & incipiente euangelio hic adhuc ero, ſed antequam finiatur, in regno cœlorum ero, & videtur mihi hoc triduum prolixius eſſe, & amplius me grauat, quàm totum tempus vitæ meæ, quod feci ſuper terram. Vnde, inquit, iſta noſti? Reſpondit ille; Beata Virgo domina noſtra hic fuit, & conſolata eſt me: ſed & ego raptus ſum in cœlum, vbi videre merui beatitudinem, quam Deo largiente habiturus ſum, ab illo ergo die, frequentiſſimè eum Abbas viſitauit. Iam aduenerat dies tertia, & inſtante hora miſſæ, acceſſit ad eum felicis memoriæ frater Theodericus de Cellario, miniſter eius, & dixit; Frater Hermanne, potero ne ego ire ad miſſam? erant enim dies quadrageſimæ: qui ait, Non, finite alios ire, vos autem manete mecum, & præparate aquam calidam vnde lauari debeam, & poſt paulu-

paululum sternite mattam, & aduocare duos fratres, qui vos adiuuent, tempus est migrandi. Pulsata igitur tabula, circa principium euangelij, conuentus occurrit, & ipse Abbas inter primos, sicque sancta illa anima, sicut prædixerat, ante finem euangelij soluta est. APOLLONIVS: Non miror si iustus desiderauit mortem, quem auctrix vitæ consolata est ante mortem. CAESARIVS: Non solùm præsentia eius infirmis dat fiduciam moriendi, sed etiam moriẽtibus risum excitat, qui est signum magnæ lætitiæ.

CAPVT LIII.

CONuersus quidam, adolescens ætate, Friso natione, in Lucka, cuius supra memini, grauiter infirmabatur: deductus ad extrema, in ipsa agonia, sicut mihi retulit monachus, qui vidit, & præsens fuit, ridere cœpit; cui cùm diceret vnus ex circumsidentibus; Paule, hoc ei nomen erat, cur modò rides? respondit; Cur non rideam? ecce Domina nostra præsens est, & iam animam meam suscipiet. Videtur mihi in isto versiculus poëtæ impletus: Incipe parue puer risu cognoscere matrẽ. Puer erat virtute idem Conuersus, quia simplex & purus; paruus, quia humilis & mansuetus. Haud dubium, quin beata Virgo morienti maternos exhibuerit gestus; quia non risum, sed timorem, vultus excitat seuerus.

Virg. Eclog. 4.

CAPVT LIIII.

SIMILE contigit Coloniæ in Ecclesia sancti Mauritij: cùm quædam sanctimonialis bonæ vitæ, in extremis ibidem laboraret, & sorores morientem circumstarent, illa serenata facie subridendo, cunctis audientibus in hæc verba prorupit:

Bene veniat dulcissima domina mea, bene veniat: sicq; repressis labijs expirauit. Multum enim illam diligebat, vnde & in hora illa terribili dilectam videre meruit, visam salutare, atque per eam, & cum ea, cœlestem thalamum intrare. APOLLONIVS: Spero quod dæmones, qui etiam viris sanctissimis in exitu nimis sunt importuni, in præsentia tantæ maiestatis subsistere non possunt. CAESARIVS: Hoc tibi ostendere volo per exemplum.

CAPVT LV.

CIRCA hoc triennium, monachus quidam VVernerus nomine in Eberbacho defunctus est, ætate quidem adolescens & imberbis, sed mente canus: hic cùm ante horam exitus sui, sicut ab eius Abbate didici, dęmones circa se videret, illorum importunitate valdè turbatus clamare cœpit; Sancta Maria libera me ab istis vilissimis, crebrius hoc repetens. Audientes huiusmodi clamorem, hi qui circa eum erant, satis mirabantur, scientes eũ esse taciturnũ, & vix ad interrogata respõdere. Postmodum respirans & inclinans ait; Bene veniat charissima domina mea, bene veniat. moxq; manum contra dæmones leuans, & eis insultans, subiuxit; Modò iacete vos ibi, modò iacete vos ibi; sicq; post modicum, placido vultu expirauit, angelis gaudium faciens in cœlo, sed non modicum dolorem fratribus in monasterio; fuerat enim adolescens bonus & disciplinatus, virgo corpore & mente. Nec dubitandum est, quin in aduentu reginæ cœli, omnis illa turba spiritum malignorum impulsa sit & deiecta, sicut in ortu solis dispergitur nebula matutina. APOLLONIVS: Si Domina nostra clementissima, in morte peccatoris, sicut supradictum est cap. IX. sola

sola sua misericordia dæmonum cachinnos compescuit, non miror, si in obitu huius iusti terrores illorum indebitos repressit. CAESARIVS: Bene sentis; dignum erat, vt mater totius castitatis, etiam ante mortem, in suo famulo tam iocunda visitatione remuneraret virtutem virginitatis. Nec hoc miror de perfecto monacho, cùm ob eandem virtutem, nouerim suam præsentiam, cuidam seculari clerico morienti Dei genitricem exhibuisse.

CAPVT LVI.

QVIdam canonicus maioris ecclesiæ in Colonia, cùm in extremis ageret, beatam Mariam præsentem vidit, & agnouit: quam visionem cùm circunstantibus recitasset, alapam sensibilem inuisibiliter recepit. APOLLONIVS: Quæ fuit ibi culpa? CASARIVS: Puto quia inanis gloria, quæ mox per eandem alapam est sanata. Vocabatur Albertus, & licet corpore fuerit castus, satis tamen extitit secularis & delicatus, atque in vestibus curiosus. Ne tamen causari possis, quod vniuersorum Domina tantùm claustralibus virginibus, vel continentibus decedentibus, suam præsentiam visibiliter impendat, eosque ad vitam æternam perducat, personam laicam, & vxoratam tibi proponam.

CAPVT LVII.

CIuis quidam de Tulpeto, vir honestus, Cuno nomine, in hac extrema expeditione signatus, cum alijs peregrinis ad mare vsque peruenit: ibi grauiter infirmatus, cùm moriturus esset, cœpit mirabiliter iocundari: requirentibus socijs de causa lætitiæ, respondit; Quare non gaudeam? ecce Domina nostra sancta Maria hic præsens est, &

est, & hæc mihi dixit; Cuno quia reliquisti vxorẽ, filios, & omnia tua; propter honorem filij mei periculis te exponens; ego bene & plenè retribuam tibi: qui statim exclamauit; En video cœlum apertum, & in eo sedem mihi præparatam, ad quam celerius sum ascensurus; moxque sacro oleo postulans se inungi, & viatico Dominici corporis muniri, hominem peregrè deposuit, &, sicut verus peregrinus, in cælesti patria laboris sui præmium suscepit. APOLLONIVS: Non miror, si homo iste iustus, vel potiùs per crucis signationem iustificatus, tam mirifica vidit, & promeruit; sed, si nosti, dic vnde mirer. CAESARIVS: Duo tibi dicam exempla diuinæ pietatis, eiusque genitricis, quæ te non solum in admirationem, imò etiam in stuporem meritò conuertant.

CAPVT LVIII.

MIles quidam nobilis, sed criminosus, tempore quodam ab inimicis suis captus est, & quia mortales erant inter eos inimicitiæ, visum est eis expedire; vt in instanti occideretur: cernens vir nobilis sibi mortem imminere, & nullum adesse remedium vitæ, supplici voce dixit ad illos; Rogo vos intuitu Dei, vt ad modicum mortẽ meam differre dignemini, quatenus alicui sacerdotum, peccata mea possim confiteri. Responderunt illi; Non esset nobis hæc dilatio tuta; & contingere posset, vt cognati & amici tui venientes, eriperent te de manibus nostris, & esset error nouissimus peior priore. Cui cùm præcepissent, vt se prosterneret ad decollationem, dixit hoc verbum; Deus tu scis voluntatem meam; & subiunxit; Animam meam commendo Virginis filio: sicque decollatus est. Erat tũc temporis obsessus quidam in vicinio, cui cùm diceret quidam, audita morte

tanti tyranni; Modò magnum habetis gaudium, propter animam militis illius facinorosi: lugubri voce respondit; Nequaquam, vnum enim verbum moriens protulit, propter quod saluatus est. Haud dubium, quin ope beatæ Virginis, cuius filio animam occidendus commisit, pœnis gehēnæ sit subtractus, & cum latrone confitente paradisi gaudijs
Luc. 23. addictus. Aliud tibi referam, vnde amplius mireris, quod mihi Abbas ordinis nostri retulit, circa hoc quinquennium dicens illud contigisse.

CAPVT LIX.

IN vicinia ciuitatis Tridentinæ, sicut mihi retulit quidam Abbas, latro nominatus versabatur, à quo multi deprædabātur, & qui se defendere voluerunt nec potuerunt, occidebantur: hic cùm die quadam monachum quendam ordinis nostri obuium haberet, sperans quod pecuniam portaret, ait; Nisi voluntariè sequaris me, occidam te. quem cùm monachus sequeretur, & quæreret in via, quis esset, vel quid operis haberet? respondit ille; Ego sum latro ille famosus, nomen suum exprimens. cui cùm monachus diceret: Iam incipitis canescere, & non timetis animæ vestræ? respondit ille; Non plus quàm pecus. & tacuit monachus: veniens in speluncam illius, ait intra se; Si posses hominem hunc conuertere, magnum Deo præstares obsequium, dixitq; ad latronem; Si licet mihi aliquid vos interrogare? respondente illo, licet; monachus subiunxit; Qualis extitit vita vestra à principio? Respondit ille; Pessima; quando puer eram, cum omnibus meis coëtaneis cōtendebam; factus adolescens, furtis operam dedi; deinde in virum proficiens, latrocinia exercui, in quibus adeò profeci, vt hodie caput & magister sim omnium latronum huius prouinciæ. Ad quod monachus; Nunquid

quid non timetis pœnas æternas, huiusmodi operibus præparatas? Dicente illo; De anima, nulla mihi quæstio est, eò quod perdita sit. Monachus respondit; Quid si possem vobis ostendere viam salutis, velletis mihi acquiescere, nec ne? Ait latro; Etiam vobis consentirem. & ille; Ieiunate vnum diem in hebdomada in honore sanctę Mariæ genitricis Dei, & nullum in illa lædatis, & sciatis pro certo, quia gratiam apud filium vobis obtinebit. Respōdit latro; Hæc reuera faciam, & iam voueo, nihil ea die comedam, nullum deprædabor, nullum lædam, elegitque diem sabbati, nihil in illo mali operans, imò plurimos à sociorum manibus deprædandos, siue occidendos, ob honorem beatæ Virginis eripiens. Eodem tempore, Tridentum ab hostibus per circuitum infestabatur, & exeuntes satellites ciuitatis, cùm hostes die sabbati insequerentur, iam dictum latronem, inermem propter sabbatum, cum cæteris cœperunt: & cùm esset fortissimus, non se defendebat, cùm caperetur, non se excusabat, nec loqui voluit interrogatus cū duceretur. Veniens in ciuitatē, mox vt cognitus est, patibulo adiudicatus est. Nutu tamen, vt creditur, B. Virginis, super pulchritudinem corporis eius iudices moti, in hoc cōuenerūt, vt prouincia abiurata, viueret: quod cū ille abnueret, & diceret; Non faciā, melius est. n. vt hic peccata luam, quàm in futuro; responderunt; Sine tūc vt decolleris; Nō curo, inquit, qualis sit pœna, dummodo occidar. & illi; Vis vt vocetur tibi sacerdos? respondit; Non est necesse, omnes enim Christiani estis, omnibus vobis peccata mea confiteor. quod cùm fecisset cū multa contritione, nihil se boni vnquam fecisse testabatur, præter illud ieiunium, quod à monacho didicerat. sicq; extra ciuitatem decollatus est, & in eodē loco sepultus. Nocte eadem, vigiles, portarū circa

Non contemnitur confessio sacramentalis, sed maior confusio desideratur ab eo, qui

Inter latrones vitam pene omnem transegerat, ideoque parum instructus in rebus religionis fuit.

eius tumulum luminaria viderunt: quinque enim matronæ, corpus eius effodientes, & caput corpori adaptantes, posuerunt in feretro, miræ texturæ purpura superiecta; ex quibus quatuor singulas cãdelas ardentes in manibus habentes, per quatuor partes feretrum tollentes, quinta, quæ clarissima omnium erat, cum candela sequente ad portam vsque venerunt, ibi corpus deponentes. Custodes ista videntes, timuerũt, putantes esse fantasma: quibus illa dicebat; Dicite episcopo vestro, vt capellanum meum à vobis decollatum, in tali loco ecclesiæ honorificè sepeliat; minas addens si negligeret: & nominauit se. Manè cùm episcopo hæc nunciata essent, cum clero & populo exiens, purpuram deposuit, caput præcisum, corpori vnitum videns, expauit, texturamque purpuræ humanum artificium excedẽtem admiratus, relatis credidit, hominemque cum timore, & honore maximo non vt latronem, sed sicut Christi martyrem in loco designato sepeliuit. Ab illo tempore, vsque hodie, vix aliquis adultus in illa prouincia inuenitur, qui eius exemplo diem sabbati in honorem Dominæ nostræ non ieiunet. APOLLONIVS: Cùm opera bona extra charitatem facta mortua sint, quomodo ieiunium, siue opus aliud secundum genus bonum, tempore lacrocinij gestum, Dei genitrici placere potuit? CAESARIVS: Per obsequium quod beatæ Virgini impendit, habilem se reddidit gratiæ; per finalem contritionem, factus est filius gloriæ; per temporalem mortem, quam libenter ac patienter sustinuit, purgatorij pœnam euasit. non enim punit Deus bis in idipsum, nisi medicina cõtemnatur; nõ aliter audeo definire: legimus enim in vitas patrum, cuidam latroni conuerso, pietatis opera, quæ in latrocinio egit recitanti, sanctum respondisse Pafnucium; Nunquam aliquid tale egi,

Nahum 1.

Parte prima in vita S. Pafnutij.

egi, id est, tam magnum, in vita mea. APOLLONIVS: Historia hæc tam mirabilis, valde accendere debet peccatores in amorẽ sanctæ Dei genitricis. CAESARIVS: Adhuc vnum superest capitulum, quod omnes ordinis nostri professores magis omnibus, quæ adhuc audisti, in illius amorem accendit, propter quod præsenti distinctioni pro cõclusione illud reseruaui, quia quod nouissimo loco dicitur, memoriæ fortius imprimitur.

CAPVT LX.

MOnachus quidam ordinis nostri, Dominã nostram plurimum diligens, ante paucos annos mente excedens, ad contemplationem gloriæ cœlestis deductus est: vbi cùm diuersos ecclesiæ triumphantis ordines videret, angelorum videlicet, patriarcharum, prophetarum, Apostolorum, martyrum, confessorum, & eosdem certis characteribus distinctos: item Canonicos regulares Præmonstratenses, siue Cluniacenses, de suo ordine solicitus, cùm staret & circumspiceret, nec aliquam de illo personam in illa gloria reperiret, ad beatam Dei genitricem cum gemitu respiciens, ait; Quid est sanctissima Domina, quod de ordine Cistercienſi neminem hic video? quare famuli tui, tibi tam deuotè seruientes, à consortio tantæ beatitudinis excluduntur? Videns eum turbatum Regina cœli, respondit; Ita mihi dilecti ac familiares sunt hi, qui de ordine Cistercienſi sunt, vt eos etiam sub vlnis meis foueam; aperiensq; pallium suum, quo amicta videbatur, quod miræ erat latitudinis, innumerabilem multitudinem monachorum, Conuersorum, & sanctimonialium illi ostendit: qui nimis exultans, & gratias referens, ad corpus redijt, & quid viderit, quidue audierit, Abbati suo narrauit. Ille verò in sequẽti capitulo hęc rese-

referens Abbatibus, omnes lætificauit, ad ampliorem sanctæ Dei genitricis amorem illos accedens. Igitur quia Virginem beatam, imò speculum virginitatis, cuius merita, & gloria, omnem sanctorũ multitudinem transcendunt, laudare non sufficio, quasi imperitus orator illam laudando deficio: ipsam ergo, tuis adiutus orationibus, deprecor, vt defectum meum ipsa suppleat, & quæ scripta vel scribenda sunt, fructuosa faciat. Amen.

FINIS LIBRI septimi.

CAPITA LIBRI octaui.

Ratio quare in octaua distinctione de diuersis visionibus tractetur caput primum.

De sacerdote, cui natiuitas Christi in somnis reuelata est cap. 2.

De sorore Christina, & eadem natiuitate cap. 3.

De diuersitate somniorum, & visione spirituali cap. 4.

De monacho, qui Christum quasi recenter natum vidit cum Maria & Ioseph cap. 5.

De Priore, qui vidit stellam in nocte Dominicæ natiuitatis super cantantes cap. 6.

De Richmunde, quæ in epiphania Christum vidit in præsepio, patris vocem audiens desuper cap. 7.

De virgine, cui Christus apparuit in ætate triennii ca. 8.

De prædicta Richmunde, quæ Dominum vidit in domo pontificis inter persecutores cap. 9.

De virgine, cui Christus frequenter vigilanti apparet in cruce cap. 10.

De

De Daniele monacho, cui Christus apparens in cruce, contulit gratiam lacrymarum cap. 11.

Quomodo intelligendum sit, Percussit petrã &c. ca. 12.

De Petro monacho de Claustro cap. 13.

De monacho eiusdem cœnobij tentato, in cuius aspectu crucifixi vulnera perunctia sunt cap. 14.

De Christiana monacha, cui Christus crucifixus apparuit, & senex perungens vulnera eius cap. 15.

De sanctimoniali tentata, quam Christus complexus est cap. 16.

De duobus Conuersis Claustri, qui viderunt Christum in aëre pendentem in cruce, cap. 17.

De Conuerso de Lucka, qui vidit Christum cum quindecim religiosis in aëre crucifixum, cap. 18.

De crucifixione religiosorum cap. 19.

De Conrado Conuerso, qui in extasi factus, Christum vidit in cruce cap. 20.

De milite, cui crux inclinauit, quia inimico suo pepercerat ob illius amorem cap. 21.

De sanctimoniali, cui crucifixus tenebras temperauit cap. 22.

De nouitio, cuius fronti crux impressa est cùm inclinaret ad Gloria Patri cap. 23.

De monacho pictore, qui in parasceue mortuus est cap. 24.

De crucifixo ecclesiæ Sancti Georgij in Colonia, qui campanarium trusit cap. 25.

De vindicta in milites, qui hostes suos in ecclesia occiderunt cap. 26.

De vidicta Dei in Damiatianos, qui fune crucifixum traxerunt cap. 27.

De canciuibus, quos crucifixerunt, cùm fugere vellent ad Christianos cap. 28.

De

De Christo, qui in paupere conquestus est Conuerso, se fuisse percussum cap. 29.
De Henrico Contracto monacho Claraeuallis, qui in somnis vidit Christum in pectore suo obdormire, cũ infirmus moreretur cap. 30.
De Theobaldo comite, qui in figura leprosi, Christi pedes lauit cap. 31.
De episcopo, qui leprosi nares lingens, gemmam decidentem suscepit cap. 32.
De episcopo Salsburgensi, qui leprosum communicãs, vomitum eius sumpsit, cùm sacramentum eiecisset cap. 33.
De odore aromatico in pascha cap. 34.
De passione Christi cap. 35.
De sancto Spiritu cap. 36.
De Henrico Conuerso, & columba, quam vidit super caput Hermanni Prioris cap. 37.
De monacho, in cuius capite visa est columba cùm legeret euangelium cap. 38.
De sanctimoniali, cui mentaliter ostensum est sacramentum sanctae Trinitatis cap. 39.
Qua similitudine electi dicãtur mẽbra Christi cap. 40.
De angelis cap. 41.
De virgine, quae per angelum liberata est à stimulo carnis cap. 42.
De Conuerso, qui angelum frequenter vidit, & dicendo gratiam perdidit cap. 43.
Quid operetur angelus bonus, siue malus, circa hominem cap. 44.
De sorore Christiana, quae vidit angelum praesentatorem animarum cap. 45.
De hominibus, qui viderunt reliquias montis Gudinsberg transmigrare in Stromberg cap. 46.

De

De militibus templi, quos pagani videre non potuerunt dum horas suas dicerent cap. 47.
De patriarchis & prophetis cap. 48.
De monacho Claraeuallis, qui S. Ioannem Baptistam dilexit cap. 49.
De sanctimoniali eiusdem Praecursoris dilectrice c. 50.
De duabus sanctimonialibus contendentibus pro Sancto Ioanne Baptista atq; Euangelista cap. 51.
De Canonico Bonnensi, quem Sanctus Ioannes Baptista trusit cap. 52.
De mercatore, cui meretrix vendidit brachium Sancti Ioannis Baptistae cap. 53.
De dente eiusdem, qui est apud nos, & de virtutibus per eum factis cap. 54.
De Apostolis cap. 55.
De foemina sortilega, quae Sanctum Andream repudiauit cap. 56.
De pelle vrsina Sancto Andreae empta, per quam mare furens sedatum est cap. 57.
De homine per S. Iacobum à suspendio liberato ca. 58.
De Gerardo milite, quem diabolus de ecclesia Sancti Thomae in India in momento transtulit in terram suam cap. 59.
De dente Sancti Bartholomai, de quo sanguis exiuit, cùm deberet diuidi cap. 60.
De foemina, quae Sanctum Iudam contempsit cap. 61.
De braxatrice ecclesiae sanctorum Apostolorum, cuius domus inter flammas miraculosè seruata est c. 62.
De Carolo ciue, qui lapides ad fundamenta ecclesiae eorundem Apostolorum obtulit cap. 63.
De martyribus cap. 64.
De reuelatione martyris nostri cap. 65.
De sanctis ante Alkazer in Aere visis, per quos Christiani

stiani adepti sunt victoriam cap. 66.
De reliquijs martyrum, qui Bernardum in latere stimulauerunt, cùm illicitè moueretur cap. 67.
De dente Sancti Nicolai in Bruvvilre cap. 68.
Quare beatus Thomas Cantuariensis plus cæteris martyribus miraculis coruscet cap. 69.
De freno, per quod multa fiebant miracula, cùm eiusdem martyris esse putaretur, & non esset cap. 70.
De confessoribus cap. 71.
De Conuerso, cui Sanctus Nicolaus apparuit in choro cap. 72.
De furo, quem idem confessor à patibulo liberauit cap. 73.
De Adam monacho, quem Sanctus Nicolaus cum sancto Paternano ab infirmitate sanauerunt cap. 74.
De puero opilione, cui Sanctus Nicolaus mortem suam prædixit cap. 75.
De tabula Sancti Nicolai apud Porcetum cap. 76.
De magistro Ioanne, cui infirmanti Sanctus Martinus & Sanctus Godehardus succurrerunt cap. 77.
De Gerardo Abbate Clarauallis, cui Sanctus Eucharius cùm socijs apparuit cap. 78.
De virginibus cap. 79.
De Theoderico episcopo Liuoniæ, qui Sanctam Mariam Magdalenam viduis, & Sanctam Margaretam virginibus assistere vidit, cùm eas velaret, cap. 80.
De Arnoldo monacho Vilariensi, quem Sancta Maria Magdalena tactu sanauit cap. 81.
De Abbatissa in Houene, cum oculos Sancta Luthildis curauit cap. 82.
De imagine Sanctæ Katharinæ, ibidem cap. 83.
De osse Sanctæ Katharinæ, quod oleum stillauit ca. 84.
De sacris tribus virgimibus, quæ de Folkenrode reuersæ

sunt Coloniam cap. 85.
De duabus virginibus vndecim millium, quæ per reuelationem sunt inuentæ, & nobis donatæ cap. 86.
De viatore, qui de earum reliquijs miraculosè obtinuit cap. 87.
De Conuerso, quem sacra virgo in somnis osculabatur cap. 88.
De osse equino, quod de eorum reliquijs miraculosè projectum est cap. 89.
De puella, quæ ad hymnum, Te Deum laudamus, chorum Psallentium in cœlum transferri vidit ca. 90.
De his, quæ Hermannus Abbas vidit de loco nostro cap. 91.
De Rudolpho, qui illotis manibus timuit tangere aspersorium cap. 92.
De monacho, qui in excessu factus, propriam vidit animam cap. 93.
De sanctimoniali, quæ propter defectum vnius pictantiæ, mirificè consolata est cap. 94.
De Conuerso, qui dicendo perdidit dulcedinem diuinitus concessam cap. 95.
De viatore poophetici spiritus, qui apparuit Henrico Conuerso cap. 96.
De Rudolpho canonico de Aldensele, cui viri candidi horas canonicas decantauerunt cap. 97.

DE

DE DIVERSIS VISIONIBVS LIBRI OCTAVI,

CAPVT PRIMVM.

MIRARI poteris, quare distinctionem diuersarum visionum, ad octauum distulerim locum: non absque ratione & causa sacramenti noueris hoc factum: sicut enim Christus in Euangelio scalam cõposuit ex octo beatitudinib°, per quam cælos ascendere possit omnis Christianus: ita in hac distinctione, scala erigenda est ex totidẽ ordinibus, per quam humanæ visioni condescendat cœlestis exercitus. Duo latera huius scalæ, duo sunt genera visionum, corporalis scilicet, & spiritualis: ita tamen, vt per spiritualem, omnis visio intelligatur, in qua solus spiritus operatur. APOLLONIVS: Quæ est visio corporalis? CAESARIVS: Cùm aliqua Dei dono corporaliter videntur, & per illa aliquid signatur, vt sicut Elisæus vidit currus igneos in raptu Eliæ, & rex Balthasar articulos manus scribentis in pariete. Hac visione sæpè angeli, nec non & animæ sanctorum in subiectis corporibus à mortalibus, oculis corporeis, contemplantur, vt postea dicetur sub exemplis. APOLLONIVS: Quæ est visio spiritualis? CAESARIVS: Quæ fit per imagines sine corporibus, vt fieri solet in extasi, & in somnis: sub hac comprehendamus & visionem intellectualem, licet multum ab ea differat, quam quidam dicunt esse triplicem, AEnigmaticam scilicet, quam habent viatores; Præsentariam, qua vtuntur ciues; & mediastinam, quam habuerunt Adam & Eua in paradiso.

Matth. 5.

Visio duplex.

Corporalis.

4. Reg. 2.
Dan. 5.

Spiritualis.

Intellectualis triplex.

diso. APOLLONIVS: Quid est visio intellectualis? CAESARIVS: Visio intellectualis, siue mentalis est, quando nec corpora, nec imagines rerum videntur, sed incorporeis substantijs, intuitus mentis mira Dei figitur potentia. In supremo gradu huius scalæ locemus Christum, qui Deus est & homo, caput & origo sanctorum omnium; in secundo gradu descendendo, ordinem angelorum; in tertio gradu ordinem Patriarcharum, atq; prophetarum; in quarto gradu ordinem Apostolorũ; in quinto gradu ordinem martyrum; in sexto gradũ ordinem confessorum; in septimo gradu ordinẽ virginũ, viduarũ & continentiũ; in octauo gradu, visionem quarumlibet rerum miraculosè apparentium. APOLLONIVS: Quali modo, siue in qualibus formis cælestes spiritus, vtrum sint angeli, seu humani, mortalibus se videndos exhibeant, magis exemplis, quàm sententijs scire desidero, præmissa tamen prius visione Dei ac Saluatoris Domini nostri Iesu Christi. CAESARIVS: Inuoca mecum Spiritum sanctum, qui ab ipso procedit, de cuius etiam apparitione mirabili aliquid dicere propono, vt quod postulas, dignè valeant adimplere. Licet indiuisa sint opera sanctæ Trinitatis, & Patri Filius, atque vtrique Spiritus sanctus credatur consubstantialis, nunquam tamen in subiecta creatura Pater mortalibus apparuisse reperitur, quod de filio, & spiritu sancto, dici non potest: duas siquidem in CHRISTI persona naturas confitemur, diuinam & humanam; secundum illam, lucem habitat inaccessibilem, in qua nemo eum vidit vnquam. Secundum istam, humanam scilicet, in terris est visus, & cum hominibus conuersatus: visus est enim ante legem, & sub lege à patribus scilicet in aliqua subiecta creatura, visus est tempore gratiæ in humana natura: & licet semel

Tertul. adversus Iudaos ca. 9.

1. Tim. 6.

1. Ioan. 4.

semel ex Virgine sit natus, nutritus, ac lactatus, semel à Magis adoratus, & in templo præsentatus, passus, & à mortuis suscitatus, ascenditq; in cælum, attamen vsque ad diem iudicij, eadem sacramenta mirabiliter quodam modo renouare non desinit, secundum prædicta visionum genera suis dilectis & electis, nunc in infantia & pueritia, nunc in adolescentia & iuuentute, suam præsentiam exhibens, sicut sequentia declarabunt exempla.

CAPVT II.

Apparitio Christi nascentis.

SAcerdos quidam de domo nostra, dum de sacramento incarnationis CHRISTI plurima cogitaret, nocte quadam per visum, in natiuitate eiusdem, raptus est in diuersorium, in quo dum audiret quia virgo esset paritura, respondit; Christus semel natus est, denuo nasci non poterit; si virgo hæc paritura est, aliquis propheta magnus de eo nascetur, non Christus. Vix verba finierat, & ecce illa sine omni dolore peperit filium, pannisque inuolutum, monacho porrigebat; quē ille inter brachia sua colligens, ac deosculans, mysterium intellexit, & motu dulcedinis illius euigilans, præmissas cogitationes, tam iocunda visione remuneratas minimè dubitauit. Ecce visio hæc spiritualis fuit, sed in somnis facta. Aliam huic subiungam visionem, quam discernere non possum, vtrum in somnis, siue per mentis excessum contigerit, propter diuersorum relationem.

CAPVT III.

** al. Bergh. forte, monte S. VValburgi.*

DOminus venerabilem Christianam virginem, cuius in precedentibus memoria habita est, in * Burgis sanctimonialem, visione suæ natiuitatis lætificare volens, tempore quodam ei cum matre & Ioseph apparuit, pannis inuolutus, & in præsepio reclinatus erant ijdem panniculi lanei & albi, à pannis sororum nihil differentes, fascia verò, qua membra eius ligata erant, grisei coloris videbatur. Vides quanta humilitas, quanta pietas in Dei filio? pannos suos, pannis ordinis cōformare dignatus est, vt amplius illa de suscepto habitu gratularetur. Simile habes in superiori distinctione capitulo 16. vbi domino Christiano de Claustro, moriēti, in cuculla cum matre apparuit.

APOLLONIVS: Quod genus visionis videtur tibi præcellere, illud scilicet quod fit in somnis, siue quod fit in excessu mentis? CAESARIVS: Vt plenius de hac quæstione te expedire valeam, diuersas somniorum causas tibi distinguam.

CAPVT IIII.

Vtrum visio quæ in somnis, an quæ in excessu mentis fit, sit excellentior.

SOmnium quandoque fit ex reliquijs cogitationum & curis; quandoque ex crapula; quandoq; ex inatione ventris; quandoque ex illusione & fantastica imaginatione inimici, sine præcedente cogitatione; quandoque ex præmissa cogitatione, illusione secuta; quandoque per reuelationem Spiritus sancti: quę multis modis fit, & hoc genus somnij est dignissimum: nec tamen minus, imò magis meritorium est, si cogitatio sancta præcesserit. Igitur quocunque modo visio fiat nocturna, meo iudicio illa, quæ fit per mētis excessum, antefertur, quia certior, quia rarior, quia iocundior. Prior visio quando de cœlestibus est, propriè dicitur reuelatio; secunda contemplatio: in vtraque homo moritur exterior, & viget interior: illa est infra rationem, & ideo habet meritum; ista supra rationem, vnde magis pertinere videtur ad præmium. Quando mens per contemplationem in Deum vadit, sensus rationis deficit: hinc est quod in ortu Beniamin Rachel moritur; Rachel, quæ interpretatur

Genē. 35.

tatur visus principium, designat rationem; Beniamin, cuius interpretatio est, filius dexteræ, cõtemplationem: Rachel verò in natiuitate Beniamin moritur, cùm de ratione cælestium, contemplatio nascitur. Quantæ sit infirmitatis sensus rationis, mens intra se experitur; quod si verum non esset, Apostolus excessum suum manifestans non diceret; Siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit. APOLLONIVS: Licèt visio spiritualis dignior sit corporali, magis tamen me delectat audire exempla de ista, quia cœlestes spiritus, sine, quod maius est, ipsum creatorem spirituum oculis corporeis posse videre, omnibus visionibus antepono. CAESARIVS: Visionem nunc tibi referam, de qua iudicare debes, vtrum spiritualis sit, an corporalis, est autem de natiuitate Christi.

2. Cor. 12.

CAPVT V.

Alia visio de Christi natiuitate.

IN Claustro monachus quidam in magna erat deuotione, & videbatur bonam Dei manum super se habere: erat quippe in opere manuum strenuus, in oratione & psalmodia deuotus, potés ad vigilandum, & feruens ad quodlibet iniũctum: cumque tam bonum circa festum omnium sanctorum habuisset spiritum, eiusque nullum, aut modicum, per plures dies sensisset detrimentum, cœpit, non tam audacter, quam reuerenter à Domino precibus exigere, vt eum in festo suæ sanctissimæ natiuitatis, qualicunque consolaretur visitatione. Aderat iam vigilia natiuitatis Dominicæ, & ille necdum tepuerat à deuotione, nec à supradicta defecerat intentione, præsumens & præsagiens aliquid de diuina dignatione. De nocte autem vbi surrectum est ad matutinas, tantus torpor inuasit corpus eius, & animam eius, vt etiam tæderet eum

uiuere: intrauit tamen chorum cum alijs, nil psallere valens, aut volens, dulcissimam illam solemnitatem ex toto, vt sibi videbatur, amissurus, à desiderio suo frustratus. Accessit verò ad eum alius monachus, inuens ei vt pro ipso responsorium decimum candare debuisset: ait ille, non infirmitate præpeditus, sed desidia deuictus, signum refutabat. Sic ergo felices illas vigilias, & solenne gaudium, infelici torpore transigebat; quippe quem nec psallere, nec ad responsoria surgere libebat: in decima lectione sedebat, sibi vigilans quidem, sed clausis oculis, & cogitabat suas molestias in amaritudine animi sui, dicebatque sibi, secum ratiocinando; Ecce sic, & sic habuisti; hæc & hæc petisti, vbi nunc est illa deuotio, vbi spes illa, & pia de diuina pietate præsumptio? quid nunc agitur tecum? & adiecit; Petieras vt aliqua tibi reuelatio fieret, & si modò fieret, quid potissimum videre eligeres? vtique Dominum Christum, vel dulcissimam eius matrem, aut certè ambos simul. Cumque his & huiusmodi cogitationibus occupatus sederet vigilans, vt supradictum est, sed clausis oculis, lector dixit; Tu autem Domine &c. & cantor surgens, subiunxit responsorium; Benedictus qui venit in nomine Domini &c. Et ecce astitit ante illum torpentem monachum matrona quædam reuerendi vultus, & incomparabilis pulchritudinis, habens in brachio infantulum adeo paruulum, quasi recenter natum, inuolutum fasciolis vilibus valde & abiectis, in tantum, vt etiam super vilitate earum ille compassionem conciperet: stabat autem quasi retro ipsam senex amictus pallio, indutus tunica; & pileus non acuminatus super caput eius, quæ omnia videbantur esse de lana alba & munda, vultum tamen senis videre non potuit situ pilei impediente. Vidit etiam fusum cum

licio pendere à latere matronæ, sed colum vidisse se non meminit. Vidit, & quia clarius videre voluit, quàm vidit, nihil vidit; aperuit enim carnales oculos, & gloriosam illam visionem perdidit: & intellexit, quòd beata Virgo fuisset illa matrona, infans Christus, & senex Ioseph: & recepit in illa hora spiritum suũ bonum, & reliquum sanctæ solennitatis transegit in gaudio magno. Anno gratiæ M. CC. XIIII. facta est visio hæc. APOLLONIVS: Quia genus huius visionis discernere non valeo, ad tuum illud examen transmitto. CAESARIVS: Expertorum esset talia definire: quod si dixero visionem istam fuisse spiritualem, obijcitur quod nõ sit in somnis facta, quia monachus tunc vigilauit: neque in extasi, quia sensuum exteriorum eo tempore bene compos fuit: item si iudicauero illam corporalem, respondes, quod oculis corporalibus clausis, corporaliter videre non potuit. Quid ergo? Audi de hoc meam opinionem, non assertionem: quantum ex alijs visionibus colligo, corporalem illam iudico, quia lucidum Christi aspectum, ciuiumque cœlestium tam subtilis palpebrarũ prohibere nõ potest paries. Hinc est quod inclusa quędam, cùm à sathana sub specie angeli illuderetur frequentius, & hoc cuidam sacerdoti literato confessa fuisset, dolos illius non intelligens; respondit ille; Cùm denuò tibi apparuerit, oculos claude; si angelus fuerit Domini bonus, non minus eum videbis: si verò malus, illum ita videre non poteris. Quod verum esse didicit experimento.

CAPVT VI.

ALteri cuidam sacerdoti supradictæ domus, tunc Priori existenti, Dominus sub alio typo natiuitatis suæ mysterium ostendit. Cùm in quarta dominica Aduentus cantor respõsorium Intuemini quantus sit iste, qui ingreditur ad saluãdas gentes, inciperet, & pars conuentus ad librum stans, incœptum perficeret, in choro Abbatis super formam, cui cantantes innitebantur, circulum lucidum vidit, & in circulo stellam clarissimam radiãtem: & mox intellexit, sicut intelligere debuit, quod stella eadem designaret Christum; Circulus verò lucidus, orbem terrarum illius aduentu illuminatũ. Se stellam esse testatur in Apocalypsi, dicens; Ego sum radix & genus Dauid, stella splendida & matutina. Et in sancto Euangelio se appellat lucem mundi. Hæc de Christi natiuitate dicta tibi sufficiant, sciasq; me hanc visionem ab eius ore audiuisse, qui eam videre meruit. Porrò quàm gloriosa visio cuidam sacerdotum nostrorum in Christi natiuitate de Christo sit ostensa, audies in distinctione sequenti. APOLLONIVS: Precor vt gradatim ascendas, de festiuitate ad festiuitatem, & de infantia ad iuuentutem nostri Saluatoris. CAESARIVS: Sic faciam, visiones, quas in illis, & de illis factas noui, tibi recitando.

Apoca 22.

Ioan. 8.

CAPVT VII.

VIrgo quædam circa hoc triennium defuncta est, Richmundis nomine, habitu secularis, sed vita religiosa valdè, ac spiritualis, ieiunijs & obsecrationib⁹ semper vacabat, mẽte sępissimè excedẽs, ita vt cœli secretis interesset, & cœli regem cum cœli ciuibus frequentius videret. In quadam solennitate Epiphaniarum, cùm in monte sanctæ VValburgis interesset matutinis, & Abbatissa inchoasset Responsorium duodecimum, scilicet, In columbæ specie; illa vigilans, & orans, in excessu facta, Christum infantem, pannis inuolutum, & in præsepio positum, coram se vidit, & circa

Christus infans apparet.

circa illum quasi thronum aëreum, ad similitudinem iris, eratque ex vtraque parte eius, multitudo angelorum, manibus extensis eum adorantes, & oculorum suorum acies, in illum indeclinabiliter defigentes: nec mirum, ipse est speciosus ille forma præ filijs hominum, in quem, teste Apostolo, angeli concupiscunt prospicere. Cumque ventum fuisset ad locum illum, Paterna vox audita est, non conuentum illa beata, in qua tunc temporis sensus exteriores defecerant, sed Patrem audiuit dicentem; Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Erat autem Dei Filius & hominis, tanti decoris, & vox Patris tanti dulcoris, vt exprimere mihi non sufficeret. Requisita etiam à me, quales essent effigies angelorum, respōdit; Staturas habent humanas, facies virginibus simillimas, genas ad instar rosarum rubentes, & reliquis membris intectis niue candidiores. Alias etiam adhuc retulit visiones, quas locis competentibus replicabo. De festo verò Purificationis, habes in distinctione superiori cap. 20. visionem mirificā virginis de Quidone. APOLLONIVS: Puto huiusmodi reuelationes, quandoque ex affectu orationis obtineri. CAESARIVS: Hoc certissimum est.

Psalm. 44.

1. Pet. 1.

Matt. 3.

CAPVT VIII.

Christus triennis apparet.

IN Francia virgo quædam CHRISTVM in ætate trium annorum, quando iam loqui per naturam poterat, videre desiderās, hoc vt fieret precibus instabat: erat enim tam perfectæ vitæ, vt non immeritò talia præsumeret, & exaudiri speraret. Die quadam cùm dicta missa, ipsa, populo omni egresso, sola in ecclesia moram faceret, & oraret, infantem quasi triennem circa altare deambulantem conspexit, putans à matre illum ibidem neglectum. Erat autem speciosissimus, & tantæ gratiæ vultus

vultus eius, vt in illius aspectu delectata ad se vocaret & manibus demulceret, sic dicens; Dic mihi bone puerule, vbi est mater tua? Qui dum ei nihil responderet, æstimans illa, vtpote infantem, eum nondum posse fari, subiunxit; Nosti dicere Pater noster tuum? Ad quod dum non responderet vt prius, adiecit; Dic post me, Aue Maria gratia plena, Dominus tecum &c. Et dixit post eam infantulus eadem verba, tam hilariter, & tam distinctè, vt illa miraretur: similiter factum est de clausula secunda, scilicet, Benedicta tu in mulieribus: cùm verò ei p̄diceret; Et benedictus fructus vētris tui, totius humilitatis magister, sua inspiratione sciēs scriptum; Non te laudet os tuum, sed alienum, eandem clausulam dicere noluit, sed mox, illa intuente, per ostensam formam cœlos penetrauit. Tunc primùm virgo venerabilis se exauditam intelligens, gratias egit Christo, qui tam celeriter impleuit desiderium suum ex semetipso. Ipse reuera Dominus Iesus est fructus ille benedictus, de quo Isaias cecinit; Et erit fructus terræ sublimis, fructus terræ, filius Mariæ; Benedixisti, inquit psalmista, Domine terram tuā. Non poterit gignere terra benedicta, nisi fructum benedictum. APOLLONIVS: Dignum mihi nota videtur, quod Dominus orationem proprio ore editā recitare renuit, & in verba, quibus matrem beatificare videbatur, mox erupit. CAESARIVS: Exemplum nobis dedit, vt & ita faciamus. Sermonem iam in longum protraximus, tam in præsenti distinctione, quàm in præcedentibus de apparitione infantiæ Saluatoris. Vis nunc aliquas audire ex illis visionibus, quibus se ostendere dignatur suis amicis in ætate perfecta? APOLLONIVS: Volo & desidero, & maximè tamen de illius passione. CAESARIVS: Bene moueris; passio enim Dominica proxima

Prouer. 27.

Isaiæ 4.

Psal. 84.

xima est solennitas post Purificationem, ipsa est festũ propitiationis, per ipsam tartarus est destructus, paradisus apertus, captiuitas captiuata, mors euacuata. Passio Domini omnium tribulationum humanarum est antidotum; contritionem excitat, lacrymas producit, tentationes compescit.

CAPVT IX.

Christum patiens apparet.

PRædicta Richmundis tempore quodam, vt puto Dominicę passionis, cùm de ipsa meditãdo valde contereretur, mente excedens, mox per spiritum in domum quandam amplam, & hyemalem rapta est, in qua Saluatorem stantem vidit nudipedem, & quasi captiuum, & circa illum multitudinem Iudæorum: stabat enim demisso vultu, sola tunica indutus atque discinctus, manibus etiam demissis: tunica eius, flauum videbatur habere colorem, &, sicut ipsa mihi retulit, in diuersis angulis domus, deni, ac duodeni, ad instar ciconiarũ congregati susurrabant, de morte illius tractantes. Erat aũt domus summi pontificis, in qua acta sunt secundum historiam, quæ huic ancillæ Dei ostensa sunt spiritualiter. Quantum huiusmodi visiones mentes religiosas compungant, visio sequens ostendit, quæ corporalis est.

CAPVT X.

NVper virgo quædam religiosa, licet adhuc in habitu seculari posita, Suppriori nostro Gerlaco cum multis lacrymis retulit, quod Saluatorem in cruce pendentem cruentis vulneribus videre soleat: nec minus, ait, illum video, si passione & dolore vrgente, oculos clausero. Ecce hic habes euidens argumentum, quod visio illa, de qua dictum est superius capitulo quinto, fuerit corporalis: fœmina verò iam dicta, ex eisdem visionibus tantùm profecit, vt de Domini passione, neque cogitare, neque loqui possit sine lacrymis & contritione. Quod autem de eadem beatissima passione quasi de fonte torrentes lacrymarum deriuentur, sermo sequens declarat: Lacryma quia citò siccatur, torrenti comparatur.

CAPVT XI.

IN Claustro sacerdos quidam ante annos paucos defunctus est, homo simplex & illiteratus, Daniel nomine, vitæ satis duræ; orationibus & ieiunijs infatigabiliter operam dabat, omnes pitancias sibi appositas recusabat. Hic cum vice quadam piscem sibi ab Abbate missum refutasset, sequenti nocte in choro diabolum prope se vidit assistere, & piscem, quem ipse despexerat manducare; pro qua inobedientia corporaliter quidem satisfecit, sed non plenè ab obstinatione recessit. Positus verò in agone, sensibusque iam vniuersis præmortuus, sola in oratione labia mouebat, & vox penitus non audiebatur, & sic vltimum in psallendo spiritum reddidit. Iste Daniel multas reuelationes habuit, multa vidit, sed pauca innotuit; confessus est tamẽ tribus vicibus sibi dominum apparuisse; prima vice in cruce ante gradũ presbyterij; secunda in candidis vestib' ante maius altare; tertia in ignea forma desuper altare: cui cùm Saluator diceret; (puto quod in prima fuerit apparitione) Daniel pete à me quod vis, & fiet tibi: ille, respondit; Domine, sufficit mihi gratia tua, nil aliud à te peto, nisi tantùm vt lacrymas habere possim, quotiens passionis tuæ fuero recordatus. Et Dominus; Habeas tibi hanc gratiam. Ab illa hora, sicut audiui, quando de passione Christi cogitare aut loqui cœpit, mox lacrymæ eruperunt: nec mirum, Christus Iesus ipse est silex ille limpidissim', qui aquas inde- Num. 20.

1.Cor.10. indeficientes filijs Israël ministrauit in deserto; Bibebant omnes de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus. APOLLONIVS: Quomodo est intelligendum quod in psalmo legi-
Psalm. 104. tur: Percussit petram, & fluxerunt aquæ, abierunt in sicco flumina? CAESARIVS: Nota est de hoc historia, allegoria satis vsitata: idcirco aliquid tibi dicere volo, quod præsenti visioni congruat, & mentem tuam moraliter ædificet.

CAPVT XII.

PERCVSSIT petram & cæt. secundum sensum tropologicum, id est, moralem intellectum, Moyses, homo est claustralis, quē regis filia, id est, gratia diuina, misericorditer tulit de flumine vitæ secularis: interpretatur enim Moyses, sumptus ex aqua. Petra, cordis est duritia; virga, crux Dominica; percussio, passionis Christi recordatio; petræ scisgio, cordis est compunctio. Bis Moyses, vt legitur, percussit silicem, & tunc primùm profudit aquam: primus ictus pertinet ad passionis Christi memoriam, secundus ad passi compassionem. Iudæus, silicem semel percutit, quia Christum passum quandoque cogitat, sed non compatitur, & ideo cor eius scindi non potest ad lacrymas, quibus abluat sua peccata: tu verò, si cogitationi compassionem addideris, petram bis percutis, & vix esse poterit, quin cor tuum scindatur ad compunctionem, & flumina lacrymarum inde erumpentia per oculos exeant, atque per maxillas decurrentia, quasi in sicco, flumina etiam impetu suo terram infundant. APOLLONIVS: Placet quod dicis. CAESARIVS: Quod Christi passio, medicina sit contra tentationes, dicam tibi exempla.

CAP.

CAPVT XIII.

FVerat in prædicto Claustro, quod alio nomine Hemmenrode dicitur, iuuenis quidam bonæ indolis, & laudabilis admodum conuersationis, Petrus nomine, de Confluentia oriundus, cui creberrimas Dominus Deus fecit consolationes; quædam ex his quæ dicturus sum de illo, superius tibi recitaui, quæ idcirco replicare dignum duxi, quia postea eadem plenius & verius à quodam eius confratre familiarissimo cognoui. Nam audiuit aliquoties voces psallētium in sublimi. Quadam etiam vice, cùm ministraturus domino Carolo Abbati quondam Vilariensi, confessionem dixisset, & absolutionem de more deuotius acciperet, audiuit vocem de cœlo dicentem sibi; Dimissa sunt omnia peccata tua. Alio etiam tempore, cùm Sacristę missam celebraturo ipse astaret, & lampas extincta fuisset, lumen aliunde afferre volens, sed angustia temporis præoccupatus non valens, flatu lampadem reaccendit. Sanè huic iuueni studium erat, semel in die ad minùs reuoluere & recitare sibi sanctissima & dulcissima passionis Christi improperia, gratiarum spiritualium efficacissima incitamenta: in quo studio tantam per dimidium circiter annum difficultatem passus est, vt, quasi non sibi valerent huiusmodi meditationes, arbitrari debuisset: tandem cùm perstitisset pulsans, & illatas sibi iniurias & difficultates indefessus effregisset, secreta illa Christi violenter intrauit, ac deinceps sine difficultate, & quasi ad manū paratis quotidie epistolis, meditationibus illis suauissimis, cum magna iocunditate vsus est; in canone quoque non magnopere curabat orare, sed de passione Christi meditabatur. Habebat item in desiderio, & tam humiliter quàm vehementer, optabat

Christi passio medicina est contra tentationes.

cabat reuelari sibi diuinitus aliqua imagine vultum Saluatoris, vt cùm meditari debuisset, ad eundem vultum quasi conspectum & bene cognitum, facilius intuitum mentis imaginariè dirigere posset: & Dominus, qui hoc ei inspirauit desiderium, non fraudauit eum à desiderio suo. Laborabat ergo mirabili, ac multiplici luxuriantis carnis molestia, diabolo interitum, sed Domino profectum ei de tentationibus ordinante: vnde cum quodam tempore in angulo chori Conuersorum diutius & deuotius orationi incubuisset, diuinum implorâs auxilium, ne sineretur labi in peccatum, post horam surrexit & recessit; siquidem in memoriam ei venit, quod aliud quid agere habebat ex pręcepto. Ascendens ergo per stalla, transitum habuit per ante altare infirmorum & Cõuersorum: quò cum peruenisset, veniam celeriter accepturus coram altari, & abscessurus, sub lampade se humiliauit, & ecce ibi Dominus Iesus stans ante eũ, vel potius quasi pendens in cruce; qui pijssima brachia sua abstrahens à cruce, seruum suum amplexatus est, & tanquam præcordialem sibi, in signum mutuæ familiaritatis, eum ad pectus suum attrahendo strinxit, tentationesque illius validissimas stringẽdo compescuit. Sanè cùm terræ procumberet, optimè sui compos erat, sed felici illa visione, ita à sensu suo abstractus, & ita dulciter affectus est, vt non plenè scire potuerit, vtrum corporeis occulis, an solo spiritu reuelationem illam recepisset. Attamen cùm multas, tam ante, quàm postea consolationes acceperit, hoc tamen fatetur, quod ista supergressa est vniuersas: tantam siquidem acceperat gratiam lacrymarum à Domino, vt infra matutinas, vix aliqua hora oculi eius siccarentur. Huius rei testis sum ego, qui iuxta illum ad psalmodiam stabam aliquanto tempore: ita enim feruebat in Christi

Christi passione, vt spe martyrij Theodericum episcopũ Liuoniæ sequeretur sine Abbatis sui permissione. Acceperat ille auctoritatem à domino Papa Innocentio, secum ducere omnes, qui ire vellent, ad propagandum vineam Domini sabaoth populo barbaro. Adhuc vt dicunt viuit, & ex præcepto Abbatis sui paroeciam in Liuonia regit, vbi prædicat & baptisat, multosque tam verbo, quàm exemplo ædificat, & in fide confirmat.

CAPVT XIIII.

IN supradicto Claustro, alius quidam frater magnam longamq; tentationem habuerat, dicẽtibus cogitationibus suis, vt heremita fieret: adeò hac tentatione deuictus fuit, vt aliqua etiam loca perlustrauerit, explorans aptum sibi habitaculum. Tandem conuersus ad beatam Virginem, ei se totum commisit, ipsam sibi ipsi pro se fide iussorem constituens, quod quicquid ipsa suggessisset, hoc ille sine cunctatione aggrederetur: cumque ad beatam Virginem sub hac conditione sæpius recurreret, quadam vice oranti ei coram altari, vox insonuit dicens; Fideiussorem me contulisti, ego me absoluere volo. Ille verò erigens se, vidit virũ venerandi habitus ante altare assistere, crucem in manu tenere, crucifixi sancta quinque vulnera digito superinducere, & sic videnti dicere; Sic omnis qui ordinem istum, quem professus es, seruauerit, Dominum nostrum perungit, sicut me vides facere: & sic ille à tentatione sua liberatus est.

CAPVT XV.

BEatæ memoriæ Christinæ de Volmunsteine cuius supra memini, etiã crucifixus apparuit, & homo senex iuxta eum, qui ex pixide, quam in manu habebat, perungebat vulnera illius. Genus tamen visionis discernere non valeo.

CAPVT

CAPVT XVI.

ALteri cuidam sanctimoniali ordinis nostri, quam nominare nolo, tempore quodam, cũ esset grauissimè tentata, Dominus Iesus Christus totius ecclesiæ sponsus, visibiliter apparens, amplexatus est eam, & omnem illius turbationem, in magnam conuertit tranquillitatem. Ecce his omnibus exemplis habes, quod visio dominicæ passionis, nec non & meditatio, atque compassio, maximum contra tentationes sit antidotum. Sunt & in illa multiplices consolationes, sicut subiecta declarabunt testimonia.

CAPVT XVII.

Ex Christi passione, multæ manant consolationes.

DVo Conuersi in Hemmenrode, in quadam grangia eiusdem domus, quodam tempore manebant: stabant autem simul vice quadam & hora completorij, Deo suæ seruitutis pensum persoluebant: dicto completorio, respiciens vnus ad cœlum vidit in sublimi crucem splendidam, & in ea Dominum crucifixum. Erat autem crux illa adeò splendida, vt ab ipso splendore sese inuicem contuerentur clarissimè; nam alias tenebræ erant super faciem terræ, erat enim hyemis tempus. Et quia loqui non licebat, signum fecit alteri, quasi interrogans, si aliquid videret? at ille nihil se videre signauit; Tunc ipse signum illi fecit, vt genua flecteret & oraret: quod cùm fecissent ambo simul, erectus post pusillum, tantæ visionis factus est socius & testis. Ambo adhuc, vt puto, viuunt, nec licet prodere nomina illorum. APOLLONIVS: Quæ tibi videtur causa fuisse tantæ visionis Conuersorum eorundem, meritum, an culpa? CAESARIVS: Si propter eos visio eadem facta est, alterum videtur causa fuisse, bona videlicet vita; vel culpa

culpa aliqua, siue vtrumque. Hoc vtrum esse, vel posse esse verum, visio subsequens declarabit.

CAPVT XVIII.

IN Lucka domo ordinis nostri, cuius in superiori distinctione memini ca. 24. Conuersus quidam est, sicut ab Adam, eiusdem domus monacho didici, vir bonus & disciplinatus; Rodolphus nomine, cui diuinitus multa reuelantur. Hic cùm nocte quadam, dictis matutinis, ante lucem sub diuo staret, & orationes aliquas diceret, Christum in aëre cruce affixum pendere vidit, & circa eum xv. homines, singulos in singulis crucibus: ex quibus decem erant monachi, & quinque Conuersi, omnes ei bene noti, vtpote cõgregationis suæ professi: ita aër fuerat illuminatus ex Christi præsentia, vt singulos plenè discerneret. Cumque stupefactus staret, ob tam mirabilem visionem; Dominus de cruce clamauit; Nosti Rudolphe, qui sint hi, quos circa me vides crucifixos? Respondente Conuerso; Noui Domine qui sint; sed quid sit quid video, prorsus non intelligo: subiunxit Dominus; Hi soli ex omni congregatione mecum crucifixi sunt, meæ passioni vitam suam conformantes. APOLLONIVS: In quo se illi conformauerunt? CAESARIVS: Vtique in obedientia, in patientia, in humilitate, in abrenuntiatione totius proprietatis, propriæque voluntatis: hæc, & his similia, monachos martyres faciunt, in quorum persona per psalmistam dicitur: Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Ecce crux, de qua in Euangelio dicit ipse crucifixus: Qui non tollit crucem suam quotidie, & sequitur me, non est me dignus. Non dicit semel, sicut Petrus; sed quotidie, sicut Antonius. Sicut didici nuper à prædicto monacho, omnes illi

Psal. 43.

Matth. 10. Luca 9.

illi quindecim adhuc viuunt, excepto vno, qui iam dormiuit in Domino. APOLLONIVS: Nemo claustralium visionem hanc ignorare deberet. CAESARIVS: Verum dicis, quia multi putant se esse monachos, & non sunt, ore & non vita, dicentes cum Apostolo: Mihi autē absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. APOLLONIVS: Dic quæso quomodo sit nobis intelligendum, quod idē Apostolus dicit, Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs? CAESARIVS: Secundum præcedentia, videtur sic intelligendum.

Gala. 6.

Gala. 5.

CAPVT XIX.

APostolus enumeratis operibus carnis, cùm exposuisset fructus spiritus, subiunxit, Qui autem sunt Christi &c. Duplex est religiosorum crucifixio, hominis interioris per alienam compassionem; & hominis exterioris per propriā carnis mortificationem. Crux dicitur à cruciatu: crux monachorum, rigor ordinis est, tum propter vigilias & orationes, tum propter ieiunia & castigationes, tum propter silentium & opera manuū, tum propter carnis continentiam & vestimentorum stratiqúe duritiam. Qui autem sunt Christi? qui cum Apostolo dicere possunt, Christo confixi sumus cruci: Carnem suam crucifixerunt, id est, cruci affixerunt, cum vitijs operum, & concupiscentijs desideriorum pugnantes: nec ponuntur illi duo genitiui plurales instrumētaliter, sed passiuè, eò quod per virtutes, in carnis maceratione mortificentur. Tres claui, quibus corpus monachi cruci debet esset affixum, tres sunt virtutes, per quas teste Hieronymo martyres efficiuntur, scilicet, obedientia, patientia, humilitas: manum monachi dextram.

Gala. 2.

dextram, configat obedientia sine murmuratione; sinistram patientia sine simulatione. clauum obedientiæ, impellat amor supernæ libertatis; clauum patientiæ, timor pœnę gehennalis. Pedes illius vera humilitas configat, vt non solùm prælatis, sed & fratribus se propter Christum subijciat, vt dicere possit cum Psalmista; Humiliatus sum vsque quaque Domine. Et in alio loco; Imposuisti homines super capita nostra. Duo pedes, duplex est superbia, mentis scilicet & corporis: & licet superbia caput sit omnium vitiorum, non tamen incongruè per pedes, qui infimæ sunt partes corporis, quandoque designatur: quod enim valdè odimus & despicimus, hoc pedibus conculcamus: vnde Iosue filijs Israel; vt colla regum calcarent, præcepit. APOLLONIVS: Satis mihi placet quod dicis, nunc residuas Dominicæ passionis visiones explana. CAESARIVS: Quod Dominus suam passionem nunc ad consolationem, nunc ad correptionem iustus ostendat, præsto est exemplum.

Psal. 118.

Psal 65.

Iosue 10.

CAPVT XX.

COnuersus quidam apud nos ante annos aliquot defunctus est, vir bonus ac timoratus, nomine Conradus; ipse est, qui vidit in dorso fratris Vvilhelmi serpentem, cùm in choro dormiret, sicut dictum est in distinctione quarta cap. 32. Hic tempore quodam, cùm in domo nostra Dollindorp, cui præerat, solus esset, & magnum cordis sui defectum sentiret, ait intra se; Och miser, debes sic mori sine homine? Vix verba finierat, & in extasim ruens, ecce Saluatorem coram se in cruce pendentem vidit, qui ait; Conrade vides quāta propter te sustinuerim? Moxque post verba consolationis, adiunxit; Omnia opera tua bene placent mihi, vno tamen excepto. Quibus dictis, Conuersus ex visione tam

Christus passus interdū ad consolationem aliquando ad correptionē apparet.

tam salutifera confortatus, ad se redijt, & cùm oculos aperiret, vt eum, quem spiritu viderat cerneret, visio disparuit. Requisitus à fratre Richardo Conuerso religioso, cum ei recitasset visionem, si Dominum aliquid interrogasset de eodem opere, respondit; Non, iam dictam prætendens necessitatem. APOLLONIVS: Quid est quod Saluator in viro sancto opus reprehendit, quod tamen ei innotescere noluit? CAESARIVS: Puto quia illum de omnibus suis operibus voluerit esse solicitum, vt dum vnum nesciret, de singulis timeret. Idem ante mortem suam confessus est Abbati nostro, quod voces angelorum nocte quadam audierit in cœlo. Obijt autem in ipsa dulcissima festiuitate assumptionis Dominæ nostræ, ipsius vt spero precibus, cui deuotè seruierat, die tali de terris assumptus in cœlum. Non solùm consolatio est in Christi passione, imò etiam in sacris imaginibus, quæ eandem beatam passionem representant. Nam honorantes illas, Christus honorat, & remunerat, punit indeuotos & negligentes.

CAPVT XXI.

Per imagines paßiones Christi mirabilia fiunt.

TEmporibus nostris in prouincia nostra, sicut audiui, miles quidam alterius cuiusdam militis patrem occiderat: casu accidit, vt occisi filius, occisorem caperet: quem cùm in vltionem patris extracto gladio trucidare vellet, ille pedibus eius prostratus ait; Rogo vos domine per honorem sanctissimæ crucis, in qua Deus pendens misertus est mundo, vt mei miseriamini. Quibus verbis ille compunctus, cùm staret, & quid facere vellet, deliberaret, inualescente misericordia, hominem leuauit & ait; Ecce propter honorem sanctæ crucis, vt mihi, qui in ea passus est, peccata mea indulgeat, non solùm tibi culpam remitto, sed & amicus

amicus ero, dediditq; ei osculum pacis. Non multo post, idem miles cruce signatus mare transiens, cùm ecclesiam dominici sepulchri, alijs peregrinis viris honestis de sua prouincia commixtus, intraret, & ante altare proximum transiret, imago dominici corporis illi satis profùdè inclinauit de cruce. Hoc cùm aliqui ex eis considerassent, nec tamen scirent cui tantum honorem exhibuisset, ex consilio singillatim reuersi sunt, nec tamen alicui eorum inclinatum est, nisi cui prius; tunc causam sciscitantes, cùm ille diceret se indignum esse tanto honore, quæ supra dicta sunt memoriæ occurrerunt; quæ cùm fratribus retulisset, miratisunt de tanta Dei humilitate, scientes imaginis eius inclinationem facta fuisse pro gratiarum actione.

CAPVT XXII.

SOror quædam, ordinis nostri capellam oratorij ingressa, cùm ante altare coram crucifixo psalmos legeret, & cùm tardè esset, custos illam ibi esse nesciens, ostium forinsecus clausit & recessit: quod cùm illa intrinsecus audiret, nec tamẽ pulsare præsumeret, ibidem pernoctauit: &, sicut ab eius ore audiui, radius quidam, ad instar stellæ, de brachio exiens crucifixi, tantum ei luminis præstitit, vt in tenebris, illius beneficio, psalmos suos legeret. Est super idem altare imago virginis lignea, filium tenens in sinu, cumque sanctimonialis tempore quodam coram illa psalterium lectitaret, puerulus inopinatè aduenit, & quasi scire vellet quid illa legeret, in librum respexit & redijt. Est autem eadem venerabilis fœmina laica & vidua, multumque circa ordinem nostrum feruens ac deuota, plurimas habens à Deo consolationes.

CAPVT XXIII.

NOuitius quidam in Hemmenrode, cùm vice quadam in choro ad versiculum sanctæ Trinitatis deuotè inclinaret, crucem fronti suæ imprimi sensit, & puto quod eadem hora cogitauerit de passione. Vocatur autem Hermannus, & adhuc viuit. APOLLONIVS: Puto quod sculptores & pictores sacrarum imaginum, aliquod speciale præmium ex hoc percipiant. CAESARIVS: De hoc dubitare non debes, si tamen magis sit deuotio, quàm auaritia mercedis in causa.

CAPVT XXIIII.

Pingere sacras imagines ex deuotione, meritorium esse.

MOnachus quidam nigri ordinis de episcopatu Moguntinensi ante annos paucos defunctus est, erat autem pictor bonus, & ordini nostro tam deuotus, vt gratis, expensis tantùm receptis, in diuersis domibus, ad diuersa altaria, miri decoris crucifixos depingeret: nam nostros crucifixos ipse penè omnes fecit, nullas à nobis requirens expensas. Volens suo effigiatori ostendere summus ille crucifixus, ad cuius imaginem omnes facti sumus, quantum sibi labor ille sanctissimus placeret, in parasceue, die scilicet in qua passio specialiter repræsentatur, illum, non sine multorum admiratione, de hoc mundo assumere dignatus est: quasi diceret Dominus; Quia circa meam passionem mente & corpore deuotè semper laborasti, de illa cogitando, illamque per picturas alijs exhibendo, ecce in die meæ passionis te de labore ad requiem assumo, in qua non iam mētaliter, vel per picturas figuraliter, sed præsentialiter, id est, facie ad faciem me contemple-

ris. Hæc dicta sunt de eo, quod Dominus eos, qui imagines suæ passionis honorant, rehonoret, & remuneret: nunc tibi ostendam quod negligentes, illarumq; contemptores, puniat & confundat.

CAPVT XXV.

Contemnentes sacras Christi imagines puniti.

COloniæ in ecclesia Sancti Georgij martyris crux metallina est, effigiem habens Saluatoris, per quā multa miracula facta sunt ac sanitates; vnde multa luminaria matronæ ciuitatis corā illa accendere consueuerūt: maxima tamen causa illarum virtutū fuisse creditur, portio dominici ligni, quæ inclusa habebatur, quæ nunc extracta, gemmis & auro circumdata est. Campanarius verò eiusdem ecclesiæ, cum nullam ei reuerentiam exhiberet, sed vadens cubitum, frequenter luminaria inde subtrahens in vsus suos conuerteret, nocte quadam cùm se in lectulum suum inclinasset, & adhuc vigilaret, crux eadem ad eum venit, & eum voce increpationis tam validè tutudit, vt infirmatus, multis diebus sanguinem vomeret. Huius miraculi ego bene recordor, & erat celeberrimum in tota ciuitate, ita vt ab illo tempore in maiori veneratione habita sit eadem crux.

CAPVT XXVI.

IN * comicia de monte, ante non multos annos, inter duas cognationes militum tam graues inimicitiæ ortæ sunt, vt se inuicem caperent & occiderent: die quadam cùm plures vnius partis conuenissent in ecclesia villæ, quæ VVestupe dicitur, aduersæ parti per vetulam proditi sunt: dederat enim signum dicens; Quotiens intrauerint, totiens nolam traham. Quod cùm fecisset, eccle-

*al. Cōmitatu.

ſiam cum multitudinem ingreſſi, armati ſuper inermes irruerunt: quo viſo, illi arreptis ſacris imaginibus, gladijs oppoſuerunt, ſperãtes ſibi illarum beneficio parci debere. Percuſſores verò nullum loco exhibentes honorem, nullam ſacris imaginibus reuerentiam, ita hoſtium cruorem ſitiebant, vt imagines oppoſitas mutilarent, ipſiſque crucifixo brachia præſcinderent, & circiter octo milites trucidarent in Eccleſia. Quod ſacrilegium durè ſatis vindicatum eſt: nam infra breue tempus, ab occiſorum conſanguineis, occidentium numeroſa multitudo ſic gladio deleta eſt, vt vix duo ſupereſſent: vetula verò, quæ illos prodiderat, tempore meſſis nimio calore aëris ſuffocata eſt. Et quid dicam de malis Chriſtianis? cùm apud Damiatam Saraceni Chriſtum ignorantes, ob iniuriam imaginis eius grauiter ſint puniti.

CAPVT XXVII.

CVm in obſidione Damiatæ maxima pars exercitus Domini Saracenis occurriſſet, neſcio quo Dei iudicio, infideles fidelibus ſuperiores effecti, eos in fugam verterunt, multos ex eis occidentes, & plurimos captiuos abducẽtes. Quod vt cognouerunt in ciuitate obſeſſi, in tantam lætitiam reſoluti ſunt, vt in confuſionem fidei noſtræ, laqueum collo crucifixi inijcerent, ſicque ſacram illam imaginem, alijs additis iniurijs, per omnes plateas ciuitatis traherent, cum multa vociferatione & plauſu manuum, victoriam Deo ſuo adſcribentes. Chriſtus verò, qui mortuus, & quaſi nullius valoris videbatur, in tã execrabili culpa, poſt breue tempus valdè terribiliter reuiuiſcere cœpit in vindicta. Nam Damiatanos, vt pœna concordaret illatæ iniuriæ, vlceribus percuſſit in gut-

gutture, ſic vt etiam cibaria non poſſent glutire; paulo poſt, ciuitatem ipſam inexpugnabilem eis abſtulit ſua virtute, ita vt nec vnus in eius vaſtatione caderet Chriſtianus. Alia adhuc plura miracula de ſacris imaginibus tibi dicere poſſem, ſed vſque ad decimam diſtinctionem illa reſeruabo. Hoc etiam ſcias, quod vſque hodie Chriſtus in ſuis membris crucifigatur, nunc à Iudæis, nunc à Saracenis, nunc à falſis Chrſtianis. Vnde per Malahiam conqueritur dicens; Si homo configit Deum, quia vos configitis me. Item, Et me vos configitis gens tota. Chriſtianos noſtris temporibus à Iudæis eſſe crucifixos audiui: à Chriſtianis aliquem ad literam eſſe crucifixum, nondum audiui; quoſdam à Saracenis nuper fuiſſe crucifixos, intellexi. *Mala. 3.*

CAPVT XXVIII.

SVpradicta Diamata, cùm per obſidionem multum eſſet arctata, quidam ex paganis occultè exeuntes de ciuitate, tum vt Chriſtiani fierent, tum vt mortem euaderent, ad noſtros confugere cœperunt, quos Saraceni inſequentes, & comprehendentes, reduxerunt, ſinguliſque crucibus ſingulos appendentes, ad confuſionem Chriſtianorũ ſupra muros omnes ſuſpenderunt. APOLLONIVS. Quid ſentiendum eſt de iſtis? CEASARIVS: Si fidem ſitiebant, & in fide timore pœnarum non nutabant, haud dubium quin martyres ſint. Non ſolùm ab infidelibus Chriſtus martyrizatur, ſed etiam à malis Chriſtianis per pauperum iniurias quotidie configitur, & flagellatur.

CAPVT XXIX.

Christum pati in pauperibus, dum à diuitibus affliguntur.

NON est diu quod quidam pauper, nescio qua impellente necessitate, loqui volens Henrico Duci Louanij, qui adhuc superest, præsentiam illius adire tentauit; cui cùm vnus camerariorum indignatus, scapulis eum impelleret, & passim baculo cederet sine misericordia, Conuersus quidam ordinis nostri hoc vidit & ingemuit, compassus illi etiam vsq; ad lacrymas. Subsequenti nocte Saluator ei in somnis apparens super altare, in gloria magna, ait; Gratias tibi quod heri tãtum mihi compassus es, quando camerarius ducis tam immisericorditer, sine causa, fustigauit me. Ad quam vocem Conuersus euigilans, intellexit quod Christus adhuc in suis membris pateretur. APOLLONIVS: Dic quæso, estne adhuc aliqua alia forma despecta, in qua Christus mortalibus dignetur apparere? CAESARIVS: Etiam; tanta est humilitas in Christo, vt aliquando sub figuris infirmorum, aliquando, quod est amplius, species leprosorum assumens, nobis appareat. Si primum verum non esset, nequaquã diceret in Euangelio; Infirmus fui, & visitastis me. De secundo dicit Isaias; Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo &c. Licèt in dialogo S. Gregorij, & in alijs locis de his plura occurrant exempla; non tamen, quia ita promissum est, tibi dicere licet nisi noua, id est, nostris temporibus gesta.

Matth. 25.
Isai. 53.

CAPVT XXX.

Christus apparet in specie infirmi.

HEnricus Contractus Claræuallis monachus, cuius memini in distinctione prima cap. 16. qui ante paucos annos defunctus est, in eadem

dem domo quandoque infirmarius fuit: hic cùm tempore quodam haberet magnum infirmum, iam morti proximum, & nocte surgens ad signum matutinarum, cum eundem infirmum considerasset, sperans illum posse durare, chorum, ex hoc securior, intrauit; in quo dum sedendo modicũ quid dormitasset, ecce Saluator in figura infirmi adfuit, & super pectus eius se reclinans requieuit. Henricus verò de hoc territus, cum surgere vellet, Dominus eũ compescuit dicens; Bone Henrice, sine me quiescere. Ad quod verbum expergefactus, mox recordatus est infirmi sui, & surgens atque in infirmatorium festinans, illum agonizantem reperit, quem cùm adterram deponere vellet, super pectus eius in modum visionis exspirauit. Quod autem Dominus quandoq; species leprosorum assumat, sequentia declarant exempla.

CAPVT XXXI.

Apparet Christus in specie leprosi.

NObilissimus quidam princeps Theobaldus, Comes Campaniæ, de cuius operibus misericordiæ in * vita Sancti Bernardi Abbatis Claræualliis mira leguntur, tantæ humilitatis erat, vt etiam præsentialiter tuguria leprosorum visitaret: adhuc viuunt, qui illum in carne viderunt. Habebat autem ante quoddã suum castrum leprosum quendam manentem, ante cuius domunculam quotiens eum contigit transire, de equo descendit, & ad illum intrans, postquam pedes eius lauit, eleëmosynam dedit, & abijt. Post breue tempus, idem leprosus Comite ignorante defunctus est, & sepult°. Die quadam Comes iterum via illa transiẽs mox vt ante tuguriũ sibi notũ venit, descẽdit dicẽs; Oportet me visitare patrẽ meũ; intransq;, non leprosum, sed in leprosi forma & habitu contempla-

** l. 2. c. 5. 8. et l. 4. c. 3.*

templatus est Dominum; cui cùm consueta opera misericordiæ impendisset, & tanto deuotius, quanto inspirabatur à visitato fortius, hilaris exiuit: cúque suis dixisset, gaudeo me videre leprosum meũ: responderunt ei quidã; Domine, sciatis eũ pro certo dudum esse defunctum. & in tali loco sepultum. Quod vbi comperit Princeps pijssimus, exultauit in spiritu, eò quod videre, eique ministrare meruerit præsentialiter, quem multo tempore in suis membris veneratus est. Vt autem Dominus IESVS tantam humilitatem tanti Principis etiam in præsenti remuneraret, & vt verba sua vera ostenderet, quæ dixerat: Quicquid vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, se illi exhibere dignatus est. Audi aliam visionem, ista adhuc excellentiorem.

Matth. 25.

CAPVT XXXII.

EO tempore, quo hæresis Albiensium pullulare cœpit, contigisse dicitur quod narro. Erat in regno Francorum Episcopus quidam ætate iuuenis, sed magnæ religionis: nominis eius, siue diœcesis eius non memini. Hic tantę fuit pietatis, misericordiæ, ac humilitatis, vt equitans in via, neminem leprosum sibi occurrentium sine eleemosyna præteriret; sæpe etiam de equo descendit, & petentes præueniens, nummis manibus illorum, tanquam CHRISTI gazaphilacio immissis, atque deosculatis, iterum ascendit & processit. Die quadam, dum per stratam publicam incederet, leprosus quidam secus viam stans in agro, voce rauccissima, vt sui misereretur clamauit, eratq; aspectus eius tam horridus, & quasi à lepra tã corrosus, vt oculꝰ humanus non sine cruciatu illũ inspicere posset: quem vt sanctus episcopus vidit, misericordia motus, mox de equo ruit, & ad illum currens, obtulit eleemosynam. Ad quem leprosus; Non sunt mihi necessarij nummi tui: cui cùm episcopus responderet, Quid ergo vis vt faciam tibi? ille subiũxit; Vt putredinem huius infirmitatis meæ abstergas, digito ostendens carunculam de naribus pendentem, magni horroris atque fœtoris: quam cum vir beatus, Christi amore succensus, manu tergeret, clamauit ille dicens; Cessa, cessa, asperitatem digitorum tuorum tolerare non valeo. Cũque adhiberet partem camisiæ suæ, quæ de panno erat satis subtili, simili clamore prohibitus est. Tũc episcopꝰ; Si pati nõ potes manum, si non pãnum delicatum, vnde vis vt abstergatur? respondit leprosus; Nihil aliud patiar, præter linctionem linguæ tuæ. Mox ad illud verbum lucta non modica oriri cœpit in corde pontificis, inter gratiam & naturã; illa vt fieret volente, ista contradicente; sed gratia Dei cooperante, & naturæ vim faciente, linguam apposuit, & promuscidem elephãtinam linxit. Mira res; mox de naribus eius, qui leprosus videbatur, gemma pretiosissima lapsa est in os episcopi: &, vt ostenderet se esse CHRISTVM, qui ad probandam episcopi virtutem se finxerat leprosum, in oculis eius gloriosè cœlos ascendit, & quia eiusdẽ gloriæ particeps futurꝰ esset episcopꝰ, ascẽdens repromisit. Dominus Geuardus Abbas noster, rediens de capitulo generali, hæc nobis retulit, asserẽs tunc recenter fuisse gesta. APOLLONIVS: Quid est gratia cooperans? CAESARIVS: Duplex est gratia Dei, operans, per quam episcopus tantum bonum voluit; cooperans, per quam illud perfecit. Poterat antistes iste venerabilis meritò dicere cũ Sancto Iacob patriarcha; Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. APOLLONIVS: Magna sunt quæ dicis. CAESARIVS: Vt autẽ

Genes. 32.

Universidad de Deusto Biblioteca

Matt.18. Vt autem non solùm in ore duorum, sed & trium testium, stet omne verbum, addam tertiam visionē duabus his non imparem, sed fortè iudicio tuo, propter opus maiorem.

CAPVT XXXIII.

IN Salzburgensi ecclesia iam à multo tempore religiosi extiterunt episcopi, ex quibus vnus, nescio vtrum huius, qui nunc est, siue eius, qui ante eum fuit prædecessor, infirmorum seu leprosorum lares studiosè etiam quandoque per semetipsum visitauit. Die quadam tuguriolum quoddam intrans, & leprosum, vt ei visum est, hominem in ea lecto decubantem ac gementem repèriens, si aliquid vellet exquisiuit. Cui cùm ille responderet; Corpus CHRISTI desidero; episcopus festinus abijt, & attulit, oriq́ue leprosi, qui valdè horridus videbatur, cum cautela qua potuit immisit. Ille verò ad comprobandam antistitis fidem, antequam masticasset eucharistiam, nauseam simulauit, & cum fœtidissimo vomitu quod sumpserat reiecit. Episcopus verò territus, manibus mēto eius suppositis, eiectas recepit immunditias, quas statim in os mittens sumpsit, ob honorem sacramenti. Postea cùm eundem leprosum visitare vellet, & non inueniret, dictum est ei à circumanentibus, quòd multo tempore in eadem domuncula nullus habitasset leprosus. Et cognouit vir Deo plenus, tum ex testimonio referentium, tum ex gratia ex prædicta sumptione percepta, quia CHRISTVS esset, qui multis modis electorum suorum constantiam probare consueuit. Hæc dicta sunt de Christi persona. Porrò de illius resurrectione atque ascensione nullas intellexi visiones relatu dignas, nisi hanc solam,

solam, si tamen visio dici potest.

CAPVT XXXIIII.

SAcerdos quidam de domo nostra, sicut ipse mihi retulit, cùm anno præterito in sacratissima nocte paschæ staret ad matutinas, finito duodecimo responsorio, & hymno, Tē Deum laudamus incœpto, tantam circa se sensit fragrantiam aromatum, & per tantam moram, vt miraretur quid esset, vel vnde esset: cui cogitationes suæ dicebant; Non est aliunde odor iste aromaticus, nisi ex præsentia sanctarum mulierum, de quibus tota nocte cantatum est; Quia venerunt cum aromatibus vt vngerent IESVM. Marci.16.

CAPVT XXXV.

APOLLONIVS:

CVM resurrectio passione dignior sit, quid est quod tantæ reuelationes habentur de illa, & tam paucæ de ista? CAESARIVS: Primò hoc adscribendum est humilitati Christi, ne videatur iactanter manifestare ea, quæ egit gloriosè, & supprimere illa, quæ pertulit ignominiosè. Deinde quod nullum est sacramentorum, quod tam efficax sit diuini amoris incentiuum, quomodo opprobria passionis. Apostolus dicit se nihil scire, nisi IESVM CHRISTVM, & hunc crucifixum: ergo Christi pasio, eius fuit lectio. O quantum legere desiderabat Iob in libro passionis Christi, quando dicebat; Quis mihi tribuat auditorem, vt desyderium meum audiat omnipotens; & librum scribat ipse qui iudicat; vt in humero meo portem illum, & circundem illum quasi coronam mihi? *Cur pauca fiant reuelationes de Christi resurrectione.* 1.Cor.2. Iob.31.

mihi? Liber vitæ CHRISTVS est, secundum
Apoc. 5. Ioannem septem signaculis signatus, in quo, vt ait Paulus, est salus, vita & resurrectio nostra, quem Apostoli cum magna gloria miraculorum, quasi coronam, portauerunt per vniuersum mundum: quem cùm primò obtulissent scienti literas, id est, Iudæo, & respuisset illum tanquam signatum, obtulerunt illum nescienti literas, scilicet gentili, & cùm illum intelligere
Actor. 8. non posset, exposuerunt ei, sicut Philippus Eunucho. Librum hunc CHRISTVS ipse scripsit, quia propria voluntate passus est: in pelle siquidem corporis eius, scriptæ erant literæ minores & nigræ, per liuidas plagas flagellorum; literæ rubræ & capitales, per infixiones clauorum; puncta & virgulæ, per punctionem spinarum; pellis eadem prius fuerat multiplici persecutione pumicata, colaphis & sputis cretata, arundine lineata. APOLLONIVS: Gaudeo me cum fructu didicisse, quod ignoraui. CAESARIVS: Dicam tibi nunc aliquas visiones Spiritus sancti. APOLLONIVS: Peto vt prius expedias de Spiritu sancto, & sit differentia inter ipsum & spiritum quem Christus in cruce emisit. CAESARIVS: Hoc faciam ipso adiuuante, & hoc quanto compendiosius potero.

CAPVT XXXVI.

De Spiritu Sancto.

SPiritus sanctus Deus est, tertia in Trinitate persona, à Patre Filioque procedens æternaliter, ipsis consubstantialis, eiusdem sapien-
Psal. 32. tiæ atque potentiæ: vnde in Psalmo; Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quod Spiritus sanctus à Pa-
Matt. 10. tre procedat, dicit Filius; Non enim vos estis qui

qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri. Item, Qui à Patre procedit. Quod à Filio procedat, te- Ioan. 15.
stis est Apostolus dicens: Misit Deus Spiritum Gala. 4.
filij sui in corda vestra. Ipse etiam Spiritus san- Ioan. 3.
ctus vbi vult spirat; Sanctus multiplex, vnicus, subtilis, modestus, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suauis, amans bonum actum, qui nihil vetat bene facere, humanus, benignus, stabilis, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus intelligibiles, mundus, subtilis. Cuius varia dona cùm Apostolus enumerasset, sic conclusit; Hæc autem 1. Cor. 12.
omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult. Inter hunc Spiritum sanctum, & eum, quem Christus in manus Patris moriens commendauit, tanta est differentia, quan- Luca 23.
ta inter creaturam & creatorem: nam spiritus ille, anima Christi intelligitur, quæ à corpore eius separata est per mortem, quod de Spiritu sancto dicere nephas est. APOLLONIVS: Sub quibus speciebus Spiritus sanctus solet præsenti- *Spiritus sanctus sub quibus formis soleat apparere.*
am suam mortalibus manifestare? CAESARIVS: Duas tantùm species reperio manifestiores, sub quibus in nouo testamento visus est: in columba visus est super Christum: in lig- Matt. 3.
nis igneis super Apostolos. Nec hoc sine causa, Actor. 2.
septem enim naturales virtutes habet columba, quæ auis est simplicissima, per quas dona Spiritus sancti mysticè designantur. In igne calor est & splendor, & Spiritus sanctus ignit per amorem, illuminat per scientiæ operationem. APOLLONIVS: Petitioni meæ satisfactum fateor per sententias, nunc precor vt si aliqua nostri exempla subiungas. CAESARIVS: Quod nostris temporibus in columba & igne visus sit, verissimis tibi pandam exemplis.

CAP-

CAPVT XXXVII.

Apparitio. nes Spiritus sancti.

DVM dominus Hermannus Abbas esset in Claustro, & in solennitatibus, interim dum chorus, Te Deum laudamus decantaret, circuiret ad fratres commonendos, atque secundùm consuetudinem in chorum Conuersorum diuerteret, Henricus Conuersus, cuius memini in distinctione quinta cap. 5. vidit columbam candidam de cruce, quæ erat super altare Conuersorum, in verticem ipsius descendentem, vbi multum quietè sedebat, donec circuitis vniuersis, de choro exiret: tunc euolans reuersa est super crucem: hymno verò expleto, cùm inciperet lectionem euangelicam, eadem auis sacratissima volauit super quandam columnam analogio proximam, illic sedens & auscultans, sacræque lectioni aurem diligentius adhibens: qua perlecta, rursum redijt ad crucem. Et testatus est idem Conuersus, sæpius in festiuitatibus se eandem visionem vidisse; Quotiens, inquit, chorum Conuersorum intrauit, & coram altari profundè, vt ei moris est, inclinauit, mox columba prædicta crucem deserens, capiti eius insedit; in quo statim tantum creauit strepitum percussione alarum, tantum splendorem, nitore alarum, vt ab omnibus potuisset audiri, & ab vniuersis videri, si illis datum fuisset audire vel videre. APOLLONIVS: Puto conuersum hunc eundem fuisse, qui vidit super caput nouitij, cùm in monachum benediceretur, columbam, sicut dictum est in distinctione prima cap. 3.

CAP-

CAPVT XXXVIII.

CAESARIVS:

DVM in eadem domo monachus quidam iuuenis euangelium legeret in conuentu, prædictus Henricus columbam candidissimam super caput eius descendere vidit, illic quietè residentem vsque ad finem euangelij: fuerat enim idem monachus ibi hospes, & tam bonæ vitæ, vt tanta gratia dignus haberetur. Processu temporis, cùm factus fuisset sacerdos, cuidam monacho ex fratribus eius sacerdos quidam secularis dicebat; Ego frequenter video columbam super caput illius monachi, quando missas celebrat. Non tamen puto eum aliquando missæ eius interfuisse corpore, sed spiritu: est enim vir religiosus, multas habens reuelationes à Deo. APOLLONIVS: Quid sentiendum est de huiusmodi columbis? CAESARIVS: De hac quæstione, quantum potui, expediui te in distinctione secunda cap. 5. loquens de sacerdote fornicario, cui columba sacramentum altaris tulit, & post pœnitentiam restituit: signum est aduentus Spiritus sancti columba. Si nihil fuisset diuini in prædictis columbis, etiam alij eas vidissent. APOLLONIVS: Hoc satis credibile est. CAESARIVS: Quod autem Spiritus sanctus etiam in igne præsentiam suam quandoq; manifestat, audies in distinctione nona, cap. 34. Quia iam plures visiones tibi retuli de Christo, quasdam etiam de Spiritu sancto, vnam tibi adhuc dicam de sancta Trinitate.

CAPVT XXXIX.

Apparitio Sanctissimæ Trinitatis.

NON est diu, quod quædam sanctimonialis ordinis nostri, dum in quadã die dominica ad Pri-

ad Primam ſtaret, & chorus pſalleret fidem Athanaſij, illa de myſterio ſummæ Trinitatis cogitans, mente exceſſit: in quo exceſſu, tanta ei ſunt reuelata de illa ſumma & æterna Trinitate, vt ſuo confeſſori illa, ſiue modum eiuſdem viſionis, explicare non poſſet. Ecce ſic copiosè Dominus viſioni noſtræ condeſcendit. Ipſe eſt quem Iacob in ſomnis vidit innixum ſcalæ; angeli verò aſcendentes, ſiue deſcendentes, ſunt cæteri, vt dictum eſt, ordines ciuium cœleſtium, deſcendentes nobis apparēdo, & aſcendētes ſe noſtris viſibus ſubtrahendo: ipſi enim ſunt Chriſti corpus & membra. APOLLONIVS: Qua ſimilitudine? CAESARIVS: Similitudinem tibi dicam ſatis manifeſtam.

Geneſ. 28.

CAPVT XL.

Quæ ſimilitudine ſancti ſint Chriſti corpus & membra.

CAput Chriſti, Deus; caput eccleſiæ Chriſtus: Oculi Chriſti, ſunt angeli, ſemper faciem Patris videntes, aures eius Patriarchæ legem Dei audientes: nares Chriſti, ſunt Prophetæ, quæ futura erant procul odorantes: Os eius Apoſtoli, quæ ab ipſo viderunt & audierunt mundo prædicantes: Barba Chriſti, ſunt martyres, fortitudinem mentis, quam barba deſignat, in ſuis tormentis oſtendentes: Vbera Chriſti ſunt confeſſores, verbo & exemplo infirmos nutrientes: Venter eius, virgines & continentes, fructui carnis, caſtitatis amorem anteponentes. De his ſponſa dicit in Canticis canticorum dilecto: Venter eius eburneus diſtinctus ſaphiris. Ebur, quod frigidiſſimum eſt, deſignat virginitatem. Hyacintus verò, qui aêrei coloris eſt, perfectionem vidualem. APOLLONIVS: His non inutiliter præmiſſis, precor vt de ſingulis ordinibus, ſi quas noſti, ſubiungas viſiones. CAESARIVS. Hoc libens faciam, & hoc primò de angelis.

1. Cor. 11. Epheſ. 5. Matt. 18.

Cant. 5.

CAP-

CAPVT XLI.

APOLLONIVS.

Ordines & officium Angelorum.

QVot ſunt ordines angelorum? CAESARIVS: Nouem, Angeli, Archangeli, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubin, & Seraphin. Dicuntur autem angeli, id eſt, nuncij, quia diuinam voluntatem ſuggerendo nobis nunciant. Quilibet homo habet angelum ſibi à Deo deputatum ad cuſtodiam ab hora natiuitatis vſque ad diem mortis, quorum miniſterium quantum ſit hominibus neceſſarium, quibuſdam tibi pandam exemplis.

CAPVT XLII.

Angelorum miniſterium vtile eſſe hominibus.

IN Francia virginem quandam religioſam & incluſam ſathanas grauiſſimè per ſtimulum carnis colaphizauit: illa neſciens virtutem in infirmitate perfici; iugiter cum multis lacrymis Deum rogauit, quatenus eius pietate à tam immunda tēcatione mereretur liberari. Cui cùm die quadam oranti angelus Domini apparuiſſet viſibiliter, dixiſſetque; Vis ab hac tentatatione liberari? & reſpondiſſet illa; Volo domine, volo; cœleſtis nuntius ſubiunxit; Dic verſiculum iſtum Pſalmi, Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui, & liberaberis. Angelo verò recedente vel potius diſparente, illa verſiculum cecinit, & mox tentatio ceſſauit. Mira res; Fugato ſpiritu fornicationis, ſtatim acceſſit ſpiritus blaſphemiæ, à quo tanto fortius, quanto periculoſius tentabatur: cœpit enim dubitare de Deo & fide Chriſtiana. Tunc magis quàm prius miſericordiam diuinam inuocans, ſe à tam nefanda tentatione liberari cum lacrymis orauit. Tunc angelus Domini ſecundò ei apparēs, ait; Quomodo habes modò ſoror? Reſpondit illa;

2. Cor. 12.

Pſalm. 118.

 Nunquam

Nunquam peius domine.& angelus;Putas te posse viuere sine tentatione? necesse est vt alteram istarum habeas, elige quam volueris. Ad quod virgo respondit; Domine si sic necesse est, eligo primam tentationem;licet enim fuerit immunda, humana tamen erat; ista verò, quam nunc patior, prorsus diabolica est. cui angelus; Dic versiculum istum; Feci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me, & liberaberis: quod cùm fecisset, post angeli discessum,blasphemię spiritus eam deseruit,& stimulum carnis recepit. APOLLONIVS: Quis tibi angelus videtur iste fuisse? CAESARIVS Eius, vt puto, proprius, qui illam maluit in carne tribulari, quàm non mereri: tentatio enim custos est humilitatis,& materia exercendæ virtutis. Virginibus,& eis qui non peccauerunt, inanis gloria atque superbia importuniores esse consueuerunt. Quàm solicitè sancti angeli sibi commissorũ opera bona considerent,vt Deo illa repræsentent,sequẽs sermo declarabit.

Psal. 118.

CAPVT XLIII.

CONuersus quidam de Hemmenrode, cuiusdã eiusdem domus grangiæ magister erat, vir bonus ac disciplinatus: iuxta hunc, cùm exiret ad opera manuum, siue ad negocia domus suæ, alius quidam simplex Conuersus angelum Domini ambulantem frequenter vidit. quod cùm retulisset domino Hermanno Abbati suo, referenti respondit; Quia visionem retulisti, nunquam angelum de cætero videbis. Quod ita factũ est. APOLLONIVS: Non Videtur mihi frater iste deliquisse, si sibi diuinitus reuelata Abbati proprio manifestauit. CAESARIVS: Satis puto quod non absque aliqua cordis iactantia Conuersus visionem eandẽ recitauerit; & quia hoc Abbas considerauit, quod futu-

turum æstimabat, prædixit: erat enim vir prudens & litteratus, ante conuersionem sanctorum Apostolorũ in Colonia Decanus. APOLLONIVS: Cùm quilibet homo duos habeat angelos, vt dicis, sibi deputatos,bonum ad suggerendum bonum,& malum ad suggerendum malum, quid est, quod tã facilè hominis volũtas angelo malo consentit ad peccatum? Est ne bonus in consilijs efficatior,& ad vim inferendam valentior?

CAPVT XLIIII.

CAESARIVS:

Hominem liberè peccare.

LIcèt homo habeat angelum bonum ad custodiam, & malum propter exercitium, neuter tamen illorum voluntati humanæ vim inferre valet, vt propter illius consilium, violenter inclinetur ad bonum, siue ob huius suggestionẽ, trahatur ad malum. Contulit Deus homini liberum arbitrium. APOLLONIVS: Quid est librum arbitrium? CAESARIVS: Facultas voluntatis & rationis, qua eligitur bonum assistente gratia, malum verò desistente gratia. Liberum dicitur, propter voluntatem, quæ libera est,& sine necessitate: Arbitrium, propter rationem, quæ ea quæ voluntas appetit,arbitratur & discernit. Et licèt ratio sæpe voluntatem sequatur ad peccati consensum, nunquam tamen approbat malum. Quod verò voluntas tam prona est ad peccãdum, causa subest: habet enim diabolus duos satellites etiam se crudeliores, quibus illa impellitur; fomitẽ scilicet carnis, quẽ scriptura vocat tyrãnum,& mundũ: caro concupiscit, diabolus concupita incendit, mũdus incẽsa, ne extinguantur, se obijcit. Ex peccati fomite multa oriuntur vitia, diabolus multa sibi assumit subsidia, mundus innumerabilia offert oblectamẽta. Ecce currus & equites regis Syriæ, id est, diaboli, missi ad capiendum Elisæũ, id est, iustum: quibus

4. Reg. 6.

visis, id est, in circuitu tuo consideratis, si clamaueris cum ministro Elisæi; Heu heu heu domine mi, quid faciemus? voce prophetica tibi respondeo; Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cũ illis; aperi oculos & vide: habes intra te rationem contra carnis fomitem, circa te angelos cõtra diabolum, turbam contra turbam; Et ecce, inquit, mõs plenus æquorum & corruum igneorum, id est, custodiam, non vnius, sed multorum angelorum in circuitu Elisæi, id est, hominis electi. Contra carnis incentiua, oppone virtutes naturales. Habes super hæc omnia gratiam diuinam, quæ mox, vt menti tuæ, si in peccatis fueris, infunditur, carnis incentiua restringit, diabolum retundit, mundi gloriam tibi in odium vertit. Hoc etiã scias, quod quędam facimus sine instinctu vtriusq; angeli, quę si bona fuerint, amplius in eis meremur; si mala, plus demeremur. APOLLONIVS: Satis de his expeditus sum; nunc quod residuum de visionibus angelicis nosti, mihi manifestes. CAESARIVS: Quod animas sibi commissorum Deo representẽt, ex hoc quod sequitur poteris probare.

CAPVT XLV.

Angelos animas sibi commissorum, Deo representare *al. Bergũ. fer. ante S. Walburgis.*

SOror Christina de Volmuntsteine, sanctimonialis in * Burgis, cuius in superioribus memini, tantæ erat perfectionis, vt præsens vita ei esset in tædio, & mors in desiderio. Tempore quodam quadragesimali, cùm se in proxima pascha putaret esse morituram, mente excedens rapta est in locum amœnissimum, haud dubium quin in paradisum, in quo vidit altare miri decoris, & ante altare multæ reuerentiæ personam, cuius pulchritudo inęstimabilis erat nimis, quam cùm interrogasset, quæ esset, vel cuius officij, respondit; Ego sum archangelus, qui pręsento animas ante Dominum.

& illa; Nunquid domine & animas de ordine nostro præsentas? Etiam, inquit, omnium in ordine tuo bene viuentium animas, monachorum videlicet, Conuersorum, & sanctimonialium, ego præsento ante Deum: & adiecit, Non modò morieris, sed in proximo pascha. quod ita factum est: nam cùm per aliquot dies ægrotaret, & penè quotidie communicaret, in agonia posita viaticum sibi dari petijt, cum quo, nondum plenè mastico, spiritum reddidit cœlo. Cùm esset adhuc in prædicto mentis excessu, venerabilis verè beata virgo Christina, vidit super altare mitram magni decoris pendentem, & cùm requireret ab angelo, quid futurum esset de anima cuiusdam sacerdotis, quem specialiter diligebat, cuius tunc recordabatur, respondit; Cùm obierit, mitra hac capiti eius imposita, ante Dominum illum representabo. APOLLONIVS: Quem putas angelum istum fuisse? CAESARIVS: Sanctum Michaelem, qui, vt dicit auctoritas, præpositus est Paradisi; cæteris enim angelis diligentior est circa genus humanum. Vnde in Daniele legitur fuisse princeps filiorum Israël. Hinc est quod suam memoriam in terris haberi voluit, vt ab hominibus, de quorum salute sollicitus est, agnosceretur, diligeretur, & obsequijs veneraretur. APOLLONIVS: Quid si in aliquo loco sibi deputato minus veneratur? CAESARIVS: Ibi & minora eius beneficia experiuntur, ita vt aliquando etiam præsentaliter inde recedere videatur, secundum testimonium subsequentis visionis. *Dan. 10.*

CAPVT XLVI.

S. Michaelis cultu negleto, deseruit locum sibi dicatum.

EO tempore quo dominus Theodoricus Coloniensis Archiepiscopus, qui adhuc superest, castrum in Gudinsberg ædificauit, sacerdos quidam religiosus Colonia rediens, cùm monti iam dicti

dicti nominis propinquasset, sanctum Michaëlem Archangelum in specie bene nota, de eo, in vicinũ montem, qui Stromberg dicitur, in quo memoria est Petri principis Apostolorum, alis extensis volare conspexit. Eodem tempore homo quidam, Theodericus nomine, de villa proxima cum vxore ad ecclesiam properans, de prędicto monte capsellam cum reliquijs, quã sæpe viderat, super Stromberg per aërem duci vidit: ambo illam viderunt, & vique hodie testes sunt ambo tantæ visionis; si mihi minùs credis, interroga dominum VVilhelmum sacerdotem in Stromberg, qui se ab ore illorum, qui hæc viderunt, audiuisse testatur, & dicet tibi. Habebat enim, & adhuc habet sanctus Archãgelus in Gudinsberg, vel, vt alij dicunt in * VVudinsberg ecclesiam nomini suo consecratam, & cũ esset mons idem fortis satis, & ad munimen prouinciæ bene situs, nullus tamen in eo castrum ædificare præsumpsit, quia hoc non posse fieri, ob prædictam memoriam, ab incolis referebatur: prædictus verò Theodericus, huiusmodi verba non attendens, & castrum in eo ædificans, antequam muros eius perfecisset, depositus est. Nec miror, si ab eodem castro angelica recesserunt subsidia, cuius omnia ædificia penè ex vsuris cuiusdam Iudæi, quẽ præfatus Episcopus cœperat, sunt constructa. Quã potenter sanctus Michaël electorum animas in exitu ab inimicis defendat, audies in distinctione xij. capitulo quinto. Non solùm beatus Michaël cum cæteris cœlestis militiæ exercitibus fideles protegit cùm moriuntur, sed etiam in præsenti ab hostibus visibilibus.

* al. V vendonsberg.

CAPVT XLVII.

Angeli omnipotentes.

NON est diu, quod sex milites templi in vicinia Saracenorum horam quandam canonicam

etiam ab hostibus visibilibus.

prostrati dicebant, ex inopinato paganis superuenientibus, cùm illi surgere vellẽt & fugere, magister eis innuit vt iacerent. Mira res, vt rex cœlestis ostenderet, quantum ei magistri fides, & discipulorum obedientia placeret, angelos suos misit, à quibus infidelium turba turbata est, quidam capti, & plures occisi: cumq; eos, quos angeli vinxerant, templarij comprehendissent, & illi dicerent; Vbi est exercitus, quẽ dudum vidimus, à quo capti sumus & occisi? responderunt; Quando necesse habemus, veniunt nobis in auxilium, quando non indigemus, reuertuntur in tabernacula sua. Intellexerant .n. sanctos angelos illos fuisse, quos ipsi videre non potuerunt, qui laudantibus Deum semper adsunt, ipsosq; custodiunt. Ipsi reuera sunt castra Dei, qui Iacob cum timore reuertẽti in terram suam venerunt in auxilium; Fueruntque ei, vt dicit scriptura, obuiam angeli Dei: quos cùm vidisset, ait; Castra Dei sunt hæc. Hoc miraculum cũ recitatum fuisset regi Philippo in castris, cùm rediret de obsidione Coloniæ, respondit; Certè si habuissem, Legem pone, in ore, ego psalmũ reliquissem, & fugissem. Hæc dicta sint de visionibus Angelorum. Porrò de visionibus Patriarcharum atq; Prophetarum pauca dicere habeo, quia rariùs sanctis noui testamenti apparent. APOLLONIVS: Quæ sit causa illius raritatis, qui etiam fuerint Patriarchæ, qui Prophetę, & quare sic dicti, precor vt edisseras: deindè si quas nosti visiones, de illis subiungas. CAESARIVS: Quanto breuiùs potero, de requisitis te expediam.

Genes. 32.

Psal. 118.

CAPVT XLVIII.

De Patriarchis & Prophetis.

PAtriarchæ sunt viri iusti & gloriosi, cum quibus locutus est Deus, Abraham scilicet, Isaac, & Iacob, & alij quam plures, qui illos tẽpore & præ-

& præcedebant & sequebantur. Dicuntur autem Patriarchæ, quasi patrum principes, eò quod alijs facti sint via rectè credendi, & norma bene viuendi. Horum successores, extiterunt Prophetæ, & ipsi viri magni & inclyti, qui Christi sacramenta, & ecclesiæ, & si qua alia futura erant, tam perspicuè præuiderunt & prædixerunt, ac si oculis eorum corporeis fuissent obiecta: vnde quidam illorum dicebat; Non faciet Dominus verbum super terrã, quod non prius reuelet seruis suis prophetis. Prophetæ fuerunt Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel & duodecim prophetæ, qui etiam ea, quæ præuiderunt, vel prædixerunt, scripto perpetuauerunt. Vnde Prophetæ dicti sunt Videntes, vel significantius Prophetæ dicũtur, quasi præfatores, vel quasi procul fantes, id est, à longè. Quare autem rarius Apostolis siue martyribus nobis appareant, causa esse videtur, quod respectu iam dictorum ordinum modica, & penè nulla est eorum memoria apud ecclesiam Latinorum: Græci verò in natalitijs illorũ solennisant, & ideò fortè sæpius illis apparent. De sancto Ioanne Baptista, cuius memoria celebris est per vniuersam ecclesiam, aliquas visiones subiungam: ipse est enim nouissimus Prophetarũ, & plus quàm Propheta: Nam lex & prophetæ, teste Domino, vsque ad Ioannem.

Amos 3.

Matth. 11.

CAPVT XLIX.

Apparatio nei S. Ioannis Baptistæ

IN Claraualle monachus quidam iuuenit est ætate, Ioannes nomine, mirus dilector sancti Ioannis Baptistę: in die siquidem natiuitatis illius est natus, & ob hoc à parentibus Ioannes vocatus. Supra reliquos sanctos illum diligit, & quotiens aliquid ad ipsum pertinens psallitur, vt est canticum patris eius Zachariæ, ibi voci penitus non parcit. Nocte quadam cum idem canticũ in choro cãtaret,

Luc. 1.

taret, & ventum fuisset ad illum versiculum; Et tu puer propheta altissimi vocaberis &c. sacerdos quidam stans in choro opposito, flammam de capite eius surgere vidit: vocatur autem VVilhelmus, estq; sacerdos religiosus, cui multa diuinitus reuelantur. Qui dictis matutinis, dominum Sygerum Priorem adijt, & quid de fratre Ioanne viderit exposuit: quem statim vocauit Prior dicens; Dic mihi bone frater Ioannes, quid cogitasti in laudibus, quando inchoatum est canticum, Benedictus Dominus Deus Israël? cui ille respondit; Credite mihi domine, ego cogitaui, si esses in cælis, vox tua nunquam rauciceret, & semper Deum laudares cum angelis. Et Prior; Quid habuisti in corde infra istum versiculũ, Et tu puer propheta altissimi vocaberis? ad quod iterum respondit; Ita accensum est cor meum in hora illa ad memoriam S. Ioannis Baptistæ, quem valdè diligo, vt vix me capere possem præ gaudio. Et cognouit Prior, quod flamma eadem signum fuisset vehementissimi amoris de corde adolescentis in cælum ascendentis. Anno præterito visio hæc à prædicto Priore Clarçuallis, Priori de Claustro recitata est, à quo ego illam didici.

CAPVT L.

RETulit mihi domina Irmingardis Magistra de insula sancti Nicolai anno præterito, cuiusdam sanctimonialis bene sibi notæ miram dilectionem erga prædictum domini Præcursorem: plus omnibus sanctis illum dilexit; nec sufficit ei de illo cogitare, illum obsequijs & orationibus honorare, consororibus illius prærogatiuas prædicare, quin etiam, ad perpetuandam eius memoriam. verificaretur de eius annunciatione, natiuitate, & gaudio parentum; litterata siquidem erat,

Universidad de Deusto Biblioteca

erat,& ideo versibus prosequi studuit,quicquid de illius sanctitate legeret. Omnes etiam personas seculares, cũ quibus loquebatur, monuit & rogauit, vt liberos suos Ioannem vel Zachariam nominarent,fœminas verò Elisabeth.Cumque moritura esset, Ioannes monachus de Claustro eam visitauit, sciensque eius affectum circa sanctum Ioannem ait; Matertera cum fueritis defuncta, qualem missam vultis vt primum cantem pro anima vestra,pro defunctis,an de sancto Ioanne Baptista? Ad quod illa sine omni deliberatione respondit,de sancto Ioanne. Cumque ad extrema peruenisset, compassa sorori sibi seruienti, ait; Vade soror super solarium, & quiesce modicum: quod cùm fecisset,& leui sopore quiesceret, huiusmodi vocem per somnum audiuit;Quid hic iaces? sanctus Ioannes Baptista inferius est cùm sorore Hildegunde. Hoc illi nomẽ erat. Ad quam vocem sanctimonialis expergefacta,neglectis vestibus, in camisia descendit,& iam illam expirasse inuenit. Circa quam tam suauissimus odor erat, vt non dubitaret illic adesse præsentiam Sancti Ioannis, qui animam suæ dilectricis choris sociaret angelicis. Narrauit mihi & aliam visionem, ista adhuc iocundiorem, quam sibi à magistra domus, in qua visa est, dicebat esse recitatam.

CAPVT LI.

DVæ sanctimoniales fuêre, & adhuc sunt, vt puto, in Lutere monasterio dioc. esis Treuerensis, ex quibus vna specialiter diligebat sanctum Ioannem Baptistam, altera verò sanctum Ioannem Euangelistam; quæ quotiens conueniebant inter se, de illorum maioritate cõtendebant, ita vt magistra quandoque vix posset eas compescere: illa enim dilecti sui priuilegia in medium

dium proponebat, cui ista sui dilecti prærogatiuis validè satis obuiabat. Nocte quadam ante matutinas,sanctus Ioannes Baptista suæ delectrici in somnis apparens sic ait: Soror, noueris sanctum Ioannem Euangelistam mihi æqualem esse; nunquam homo castior fuit illo,mente simul & corpore virgo;ipsum Christus ad apostolatum elegit, ipsum cæteris Apostolis plus dilexit, ipsi gloriam suæ transfigurationis ostendit; ipse beatissimus in pectore Iesu in cœna recubuit, ipse morienti astitit, ipsi virgini Christus virgo matrem virginem commendauit; ipse cæteris Euangelistis altius volans, & oculos mentis in rotam diuinitatis plenius defigens, euangelium suum sic exorsus est;In principio erat verbum,& cætera: scripsit & Apocalypsin, qua nihil in cœlestibus figuris obscurius est; plurima etiam pro Christo passus est tormenta, flagella, feruens oleum, exilia. Ecce propter ista & alia multa sua priuilegia, æqualis mihi est. Manè ergo voces sororem tuam ante magistram, & procidens ante pedes illius, pete vt ignoscat tibi, quod totiens eam exacerbasti mei causa. Quæ ad signa matutinalia expergefacta, de tam clara visione cogitare cœpit: dictis verò matutinis, cùm se altera sopori dedisset, sanctus Ioannes Euangelista, per visum affuit,& sub sensu verborum horum suam allocutus est dilectricem; Soror, scias beatum Ioannem Baptistam longè maiorem esse me; inter natos mulierum,teste Christo, non surrexit maior illo; ipse propheta, & plus quàm propheta; ab angelo est annunciatus, à sterili matre contra naturam conceptus, in vtero supra naturam sanctificatus, in eremo sine omni peccato conuersatus:quod de me dici non potest, qui lucris inhians, inter seculares secularis seculariter vixi:Saluatorem, Matth.11.

rem quem in vtero cognouit, inter turbas ad se venientem, digito demonstrauit, & in Iordane sacris manibus baptisauit: ipse cœlos vidit apertos, Patrem audiẽs in voce, Filiũ videns in homine, Spiritum sanctum in specie columbæ. Tandem pro iustitia martirisatus est: Ergo me maior est. Vnde hodie vocare debes sororem tuam ante magistram tuam, & prosternere te pedibus illius, sicq; eam rogare vt tibi ignoscat, quod totiens illam exacerbasti me contentiosè Præcursori Domini præferendo. Manè singillatim ad magistram veniunt, quid viderint exponunt. tunc simul se prosternentes, & ab inuicem, vt eis iussum fuerat, veniam postulantes, mediante matre spirituali, reconciliatæ sunt, monente illa, ne de cætero de meritis sanctorum contenderent, quæ soli Deo nota sunt. APOLLONIVS: Satis me ædificat tanta in supernis ciuibus humilitas. CAESARIVS: Nulla, quantum ex præsenti visione colligere poteris, in regno cœlorum præmiorum est contentio, quia illic, teste Apostolo, omnis euacuatur prælatio. Hoc tamen scias, quod sicut ciues superni visitant cum multa consolatione se diligentes; ita quandoque cum inuectione & plagis se contemnentes.

1.Cor.15.

CAPVT LII.

Sanctum Ioannem Baptistam contemnens punitur.

CAnonicus quidam erat in ecclesia Bonnensi, qui frequenter cum sodalibus suis moniales in Ditkirchẽ solebat visitare: nec erat in eadẽ visitatione aliquid religiositatis, sed leuitas, & periculum animarum: quotiens enim eum oportebat intrare claustrum, per * monasterium, quod in honore beati Petri & sancti Ioannis Baptistæ dedicatum est, transibat erecto collo, nec vna quidem vice coram altaribus caput inclinans. Nocte quadam

** for. oratorium.*

dam venerabilis Baptista in somnis illi apparens; & toruo vultu in eum respiciens, sic ait; Et tu inique, totiens per oratorium meum transiens, nũquam aliquid mihi exhibuisti honoris, vt saltem vel vna vice ceruicem flecteres coram altari meo, leuansque pedem, tam validè trusit eum in ventre, vt tam ex terrore increpationis, quàm ex dolore tunsionis euigilaret. Ab illa hora cœpit infirmari, & paulatim intumescente ventre hydropicus fieri, sicque vadens, donec inualescente morbo moreretur: & si vis scire, Ioannes est nomen eius, fortè ex hoc ipso sanctus amplius turbabatur, quod ipsa nominis eius æquiuocatio, nil reuerentiæ cordi eius impresserat circa ipsum. APOLLONIVS: Cùm maior sit perfectio patriæ quàm via, quid est, quod sancti tam durè suas iniurias vindicant? CAESARIVS: Voluntas comprehensorum sic diuinæ voluntati vnita est, vt non possint aliud velle, nisi quod illum nouerint velle. Viatores verò pro inimicis tenentur orare, illique diuinæ iusticiæ consentire. Mercurius martyr, Iulianum, iam cum Christo regnans, occidit, qui in via fortè pro occisoribus suis Christum exorauit. APOLLONIVS: Placet quod dicis: sed quid est quæso quod sanctus Baptista, quo nullus maior est inter natos mulierum, dicente id Domino nostro Iesu Christo, tanta ludibria passus est in morte, vt consilio adulteræ, ad petitionem saltatricis occideretur? CAESARIVS: Vt nullius iusti mors abhorreretur: adhuc enim idem maximus prophetarum in suis reliquijs ludibria experitur.

Amphilo. in vita S. Bosilij.

Matth.11.

Matt.14.

CAPVT LIII.

Idem sanctus in suis reliquijs contumelias effert.

NOn est diu, quod quidam mercator terræ nostræ mare transiens, cùm brachium sancti Ioannis Baptistæ in eius hospitali vidisset, & de-

& desiderasset, intelligens custodem reliquiarum quandam procari fœminam, scienſque nil esse, quod mulieres huiusmodi à viris nequeant extorquere, accersens illam ait; Si feceris me habere reliquias Sancti Ioannis Baptistæ, quæ sunt penes custodiam amasij tui, centum quadraginta libras argenti tibi tradam. Illa oblatam pecuniam sitiens, hospitalario consensum præbere recusauit, donec sacrum brachium obtineret: quod statim negotiatori tradidit, & prædictum pondus argenti recepit. Cernis quantum ludibrium? sicut olim caput Sancti Ioannis ab Herode pro mercede saltationis traditum est lasciuæ puellæ, & ab illa datum matri adulteræ; ita hoc tempore brachium eiusdem datum est pro munere fornicationis ab hospitalario, non minùs Herode malo, turpi fœminæ, & ab illa venditum mercatori. Quod ille non terræ, sicut Herodias, sed purpura inuoluens, ad vltimum terræ penè fugit, & ad ciuitatem Gruningen, quæ sita est in introitu Frisiæ peruenit, domum in ea comparauit, & in quadam eius columna brachium occultans, valdè ditescere cœpit. Die quadam sedente eo in taberna, cùm ei quidam diceret; Ecce ciuitas concrematur, & iam incendium appropinquat domui tuæ. Ille respondit; Domui meæ non timeo, bonum ibi reliqui custodem: surrexit tamen, & domum intrauit, in qua dum columna immotam considerasset, ad tabernam redijt, mirâtibus cunctis, quænam esset causa tantæ securitatis. Interrogatus de custode domus suæ, cùm per ambages respondisset, & hoc ipsum conciues notare intellexisset, timens, ne forte sibi vim inferrent, brachium extrahens, cuidam inclusæ custodiendum commisit; quæ secretum celare nesciens, cuidam depositum prodidit, & ille ciuibus: qui statim reliquias tollentes, & ad ecclesiam depor-

Matth. 14.

Miracula reliquiarum S. Ioannis Baptistæ.

deportantes, depositori cum lacrymis sua repetẽti, durius responderunt: quem cum interrogassent, cuius sancti essent reliquiæ, se nomẽ nescire dixit, nolens eis illas prodere: ex dolore tamen ciuitatem deserens, & pauperiem incurrens, non multo post infirmatus est grauissimè. qui cùm mori timeret, cuius essent reliquiæ, & quomodo illas obtinuisset, confessori suo patefecit: quod vbi compertũ est ciuibus, thecam argenteam, & deauratam, gemmisq; pretiosis ornatam, ad similitudinem brachij fecerunt, in ea reliquias reponentes. Ego ante biẽnium, idem brachium vidi, & est pelle & carne vestitum: Vidi ibi & crucem paruam auream, reliquijs refertam Frederici Imperatoris, quæ prædicto homini cum brachio data fuerat.. APOLLONIVS: Cùm Sancto Ioanne, sanctorum nemo credatur esse maior, quid est quod nullum signum legitur fecisse in vita sua? CAESARIVS: Vt Dominus ostenderet sanctitatem non consistere in signis, sed in bona vita: post mortem enim signis claruit innumerabilibus & magnis. Prædicti verò ciues, reliquijs Sancti Ioannis timentes, retro altare fecerunt domunculam ex tabulis satis firmam, in cuius cacumine, noctibus sacerdotem dormire fecerunt; sub quo prima nocte sic domus conquassata est, vt non paruum ei horrorem incuteret: secunda verò nocte, dormientem excussit, in pauimentum illum proijciens: cumque vnus ex potentibus de ciuitate infirmaretur, & Theodericus ecclesiæ illius sacerdos ab illo rogatus, brachium in domum eius detulisset, ac denudasset, tam brachium quàm purpuram, cui fuerat inuolutum, reperit recenti sanguine infectum. Hæc mihi ore suo retulit. Sacerdos ab eodem brachio modicum carnis præcidens, cùm illam in manu occultè deferret, tantum sensit ardorem ex ea,

ea, ac si ignitum carbonem portaret. Multa siquidẽ signa ac sanitates per easdem reliquias in illa fiunt ciuitate meritis Sancti Ioannis Baptistæ.

CAPVT LIIII.

EST apud nos dens molaris & magnus eiusdem Præcursoris, tria habens cornua, qui qualiter ad nos deuenerit, & quid per illum apud nos operatus sit Dominus, tibi recitabo. Cùm vastata fuisset ciuitas Constantinopolitana à cruce signatis, & diuersi diuersa diripuissent, Henricus miles de Vlme, inter reliquias pretiosissimas, etiam iam dictum dentem Sancti Ioannis tulit de ecclesia Sãctæ Sophiæ; quem repatrians in tantum dilexit, vt in castro suo oratorium ædificaret, ibi eum condere volens in altari: quod ei germana eius, magistra in insula Sancti Nicolai, propter affectum quem habuit, & habet erga domum nostrã, dissuasit, sed tunc persuadere non potuit: qui post breue tempus à VVernero de Bonlant captus, spe orationum nostrarum iussit eum nobis transmitti. Interim cuidam sororum, prædicti cœnobij, in somnis ostensum est, quod quàm citò Deus veniret ad locũ nostrum, Henricum esse liberandum: quod ita factum intelleximus. Nam Prior noster, per quem transmissus est, in flumine Rheni illius beneficio maximũ euasit periculum. Henricus Comes Seynensis, habẽs militem honestum, sed mente captũ, cùm eo ad nos venit, sperans illum tum virtute reliquiarum, tum beneficio orationum nostrarum posse sanari; qui dente sacratissimo signatus & tactus, tam cælestem virtutis eius sensit effectum, vt vix ad iactum balistæ de monasterio progrediens, se sanatum gratularetur. Est enim, vt suprà dixi, magnus & fortis, & tanto magis ad curandas infirmitates validus, quanto minus in masticandis cibis delicatis est vsitatus. Hæc dicta sint de prophetis. De Apostolis verò, qui ordinem propheticum sequuntur tempore, aliquas tibi subiungam visiones. APOLLONIVS: Prius volo mihi exponi, quare à Christo Apostoli sub duodenario numero sint electi, & quare Apostoli vocati. CAESARIVS: Vtrumque non absque magno sacramento factum est.

CAPVT LV.

SICUT dicunt euangelia, Christus ascendens in montem, vocauit ad se quos voluit, quos & Apostolos nominauit: Apostolus interpretatur missus, teste Christo, qui ait; Non est Apostolus maior eo, qui misit illum. Bene autem duodecim sunt vocati, qui alijs mysteria fidei prædicarent, quia duodenarius numerus constat ex quater tribus, vel ex ter quater. Ad hoc ergo duodecim sunt electi, vt per quatuor partes mundi missi, fidem Sanctæ Trinitatis omnibus nunciarent, & credentes ad vnam gloriam æternæ beatitudinis conuocarent. Duodecim Apostoli duodecim sunt signa cœli, duodecim mẽses anni, duodecim horæ diei, duodecim stellæ in corona sponsæ. Christus verò cœlũ est, ann' æternitatis est, lux est, corona sanctorum est. Apostoli duodecim sũt filij Iacob, id est, Christi; duodecim fontes deserti; duodecim lapides in veste pontificiali; duodecim panes propositionis; duodecim lapides altaris; duodecim lapides de Iordane sublati; duodecim boues sub æneo mari; duodecim fundamenta cœlestis Hierusalẽ. APOLLONIVS: His vtiliter premissis, nũc secundũ ordinẽ subnectas visiones. CAESARIVS: Licet sancti Apostoli per visionem multis appareãt, & multa per eos miracula quotidie fiant, de paucis tamẽ pauca tibi referam, sed quantum ad exemplum sufficientia.

Apostoli cur sic dicti, & duodecim sint electi.
Luca 6.
Ioan. 13.
Apocal. 12.
Gene. 35.
Exod. 15. 28.
Leuit. 24.
Iosue 4.
Exod. 24.
3. Reg. 7.
Apoca. 21.

CAPVT LVI.

Visiones de Sancto Apostolo, & primò de Sancto Andrea.

CONsuetudo est, maximè prouincię nostrę matronis, vt tali sortè specialem sibi Apostolum eligant; in duodecim candelis duodecim Apostolorum nomina, singula in singulis scribuntur, quæ à sacerdote benedictæ, altari simul imponuntur: accedens verò fœmina, cuius nomen per candelam extrahit, illi plus cæteris & honoris, & obsequij impendit. In hunc modum cùm quædam matrona Sanctum Andream extraxisset, & non ei placuisset, reposita candela alium habere voluit, sed iterũ idem occurrit: quid plura? tandem traxit sibi placẽtem; cui cùm multum exhibuisset obsequij; per omnes dies vitæ, & ad extrema perueniens esset moritura, non illum, sed beatum Andream sibi assistere vidit; En, inquit, ego sum ille despectus Andreas. Ex quo colligitur, quod nonnunquam Sancti etiam vltrò se ingerunt humanæ deuotioni. Quantum beatus iste Apostolus se inuocantibus succurrere valeat, sequens narratio declarat.

CAPVT LVII.

ERant duo iuuenes iuxta ecclesiam Sancti Andreæ habitantes, qui pro suis mercationibus remotas prouincias petere solebant: tempore quodam cùm profecturi essent in Norvvegiam, frater Reinerus monachus noster, tunc Canonicus Sancti Andreæ in Colonia, sicut ipse mihi retulit, quinque solidos illis dedit, petens vt ex eis compararent pellem vrsi albam, quales regio illa gignit, ad substratorium coram altari Sancti Andreæ. Quod cùm fecissent & reuerterentur, tanta orta est in mari tempestas, vt omnes mitteret in desperationem. Hoc ideo factum reor, vt Dominus Apostoli sui virtutem ostenderet. Recordati verò prædicti iuuenes pellis Sancti Andreæ, contra procellas intumescentes, ventosque frementes illam cum fide leuauerunt; & ecce Dominus Apostoli sui meritis, quem de mari vocauit, suffragantibus, imperauit mari & ventis, & facta est in ipsa hora tranquillitas tam magna, vt omnes qui in naui erant mirarentur. Reuertentes verò Coloniam, denarios reddiderunt, pellem beato Andreæ gratis offerentes, collati non immemores beneficij.

Matth. 4.

CAPVT LVIII.

De Sancto Iacobo.

CIuis quidam de Traiecto inferiori, cum filio ad Sanctum Iacobum profectus est: accidit, si bene memini, vt in quodam loco hospes eius, nescio quid perderet, & suspicionem de eo habẽs, furtum illi coram iudice ciuitatis imponeret. Quo negãte & dicẽte, Deus nouit & Sanctus Iacobus testis est, me nunquam fuisse furem, neque furis socium. Verbis iudex non credidit, sed suspendij sententia innocentem damnauit. videns filius patrem damnatũ, nec aliquid ei prodesse fratrum testimonia, flens & eiulans dixit ad iudicem; Rogo vos domine, quatenus intuitu Dei & Sancti Iacobi me suspendatis, patre meo dimisso: ego enim noui innocentiam illius. Cuius fletibus & instantia, tandem iudex victus, patrem absoluit, ipsumque suspendit. Pater verò tristis nimis cum socijs procedens, & limina beati Iacobi visitans, ipsique pro anima filij supplicans, postquam ad locum suspensionis redijt, ait fratribus; Ecce fratres filius meus, precor vt paululum subsistatis, donec illum deponã & sepeliam. Audita voce patris, respondit; Bene venias pater, adhuc enim viuo; depositus ab eo, & interrogatus, quænam esset causa tanti miraculi; ait; Sanctus Iacobus Apostolus ab eo

Universidad de Deusto Biblioteca

hora, qua huic patibulo appensus sum, vsque nunc, manibus suis sustentauit me: non esuriui, non sitiui, nihil doloris sensi, nec vnquã melius mihi fuit omnibus diebus vitæ meæ. Statimque pariter ad beatum properantes Apostolum, filius vt votum suum soluerent, pater vt gratias rependeret, incolumes reuersi sunt in ciuitatem Traiectensem. Et est idem miraculum in eadem ciuitate, sicut nobis retulit VVilhelmus monachus noster, ibidem canonicus, valdè celebre atq; notissimum. APOLLONIVS: Stupẽda sunt quæ dicis. CAESARIVS: Referam tibi aliud miraculũ de sancto Thoma Apostolo, meo iudicio maius isto.

CAPVT LIX.

IN villa, quæ dicitur Holenbach, miles quidam habitauit nomine Gerardus; huius nepotes adhuc viuunt, & vix aliquis in eadem reperitur villa, quem lateat miraculum, quod de illo dicturus sum. Hic sanctum Thomam Apostolum tam ardenter diligebat, tam specialiter præ cæteris sanctis honorabat, vt nulli pauperi, in illius nomine petenti eleëmosynam, negaret: multa præterea priuata seruitia, vt sunt orationes, ieiunia, & missarum celebrationes illi impendere consueuit. Die quadam, Deo permittente, omnium bonorum inimicus diabolus ante ostium militis pulsans, sub forma & habitu peregrini, in nomine sancti Thomæ hospitium petiuit: quo sub omni festinatione intromisso, cùm esset frigus, & ille se algere simularet, Gerardus cappam suam foderatam, bonam satis, qua se tegeret iens cubitum, trãsmisit. Manè verò cùm is, qui peregrinus videbatur, non appareret, & cappa quæsita non fuisset inuenta, vxor marito irata ait; sæpè ab huiusmodi truttanis illusus estis, & adhuc à superstitionibus vestris non cessatis.

Cui ille tranquillo animo respondit; Noli turbari, bene restituet nobis hoc damnum sanctus Thomas. Hæc egit diabolus, vt militem per damnum cappæ, ad impatientiam prouocaret, & Apostoli dilectionẽ in eius corde extingueret: sed miles cessit ad gloriam, quod diabolus præparauerat ad ruinam, & inde ille amplius est accensus, vnde iste confusus est ac compunctus. Nam paruo emenso tempore, Gerhardus limina beati Thomæ adire volens, cùm esset in procinctu positus, circulum aureum in oculis vxoris in duas partes diuidens, easque coram illa coniungens, vnam illi dedit, & alteram sibi reseruauit, dicens: Huic signo credere debes, rogo etiam vt quinq; annis reditum meum expectes, quibus expletis, nubas cui volueris. Et promisit ei: qui via vadens longissima, tandem cũ magnis expensis, maximisq; laboribus peruenit ad ciuitatem sancti Thomæ Apostoli, in qua à ciuibus officiosissimè est salutatus, & cum tanta charitate susceptus, ac si vnus illorum esset, eisq; notissimus. Gratiam eandem adscribens beato Apostolo, oratorium eius intrauit & orauit, se, vxorem, & omnia ad se pertinentia, illi commendans. Post hæc, termini sui reminiscens, & in eodem die quinquennium completum considerans, ingemuit, & ait; Heu modò vxor mea viro alteri nubet: impedierat Deus iter eius propter hoc quod sequitur. Qui cum tristis circumspiceret, vidit prædictum dæmonem in cappa sua deambulantem: & ait dæmon; Cognoscis me Gerharde? Non, inquit, te cognosco, sed cappam. respondit ille; Ego sum qui in nomine Apostoli hospitium à te petiui, & cappam tibi tuli, pro qua & valdè punitus sum: & adiecit; Ego sum diabolus, & præceptum est mihi, vt antequam homines cubitum vadant, in domum tuam te transferam, eò quod

vxor tua alteri viro nupserit, & iã in nuptijs cum illo sedeat. Tollens eum, in parte diei ab India in Theutoniam, ab ortu solis in eius occasum transuexit, & circa crepusculum in curia propria illum sine læsione deposuit: qui domum suam sicut barbarus intrans, cùm vxorem propriam cum sponso suo vidisset comedentem, propius accessit, eaque aspiciente, partem circuli in scyphum mittens abscessit: quod vbi illa vidit, mox extraxit, & partem sibi dimissam adiungens, cognouit eum suum esse maritum; statimq; exiliens, in amplexus eius ruit, virum suũ Gerardum illum esse proclamans, sponso valedicens: quem tamen Gerardus illa nocte, pro honestate, secum retinuit. Ecce tam in hoc, quam in prædicto miraculo satis perpenditur, quantum beati Apostoli diligentes se diligant, atque glorificent. APOLLONIVS: Non miror si diligentes se diligunt, cùm suprà dictum sit de Sãcto Andræa, quòd etiam se contemnenti fœminę, ad diligendum ingesserit. CAESARIVS: Sicut suprà ostensum est de Sancto Ioanne Baptista, sicut Apostoli diligentibus se præmium impendunt; ita suos contemptores quandoque puniunt. APOLLONIVS: Da exemplum. CAESARIVS: Prius de Sancto Bartholomæo præmittam vnum miraculũ, deinde quod petis subiungam exemplum.

CAPVT LX.

De Sancto Bartholomæo.

IN monte sancti Saluatoris iuxta Aquasgrani, nuper inclusa quædam defuncta est, quæ inter suas reliquias, etiam dentem habuit Sancti Bartholomæi Apostoli. Hoc cum scisset sacerdos, qui ei missas celebrabat, eumq; postulasset, & illa non annuisset, recessum minabatur, nisi saltem mediã ei partem donaret: illa verò dentem illum diligens, & sacerdote carere nolens, vt diuideretur con-

sensit, licèt inuitissimè. Mira res; mox enim vt sacerdos cultellũ denti supposuit, ac si denuò sanctus pateretur, guttatim de illo sanguis erupit: quo viso, sacerdos territus est, dentemque inclusæ dimisit integrum. Ego verò eundem dentem anno præterito vidi apud sanctimoniales in Porceto. Quod quandoque Apostoli contemnentes se puniant, ecce exemplum.

CAPVT LXI.

Apostoli suos contemptores puniunt.

MAtrona quædam specialem Apostolum habere volens, cùm eo modo, quo suprà dictum est de Sancto Andrea, per candelam beatum Iudam, vt puto, extraxisset, irata, retro cistam candelam cum nomine iactauit: volebat enim habere vnum de nominatis Apostolis, vt est Sanctus Ioannes Euangelista, siue beatus Iacobus. Cui nocte in somnis apparens, durè satis corripuit, conquerens se ab ea contemptum, & post cistam indignè proiectum: nec sic quieuit, donec verbis additæ sunt plagæ: integro enim anno lecto paralytica decubuit. APOLLONIVS: Licet sic per sortes Apostolos eligere? CAESARIVS: Sorte Mathias Apostolus legitur electus, non tamen ideo est electus, vt alijs anteponeretur, sed vt per eum duodenarius per Iudam diminutus suppleretur: puto tamen ab eadem electione huiusmodi sortes descendisse. Audiui Coloniæ quendam literatum sacerdotem, palam in ecclesia reprobrare tales electiones; Omnes, inquit, Apostoli æquè sunt sancti, & idcirco omnes à nobis æquè honorandi: ꝓ si alicui illorũ specialis honor est exhibendus, beato Petro, per quẽ regio nostra cõuersa est ad fidẽ, iudico esse impendendũ ipsum specialẽ Apostolũ nobis Christus destinauit. Beatus verò Heribert⁹. & successor

Acta 1.

eius Peregrinus Colonienses Archiepiscopi in ciuitate Colonia, omnibus Apostolis vnam ecclesiá conuentualem condiderunt, in quibus omnibus simul æqualis honor, idemque seruitium exhiberetur. Quantum mereantur in ecclesia eadem Christo, eiusque Apostolis dignè seruientes, ex modico, quod sequitur, poteris perpendere.

CAPVT LXII.

DVM incendium illud maximum, quod erat sub Adolpho Archiepiscopo, magnam partem ciuitatis Coloniénsis consumbsisset, mulier quædam, quæ ecclesiæ Sanctorum Apostolorú pro sua mercede braxare consueuerat, domum ligneam prope positam habebat: cui cùm incédium ex vicinis domibus propinquasset, filia eius, vasa, & supellectilem efferre cœpit, quod vbi mater cóperit, restitit dicens; Noli filia, noli, sed omnia refer in domum; sicque clausa domo mater spem habens in sanctis Apostolis, ecclesiam eorum adijt, sicque orauit; Sancti Apostoli, si vnquam vobis fideliter digneq; seruiui, custodite domum meam, & vasa vestra. Mira fides fœminæ, mira & virtus Apostolorum; qui propriam ecclesiam ex parte cócremari permiserunt, braxatricis suæ domum in medijs flammis positam, nó sine admiratione multorum, illæsam seruare curauerunt. APOLLONIVS: Valdè honorandi sunt Apostoli, per quos mundus iste iudicabitur. CAESARIVS: Hæc mihi reuocant ad memoriam ciuis cuiusdam dictum, siue factum relatione dignum.

CAPVT LXIII.

IN Colonia burgensis quidam erat; homo diues ac potens, Carolus nomine, pater domini Caroli Abbatis quandoque Vilariensis: hic cùm audisset,

disset, quia Apostoli iudicaturi essent, cogitauit intra se dicens; Peccatum graue est, & lapides anchorarij valdè sunt ponderosi; emam ergo lapides tales ad futuram fabricam sanctorum Apostolorum, vt cùm in die iudicij opera mea bona, nec nó & mala posita fuerint in statera, Apostoli, qui iudices erunt, lapides istos lanci, opera mea bona continenti, immittent, & mox præponderabit. Emit ergo nauim plenã lapidibus, quos per currus portari, & iuxta ecclesiam Apostolorum deponi fecit: quem cùm canonici interrogassent, quid sibi vellet per lapides illos; respondit; Aliqua dierum renouanda est ecclesia ista, & tunc erunt vobis necessarij. Non multo post, cùm extenderetur ecclesia, occasione, vt puto, eorundem lapidum, in fundamento positi sunt. Hæc de Apostolorum visionibus dicta sunt. Nunc aliqua tibi dicam de martyribus. APOLLONIVS: Quid faciat martyres, quare martyres dicátur, vel quot sint genera martyrij prius mihi edicas. CAESARIVS: Facilis horum solutio est.

CAPVT LXIIII.

CAusa, non pœna facit martyres: duo enim latrones Christo affixi sunt hinc inde, vnus martyr effectus est, propter virtutem confessionis; alteri pœna sua, initium fuit æternæ damnationis. Martyres enim græcè, testes dicuntur latinè, cò quod pro testimonio fidei occisi sunt. Sunt aũt quatuor genera martyrij: quidã occisi sũt propter solam innocentiam, vt Abel; alij propter iustitiam, vt Prophetæ & Ioannes Baptista; alij propter zelum legis, vt septem fratres Machabæi: alij propter fidem Christi, vt Apostoli eorumque successores, & hi antonomaticè dicuntur martyres, id est, testes, quia sanguinis sui effusione fidei Christi sub-

Martyres vnde dicantur, quid faciat martyres, & quot sint genera Martyrij.
Aug. l. 1. contra epist. Parmen. ca. 9.
Genes. 4.
Matth. 14.
2. Machab. 7.

sti subscripserunt. APOLLONIVS: Attendunt sancti cùm à nobis venerantur? CAESARIVS: Etiam; adhuc enim per diuersas visiones, suas manifestãt mortalibus reliquias, vt venerantibus illas debitores fiant.

CAPVT LXV.

Visiones siue apparitiones sanctorum Martyrum.

QVando renouata est ecclesia Bonnensis, quorundam martyrum corpora ex sacra legione Thebæorum illic reperta sunt; ex quibus cùm vnum corpus integrum, & præterea pars alterius martyris nobis data fuisset, cuidam adolescenti talis de eis visio ostensa est. Videbatur sibi in somnis stare iuxta scrinium earundem reliquiarũ, cui cùm quidam diceret; Nosti quid in isto scrinio contineatur? & monachus responderet, Etiam, corpus martyris nostri: ille subiunxit; Falleris, nã vir vnus, & dimidius in eo iacent. Quod vsque ad illud tempus omnes nos latuit. Tantæ autem virtutis sunt eadem sacra ossa, vt aqua superfusa, varijs infirmitatibus sit medela: maximè tamen sanat tumores ac inflationes. Quod verò fidelibus in periculis succurrat, visio subiequens declarat.

CAPVT LXVI.

Martyres succurrunt fidelibus in periculis.

ANno gratiæ millesimo ducentesimo decimo septimo, cruce signati ex tota Alemania, ac Frisia, cum trecentis ferè nauibus, circa idus Iulij intrauerunt portum Vlixisbone: in quo dum per aliquot dies morarentur, plures naues illic expectantes, ad petitionem Seueri Episcopi iam dictæ ciuitatis, & Episcopi Eborensis, necnon & Tẽplariorum, atque Hospitalariorum, castrum Saracenorum, nomine Alkazer, id est, omnium carcer, obsederunt. Sexta verò feria post natiuitatem beatæ Dei genitricis Mariæ, congregati sunt contrà

trà eos quatuor Saracenorum Reges, habentes in exercitu suo ad centum milia pugnatorum: quibus Christiani, numero minores, sed fide maiores, Sanctum Iacobum, beatumque Vincentium regionis illius patronum, & alios, si quos poterant sanctos inuocantes, hostibus occurrerunt. In primo verò congressu, vnus regum cecidit, interfectorũ verò non erat numerus, plurimi captiuati sunt: qui cùm per exercitum ducerentur à Christianis, quærebant signa victorum, asserentes candidissimam aciem cruces rubeas in pectore gerentem, suorum multitudinem in fugam conuertisse. Insuper galeæ, quas per mare contra Christianos conduxerant, cęlestis illius visionis terrore sunt fugatæ. Quod peregrini audientes, gratias egerunt Christo, qui martyrum suorum auxilia eis destinare dignatus est de cœlo. Hęc mihi relata sũt ab his, qui certamini interfuerunt, & ex ore Saracenorũ, quæ dicta sunt, audierunt. APOLLONIVS: Est ne peccatum, cum martyrum reliquijs ire ad requisita naturæ? CAESARIVS: Peccatum est, si gestantes illas, non excusauerit necessitas: sancti non abhorrent fœtorem naturæ, sed culpæ.

CAPVT LXVII.

Martyrum reliquias ferentes debẽt vitare peccata.

BErnhardus monachus noster, tempore quodã ante conuersionem, nescio quò iturus, reliquias beatorum martyrum Ioannis & Pauli in capsula ad latus portabat; quem cùm carnis incentiua ad delectationem mouerent, sancti martyres, quia motus illicitos restringere non conaretur, per capsellam latus eius durè satis tundere cęperunt: quod cũ ille non aduerteret, & motibus libidinosis quiescentibus etiam tunsiones cessarent, per horas aliquas, cum iterum titillationes surgerent, renouatæ sunt & punctiones: ac si sancti

suum

Isaie 52. suum baiulum voce prophetica increparent, dicẽtes; Mundare, qui fers vasa Domini. Vasa Domini
1. Reg. 21. sunt corpora sanctorum. Hinc est quod Achimelech sacerdos, cùm hæsitaret pueris Dauid dare panem sanctum, Dauid respondit; Et quidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudiustertius quando egrediebamur, & fuerunt vasa, id est, corpora puerorum sancta, id est, munda à concubitu. Et, sicut mihi retulit prædictus Bernardus, mox vt notare cœpit pœnam, in quantum potuit, compescuit culpam, ex hoc discens, quod sanctis placet, non solùm munditia mentis, sed & corporis. APOLLONIVS: Quid sentis de prædicatoribus illis, qui tantùm propter quæstum sanctorũ reliquias circunferunt, multosq; decipiunt? CAESARIVS: Quod sancti ad talium truphas indignentur, dicam tibi, quod monachus quidã de Bruvvilre mihi recitauit.

CAPVT LXVIII.

QVando ecclesiam suam monachi iam dicti cœnobij ampliare disposuerunt, per quosdã sacerdotes seculares, in lingua potentes, & ad emungendum pecunias efficaces, dentem patroni sui beati pontificis Nicolai, ad diuersas trãsmiserunt prouincias: erat autem crystallo inclusus. Die quadam, cùm prædicatores conducticij inhonestè se gerendo, vas tantarum reliquiarum circumferrent, crystallus crepuit, ac si illorum blasphemias pontifex reuerendissimus sustinere non posset. Quo miraculo viso, monachi dentem retulerunt, neque ad tale opus vltra eum de monasterio efferri passi sunt. Ego rupturam eius crystalli vidi. APOLLONIVS: Quid est quod quidam martyres alijs maiora signa faciunt post mortem? estne hoc ex aliqua eminentia sanctitatis? CAESARIVS:

SARIVS: Sicut superius dixi, miracula non sunt de substantia meriti, sed signa sanctitatis: quidam sancti in vita sua multa signa faciunt, & post mortem quiescunt; alij econuerso, quia nulla sanctitatis suę inditia in mundo dederunt, post mortem miraculis clarescunt. *li 6. c. 5 & l. 8. c. 53.*

CAPVT LXIX.

BEatus Thomas Episcopus Cantuariensis, qui nostris temporibus pro ecclesiæ libertate vsque ad mortem dimicauit, nullis miraculis in suis persecutionibus coruscauit, satisq; de illo post occisionem disputatum est: quidam dixerunt eum damnatum, vt regni proditorem; alij martyrem, vti ecclesiæ defensorem. Eadem quæstio Parisijs inter magistros ventilata est: nam magister Rogerus, iurauit illum dignum fuisse morte, & si non tali, beati viri constantiam, iudicans contumaciam. Econtra magister Petrus Cantor iurauit esse martyrem Deo dignum, vtpote pro libertate ecclesiæ trucidatum. Quorum quæstionem Christus soluit, cùm multis & magnis illum signis glorificauit. Non ideo tamen Apostolis, siue alijs magnis martyribus in meritis præferendus est, qui tanta, & tam crebra miracula post mortem fecisse non leguntur. Simile habes de sancto Anone Colonien si Archiepis. cui cum post mortem multi detraherent, dicentes eum ecclesiarum fuisse dismembratorem, & ciuium suorum excœcatorem, Dominus Deus in translatione illius, quãtæ sanctitatis esset, signis plurimis ostendit. APOLLONIVS: Probabile est quod dicis, sed aliud est quod me mouet. Sæpe contingit, vt pro reliquijs sanctorum, aliæ res habeantur, & pro veris, falsa venerẽtur: videntur tibi huiusmodi veneratores peccare, an mereri? CAESARIVS: Meo iudicio, ignorantia in talibus excusat cul-

Cur sancti aliquũ tãtum post mortem miraculis clarescant.

Reliquias falsas pro veris venerantes ex ignorantia, non peccare, sed mereri.

sat culpam, pietatis meretur gratiam: hoc verum esse, certum est, quia quandoque Dominus per falsas reliquias ad honorem sanctorum, quibus adscribuntur, & fide honorantibus illos, miracula operatur. Verbi gratia.

CAPVT LXX.

MIles quidam prędictum martyrem beatum Thomam Cantuariensem ardentissimè diligens, si aliquid de illius posset habere reliquijs circumquaq; inuestigauit: hoc cũ audisset quidã dolosus sacerdos, in cuius domo hospitabatur, ait illi; Ego frenum, quo diu vsus est beatus Thomas, penes me habeo, & sæpè virtutes eius expertus sum. Quod miles audiens, & ita esse putãs, sacerdoti pecuniam postulatam lætus obtulit, & frenum cum multa deuotione recepit: Deus verò, cui nihil est impossibile, fidem militis remunerare volens, ad honorem sui martyris multa per idem frenum facere dignatus est miracula; quod miles considerans, in honore martyris ecclesiam condidit, loco reliquiarum frenum sacerdotis pessimi in ea reponens. Hic sit finis de visionibus martyrũ, quia compendio vti volens, ad ordinem festino confessorum. APOLLONIVS: Qui sint confessores, & quare sic dicti, mihi edicito, postea visiones subiungas.

CAPVT LXXI.

CAESARIVS:

Confessores qui sint, & cur ita dicantur.

AD ordinem confessorum pertinent Pontifices, Abbates, clerici, monachi, necnon & laici religiosi, Christum vita & ore confitẽtes, & sine sanguinis sui effusione ad eum, quẽ confessi sunt, migrantes. Tempore persecutionis, omnes Christiani Confessores dicti sunt, Christum in suis

suis tribulationibus corde & ore confitentes, maximè tamen hi, qui pro illo passi sunt. Qui postea antonomaticè dicti sunt martyres, & nomen Confessorum specificatum est, maximè ad sacerdotes Domini, peccatorum confessiones recipientes, quibus data est à Domino potestas ligandi atque soluendi. APOLLONIVS: Qui tibi videntur maiores, martyres, an cõfessores? CAESARIVS: Quæstio hæc soluenda est secundùm excessus & excedẽtia, licèt ordo martyrum, ordinem confessorum præcellat dignitate, quidã tamen confessores, quibusdam martyribus, meritò lõgè sunt superiores: vnde habes in hymno; Plus currit in certamine, confessor iste sustinens, quàm martyr ictum sufferẽs, mucrone fundẽs sanguinem. Ecce exemplum; Certum est ordinem Episcoporum digniorem esse ordine Abbatum; attamen quidam Abbates regales, quibusdam episcopis gloria & honore maiores sunt. APOLLONIVS: Cõsentio. CAESARIVS: Quanta sit in visionibus beatorum confessorum consolatio, paucis tibi explicabo.

Matth. 18.

CAPVT LXXII.

Visiones de sanctis Confessoribus.

EST quidam apud nos Conuersus, cuius nomẽ prodere non licet, vir bonæ conuersationis, & sanctum Nicolaũ specialiter diligens. Iste, sicut ab ore eius audiui, in quadam solennitate, infra matutinas, iam dictum cõfessorem pontificalibus indutum in choro stare conspexit; de cuius visione, quæ magnæ fuit reuerentiæ, tantum gaudij cor eius concepit, vt sibi altitudine duorum pedũ à terra suspensus videretur. Non solùm hic beatissimus pontifex perfectorum visitator, sed & miserorum in summis necessitatibus esse dinoscitur liberator.

CAPVT

CAPVT XIIII.

NOndum duo anni sunt elapsi, quod in villa quadam iuxta Coloniam; sicut nuper illic audiui cum præterirem, loco furis quidam deprehensus est; vtrum esset reus, vel innocens, mihi dici non potuit: quem cùm morti adiudicatum, laqueo collo eius iniecto, in patibulo appendissent, ille nullum dolorem sustinens, cùm iam mortuus æstimaretur, clara voce clamauit; In vanum laboratis, non poteritis me strangulare, sanctus episcopus Dominus meus Nicolaus mihi assistit, en video illũ. Quod multi audiẽtes, & ita esse experimento cognoscentes, putantes eum innocentem, ob honorem sancti Nicolai depositum, abire permiserunt. Qui Bruwilre ad memoriam sui liberatoris currens, gratias egit se à suspendio, illius meritis, absolutum proclamans. APOLLONIVS: Audiui ab infantia, quod sanctus Nicolaus omnes episcopos misericordia præcellat. CAESARIVS: Tantæ pietatis est & misericordiæ, vt & malos à morte, sicut dictum est, sæpe liberet, & bonos mori desideret: illos, vt emendentur; iustos, vt æterna beatitudine fruantur. Reuera, dissolui & esse cum Christo multò melius est. Et, Beati sunt mortui, qui in Domino moriuntur.

Philip. 1.
Apoc. 14.

CAPVT LXXIV.

ADAM monachus de Lucka, cuius in superioribus memini, in quadam conuentuali ecclesia Saxoniæ, quæ Bucka dicitur, scholas frequentauit: cumque in cœmiterio multi lateres essent repositi ad fabricam oratorij, ipse, sicut puer, vnum ex eis tulit, & in eo sculpere cœpit: quod cum magister eius vidisset, terruit eum dicens; Depone

pone laterem, quia excommunicatus es. Ad quod verbum puer territus, mox cœpit infirmari: cumque inualescente morbo ad extrema deuenisset, & iam morituro data candela fuisset in manum, duos pontifices, beatum scilicet Nicolaum, & sanctum Paternianum, præfatæ Ecclesiæ patronum, coram se stare vidit & agnouit: stabãt autem in habitu pontificali, & in claritate magna, dixitque ad sanctum Paternianum Beatus Nicolaus; Vis vt tollamus puerum nobiscum? Respondit ille; Non, quia in alio ordine morietur. sicque disparuerũt. Eadem hora puer conualescens surrexit, & magistro eius, qui præsens fuerat tunc temporis, miraculum diuulgante in ecclesia est compulsatum, & ad honorem tantorum pontificum, Te Deum laudamus decantatum. Hæc mihi ab eodem Adam nuper relata sunt.

CAPVT LXXV.

IN villa quę Leiglinge vocatur, & circa duo miliaria distat à Colonia, ante hoc septenniũ contigit, quod dicturus sum. Puer quidam simplex, cuiusdam matronæ illic pecora pauit, hic beatum Nicolaum in tantum diligebat, vt singulis diebus medietatem panis sui in honore illius pauperibus erogaret. Orationibus etiam assiduis misericordiam eius interpellabat: cuius deuotis obsequijs beatus pontifex delectatus, die quadam ei in agro apparens, in forma & habitu venerãdi senis, ait; Puer bone, mina gregem domum: cui cùm ille responderet; Domine adhuc nimis est manê, si hoc facerem domina mea increparet me, subiunxit sanctus; Fac quod dixi, quia hodie ante solis occubitum morieris. Ad quod puer territus, cùm interrogaret eum, Domine quis es? respondit ille; Ego sum Nicolaus episcopus, quem semper exoras, & cui

prandiola tua diuidere consueuisti, modò veni remunerare te: vade ergo ad hospitium tuum, accipe corpus Domini, & præpara te, quia hodie, vt dixi, morieris; sicque disparuit: cumque puer cum ouibus reuersus fuisset, & domina eius interrogasset, quare tam manè venisset, respondit; Necessitas compulit me, quia ante noctem moriturus sum. Et illa; Deliras, reduc ergo gregem ad pastum, quia non morieris: Qui statim in lectum suum se reclinans, cùm sacerdotem petiuisset, & ille venisset, ait ei matrona; Timeo puerum istum aliquid fantasiæ vidisse, inuestigate ab eo diligenter, quid viderit, quid habeat, vel quare talia loquatur. Quod cùm fecisset sacerdos, puer ei visionem per ordinem recitauit: de cuius manibus cùm communicasset, hora prædicta expirauit: Ecce in his duobus pueris cognoscere poteris pietatem sancti Nicolai pontificis; scholarem consilio sancti Paterniani distulit spe vitæ melioris; Pastorem hunc fidelem secum duxit ad pascua æternæ viriditatis. APOLLONIVS: Quia sanctus Nicolaus crebrius alijs pontificibus in ecclesijs, tam in scripturis, quàm in picturis repræsentatur, vellem, si esse posset, aliquam videre imaginem faciei illius simillimam, per quam memoria eius menti meæ tenacius imprimeretur. CAESARIVS: Ostendam tibi quandam mirifici operis iconam, quæ ab eo, qui sanctum Nicolaum in carne vidit, fertur formata, & ad illius similitudinem depicta.

CAPVT LXXVI.

S. Nicolai vera effigies.

IN Porceto monasterio, quod iuxta Aquisgrani situm est tabula cubitalis est, imaginem beati pontificis Nicolai ab vmbilico & sursum in se repræsentans, quam beatus Gregorius regis Græciæ filius, & cœnobij eiusdem primus Abbas atque fundator, illuc aduexit. Dicitur eadem fuisse icona, quam barbarus, sicut in miraculis sancti Nicolai legitur, tulit, & ad custodiam sui telonei posuit, cuius occasione ad fidem conuersus est, cùm sua perdidisset, & cæsa imagine eadem recepisset. Plurimæ per eam virtutes factæ sunt, maximè in pregnantibus. Tempore quodam, cùm ad domum cuiusdam honestæ matronæ in partu laborantis fuisset deportata, & contra eam ad parietem suspensa, ea hora qua partum edidit, ne parientem quasi attenderet, cunctis qui aderāt intuentibus, tabula se vertit. Est autem eiusdem imaginis facies oblonga, & * obesa, multæ grauitatis & reuerentiæ, & in fronte caluicies, capilli tam capitis, quàm barbæ, candidæ caniciei. Nuper verò monachis cedentibus, sanctimoniales ordinis nostri cum tabula locum receperunt. APOLLONIVS: Satis me ædificat humilitas beati huius confessoris, qui si superius cibatum gloriatur in pane pauperis pastoris. CAESARIVS: Quis maior Christo, qui in iudicio dicturus est; Esuriui, & dedistis mihi manducare? Nullus: quantum verò Christo eiusque beatis confessoribus eleëmosyna placeat, vel quàm valenter his, qui faciunt illam, in periculis succurrat, exsequenti visione demonstrabitur.

**al. exesa.*

Matth. 25.

CAPVT LXXVII.

Eleemosynæ fructus.

MAgister Ioannes Decanus Aquensis, cùm scholaris esset, tam grauiter tempore quodam infirmatus est, vt confessus, & iniunctus, nihil ei nisi mors superesse videretur. Cui cū materia rapta esset in cerebrum, solus iacens, in excessū venit, viditq; homines sibi ignotos intrare, qui lāces, quas manibus portabant, cū lignis breui-

bus & quadratis ante ipsum ponebant. Stantibus eis ex vna parte lectuli, contemplatus est introire tres inclytos confessores, sanctum videlicet Martinum Turonensem, & sanctum Godehardum episcopum Hildesheimensem, beatumq; Bervvardum, qui eum ex parte altera circumstetêre, in quorum aspectu puer Ioannes vni imponitur lanci, & ligna loco ponderis alteri: cumq; eleuata statera inuentus esset æger minus habens, prædicti confessores, puerum paruulum, & mendicum, sinui eius imposuerunt, qui simul lancem aduersam mox suspendentes, lignis grauiores apparuerunt: statimque Ioannes, qui mihi visionem hanc retulit, in sudorem erumpens, crisim fecit, & de eadem infirmitate citius conualuit. APOLLONIVS: Quid scholaris ægrotantis ponderatio, vel quid pueri pauperis significet adiectio penitus ignoro. CAESARIVS: Puer idem valdè pauper erat, & despectus, cuius in tantum misertus est Ioannes, vt ei & panem frequenter daret, & matri commendaret: homines barbaros, qui eum in lace appendebant, dæmones fuisse suspicor, qui semper morientibus se ingerunt; ligna, pueri peccata, quæ quia meritis eius grauiora videbantur, sancti confessores, quos sæpius interpellauerat, eleëmosynarium eius lanci immiserunt, cuius beneficio adiutus est. Quod verò vita humana quandoq; propter eleëmosinas morti subtrahatur, habes exemplum in vita sancti Ioannis Eleëmonis, de Petro telonario, penè in consilimi casu & visione: Hinc est quod Nabuchodonosor regi, cum se in visione vidisset sub figura arboris ab angelo esse præcidendum, Daniel consuluit, vt peccata eleëmosynis redimeret. Quod verò ob peccata etiam ante tempus quandoq; vita hominis præcidatur, idem Daniel testis est. Cùm Balthasar, prædicti regis filius,

Daniel. 4.

lius, cum vxoribus & concubinis in vasis templi Domini conuiuando Deum irritaret, vidit contra se articulos manus scribentis in parite, tria hæc verba, Mane, Thecel, Phares: quam scripturam sic Daniel regi interpretatus est. Mane, id est, ante tempus dinumerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud. Thecel, appensus es in statera, & inuentus es minus habens, scilicet de iustitia. Phares, & quia peccata præponderauerunt, eadem nocte occisus est, & diuisum est regnum eius Medis & Persis. APOLLONIVS: Placet quod dicis. CAESARIVS: Tres præfati potifices, aliorum trium Episcoporum visionem mihi ad memoriam reuocant relatu dignam.

Daniel. 5.

CAPVT LXXVIII.

BOnæ memoriæ Gerardus Abbas Claræuallis, qui nostris temporibus fuit, cùm tempore quodã visitandi gratia pergeret ad Claustrum & apud religiosos fratres sancti Mathiæ hospitaretur, eadem nocte, dictis matutinis, ecclesiæ cryptam solus intrauit, & ad sepulchra sanctorum Eucharij, Valerij, atque Materni, qui Treuerorum primi erant Episcopi, & nostrarum regionum Apostoli, deuotè satis orauit: maximè tamen petiuit sibi reuelari diuinitus, vtrum magis expediret in officio Abbatiæ manere, vel illam resignare. Cui gloriosi illi tres præsules in multo splendore simul apparentes, dixerunt; Frater, nequaquam officium tuum resignes, quia in breui cum palma martyrij ad nos peruenies: sicque disparuerunt. Manè cùm esset profecturus, præpositus sancti Simeonis eum, vt secum in reditu hospitari dignaretur rogauit, quod & promisit: cumque completa visitatione rediret Treuerim, de promissione satis eum pœnituit, volens iterum orare vbi prius, quædam

dam neglecta in prima visitatione sperans sibi denuo esse reuelanda. APOLLONIVS: Quæ fuerunt illa? CAESARIVS: Vbi anima sancti Materni fuisset infra illos quadraginta dies, quibus sepultus fuerat. Quid plura? Promissi sui memor in domum Præpositi se recepit, & sicut ipse procurauerat, in ipsa nocte solito maturius surgens, & matutinas decantans, monachis relictis, & Conuerso assumpto, ad ecclesiam sancti Eucharij perrexit, cryptam intrauit, vbi sub forma prioris visionis præfatos Pontifices videre meruit. Ad quem sanctus Eucharius; Noui ad quid veneris; ecce Maternus, interroga eum. Quod cùm fecisset, respondit ille; Anima mea per illos quadraginta dies fuit in paradiso, & quia sciebat se ad corpus esse reuersuram, mercede sibi in cœlestibus præparata, frui non potuit. Mane ergo in officio tuo, quia per palmam martyrij citò nobis sociaberis. Quod ita factum est: nam à quodam misero, propter zelum ordinis, latenter interfectus est. Deinde beatus Pontifex adiunxit; Existente me in paradiso, nil actum est in mundo quod non viderim. Vides quanta sit potentia electæ animæ à corpore exutæ? Si tanta vidit in terrestri paradiso, quanta putas videt, quando fruitur. Deo? APOLLONIVS: Non ambigo, quin omnia tunc sciat, & videat. Si sanctus Benedictus adhuc existés corruptibilis, ex beneficio vnius animæ cœlos penetrantis, totum mundum vidit sub vno radio solis ante oculos suos collectum, non mirum, si anima Deo vnita, contemplatur omnia. CAESARIVS: Bene sentis, & hîc de confessoribus sit finis. De visionibus verò quarundam virginum, aliqua tibi referam, prius tamen de ipso ordine virginali te expediam.

Grego. l. 2 dialog. cap. 35.

CAP-

CAPVT LXXIX.

TAnta est gloria virginalis, vt angelis comparetur, quia qui non nubent, neque nubentur, erunt sicut angeli Dei. Hinc est quod in tabernaculo fœderis tertio operimento, quod erat de pellibus rubricatis, quartum fuerat suppositum, de pellibus hyacinthinis. Per pelles rubricatas, designatur martyrium, quod est cõsummatio omnium virtutum: per hyacinthinas, quæ aërei sunt coloris, virginitas, quæ, vt quidam dicunt, super omnem virtutem est, & angelicam redolet conuersationem. Virgines sequuntur agnum quocunque ierit, vtroque pede, id est, integritate mentis & corporis. APOLLONIVS: Ergo virgines continentibus & cõiugatis maiores sunt. CAESARIVS: Maiores sunt, si compares statum ad statum, quia dignior est ordo virginum, quàm ordo coniugatorum: attamen in ordine coniugatorum, vel viduarum, multi sunt multis virginibus in merito multo maiores, quia penes carnis integritatem, quæ virtus non est, quam etiam infideles habent, meritum non consistit, sed penes charitatem. Quis ergo audeat aliquas virgines, etiam sanctissimas, Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, qui coniugati erant penè omnes, anteferre? APOLLONIVS: Quid ergo est, quod sancti in tantum commendant virginitatem? CAESARIVS: Vt ostendant quantum Deo placeat castitas. Hæc in virginibus vocatur virginitas, siue continentia virginalis; in coniugibus, pudicitia coniugalis; in viduis, continentia vidualis. Vnde de eodem semine, quod de manu seminantis cecidit in bonam terram, aliud fecit fructũ tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimũ: primus debetur coniugatis, secundus viduis & continentibus, tertius virginibus: & est sæpè in præ-

Ordo sanctarum Virginum.
Matt. 22.
Exod. 26.
Apoca. 14.
Matt. 13.

in præmio, tricesimus maior centesimo, & hoc propter intensionem charitatis. Hinc est quod beatam Mariam Magdalenam ecclesia in Letanijs antepoſuit virginibus, ne illis propter ruinam inferior videatur. Noueris tamen melius esse continere, quàm nubere, quia Christus, qui sapientissimus est, virginitatem elegit; & studium seruandæ virginitatis pro Christo, charitatis virtutem plurimùm incendit. Quàm sint iocundæ, quàm salutiferæ visiones sanctarum virginum, sequentia declarabunt.

CAPVT LXXX.

Visiones de sanctis Virginibus.

VEnerabilis Theodericus Episcopus de Liuonia, cuius suprà memini, cùm tempore quodam sanctimoniales consecraret, sanctam Mariam Magdalenam viduis astare vnus monachorum vidit; beatam verò Margaretam virginibus: inter stantes deambulabant, vocatas præsentabant, coronas & velamina componebant. Erat enim tali visione dignus, vt potè vir bonus & religiosus.

CAPVT LXXXI.

IN Vilario, domo ordinis nostri, & diœcesis Leodiensis, monachus quidam est Arnoldus nomine, vitæ laudabilis, & magnum habens zelum circa ordinis disciplinam: hic cùm ex nimia abstinentia in tantum stomachum suum infrigidasset, vt vix aliquos cibos reciperet, imò recepta mox eijceret, tempore quodam ad tantum deuenerat defectum, vt lecto decumbens, mortem minaretur. Cui beata Maria Magdalena nocte apparens, visibiliter pectore discooperto, contra locum stomachi manum misit, ac deliniuit; qui ex **sacræ manus attactu, adeò confortatus est**, vt manè surgens sanus, non absque magna fratrum admiratione, chorum intraret.

CAPVT LXXXII.

RECordor nunc dominæ Gertrudis Abbatissæ de Houene, quæ satis mirabiliter per visionem cuiusdam sacræ virginis, sicut ipsa mihi retulit, sanata est. Hæc cùm penè per dimidium annum vehementi dolore oculorum cruciaretur, sanctam Luthildem virginem, cuius memoria in eodem cænobio celebris est, studiuit inuocare, meritis eius sperans adiuuari. Quodam manè in lecto suo penè cœca iacens & vigilans, iam dictam virginem in veste candida coram se stare conspexit; cuius oculos cùm tam veste, quàm manu tersisset, continuò clarè vidit, & omnis dolor illa recedente recessit. *al. Lintbildæ.*

CAPVT LXXXIII.

IN eiusdem sacræ virginis, scilicet Luthildis, altari, pro ornatu, imago gloriosę martyris & virginis Catharinæ lignea & sculpta decenter stare consueuit: die quadam matrona quædam honesta, Alheydis nomine, vxor VVyrici militis de *Gruzue, coram illa cum pedissequa sua ad orationem stetit: erat autem imago, per negligentiam vt puto, sic posita, vt penè vultum totaliter haberet ad parietem: quæ dum multum morosè in oculis iam dictarum fœminarum se verteret, clamauit famula; Videte domina, videte qualiter imago hæc regiret se; respondit illa; Et ego video. Viderunt hoc ipsum & aliæ mulieres illic stantes. Vix annus expletus est, ex quo contigit hæc visio miraculosa. APOLLONIVS: Quia huius sacratissimæ virginis Catharinæ ossa oleum stillare non cessant. *al. Oirzene.*

cessant, certum est illam multum esse suauē ac misericordem. CAESARIVS: Virtutum earundem indicium, emanan ex ossibus eius est oleum.

CAPVT LXXXIIII.

RETulit nobis dominus Hēricus Abbas de Stimenu, quod de osse eius, dum nobis de eodem particulam frangeret, gutta olei erupit; quam ne super terram caderet, vix retinuit. Sed quid dicam de gutta, cùm eius sacra tumba, sicut hi, qui in instanti de Sina venerunt, testantur, oleo sit repleta? Viderunt enim caput eius cum capillis & ossibus natare in oleo: de quo cùm à monachis loci diuersa vascula sacri liquoris reciperēt, tam nobis, quàm cæteris religiosis reuertentes, eadem pro benedictione diuiserunt. APOLLONIVS: Vellem nunc aliquas de nostris virginibus, scilicet vndecim milibus audire visiones, quæ nos ad ampliorem illarum incitarent venerationē. CAESARIVS: Referam tibi quædam, quæ habentibus earū reliquias terrori sint, si circa illas fuerint negligētes; consolationi autem, si habitas venerentur.

CAPVT LXXXV.

Reuelationes de Sodalibus S. Vrsulæ.

IN Folcodefrode, domo ordinis Cisterciensis, quæ in Thuringia sita est, Abbas quidam ante annos paucos defunctus est, qui circa sanctorum reliquias satis extiterat deuotus; vnde & Dominus huiusmodi ei visionem ostendere dignatus est. Nocte quadam in somnis Coloniam in ecclesiam sanctarum vndecim milium virginum, se transpositum vidit, extra eius septa, iuxta quendam murum tria virginum corpora sepulta intellexit, quarum nomina sunt Theomata, Cleomata, Christiancia. Mox Coloniam pergens, & locum reuelatum ex cunctis indicijs cognoscens,

scens, Abbatissam adijt, visum exposuit, & vt sibi quærere liceret, quas viderat, petiuit & obtinuit. Ostensus est ei quidam nomine Vlricus; cui consuetudo erat earundem sacrarum martyrum corpora effodere: conductus verò ab Abbate, cùm in loco denominato duos repperisset sarcophagos, & vno aperto, inter ossa sacra, pectinem pulcherrimum vidisset, concupiuit & tulit, eumq; chyrothecæ suæ immissum, in sinum proiecit: à quo cùm impederetur in fodiendo, eum extraxit, super fossam illum ponens in loco eminenti. Superueniens quædam ex sororibus, tam curialitate, quàm sanctitate pectinis delectata, secretè tulit, & abijt. Corporibus verò effossis, & in scrinio decenter compositis, cùm manè Abbas cum eis proficiscisci proposuisset, eadem nocte in forma & habitu virginali, illi in somnis apparentes, dixerunt; Tecum ire non possumus. Quibus cùm respondisset; Quare dilectissimæ dominæ? subiunxit vna; Quia pectinem meum perdidi, quē mihi mater mea dedit cùm de patria mea egrederer. Et ille: Quis habet illū, domina mea? respondit; Quando Vlricus sepulchrum meum aperuit, & vidisset illum, chirothecę suę imposuit, cum qua abscondit illum in sinu suo; quem cùm extractum super marginem fossæ posuisset, superueniens quædam sanctimonialis Friderindis nomine, furata est illum, Manē ad Abbatissam veniens ait; Quod est nomen hominis, qui virgines has effodit? respondit, Vlricus: & adiecit, Est hic aliqua domina, quæ vocetur Friderindis? respondente ea; Etiam, subiecit. Peto vt vterque vocetur: quod cū factum esset, ait Vlrico; Quando corpora sacra effodisti, pectinem ibi inuenisti, cætera quæ supradicta sunt adiungens. Respondente illo, Domine verum est. Conuersus ad Friderinden dixit, Et vos domina tulistis illum: qua confitente, subintulit;

Rogo

Rogo vt restituatis pectinem, quia sine illo mecum ire renuunt. quem cùm celerius retulisset, & ab Abbate in scrinio positus fuisset, ad monasterium suum illas deuexit, in quo cum multa gloria sunt susceptæ, & in loco honesto locatæ. In magna fuerant veneratione, sed hoc quàm diu vixit Abbas ille, cui se reuelauerant. Tempore schismatis, quod erat inter Philippum & Ottonem reges Romanorum, cùm diuersa bella occuparent Thuringiam, timore illorum, eadem sacra corpora cum cæteris reliquijs & ornamentis, deportata sunt super quandam testudinem, locum secretum satis. Pace terræ reddita, cũ singula locis suis restituerentur, scrinium cum virginibus neglectum est in iam dicta testudine: vnde indignantes, duabus vicibus thecam suam terribiliter concusserunt, ita vt ab omnibus posset audiri: bis etiam sacristæ in somnis apparuerunt dicentes, quòd recedere vellent de loco, in quo ita haberentur contemptui. Quæ cùm non proficerent, neque concussionibus, neque reuelationibus, in quadam nocte solenni, infra matutinas, ante gradum presbyterij stantes, & in habitu decẽtissimo omnibus apparentes, primùm inclinauerunt versus altare, deindè more eorum, qui in via sunt dirigendi, se vertentes Abbati, & omnibus inclinantes, per quoddam ostium, quod penè semper clausum erat, exierunt: quas licèt omnes vidissent, æstimabant tamen singuli, se illas singulariter vidisse. Dictis matutinis, vnus monachorum, ducto seorsum Abbate, confessus est se ante gradum, hora & modo prædicto, tres speciosissimas vidisse virgines. Cui cùm respondisset, Et ego vidi; venerunt alij, & responsum est eis simile: cumq; deprehendisset, quòd ab omnibus visæ fuissent, cœpit cum omnibus quæstionari, quænam essent, vel quæ causa foret visionis. Cui cùm diuersi diuersa responderent,

derunt, ait vnus, diuinitus vt puto inspiratus; Puto eas fuisse sacras illas virgines, quæ de Colonia nobis allatæ, tanto tempore super testudinẽ talem à nobis neglectæ sunt. Statim accedentes ad scrinium, cùm nihil in eo reperissent, territi Abbatem miserunt Coloniam, vt illas reduceret. Veniens verò Coloniam, cùm Abbatissæ & conuentui rem per ordinem recitasset, atque easdem virgines in locis, vnde sublatæ fuerant reperissent. Abbati, vt sibi redderentur supplicanti, totus conuentus respondit; Bene veniant nobis dilectissimæ domicellæ nostræ, bene veniant, certè ex quo vobiscum esse noluerunt, non eas illuc remittemus: datumque ei est caput cuiusdam alterius virginis, cum quo tristis repedauit. Adhuc puto eandem Friderindim viuere, & vix aliqua soror est in eadem ecclesia, quam tam iocunda lateat historia.

CAPVT LXXXVI.

SVnt apud nos de eodem sacro collegio duæ sacræ virgines, etiam per reuelationes iuuentæ. Domina Eufemia Abbatissa, quæ ante annos paucos defuncta est, cũ adhuc puella esset, in scholis, duæ ei virgines in somnis apparuerunt, quæ sub extrema parte dormitorij, quod cellario continuum erat, se indignè iacere conquestæ sunt. Illa, sicut puella, visum vt visum reputans, tacuit: postea cùm esset adulta, secundò ei in loco eodem, sub forma & habitu speciosissimarum virginum cingulo tenus apparuerunt; quasi dicerent; Exire de loco isto non possumus, nisi per te. Tunc memor primæ visionis, eam quæ potior videbatur, interrogauit dicens, Quod est nomen tuum? respondit illa, Anastasia. Ab illo tempore, Eufemia importunè cõuentui cœpit suggerere, quatenus cellarium vsque

vsque ad finem dormitorij extenderent, dicens sine ambiguitate, duas ibi virgines esse reperiendas: pollicebatur etiam, quod tres solidos communibus expensis superadderet. Acquiuit tandem cõuentus, &, sicut mihi retulit Rembodo Conuersus noster, cui idem opus fuerat commissum, cum terra tota fuisset eiecta, in præsentia prædictæ sanctimonialis, sub fundamento muri, sacra illa duo corpora sunt reperta; quę illa, prius quàm Abbatissa fieret, nobis transmisit, & celebrata est de eis eodem die missa solenniter in conuentu. APOLLONIVS: Non putabam hactenus, tam efficaces esse visiones nocturnas. CAESARIVS: Sæpe per ardentia luminaria corpora earum ostenduntur, nec tamen eadem luminaria, vt aiunt, quis videre potest, nisi corpore sit virgo. Multa de huiusmodi visionibus Conradus Prior loci sanctæ Mariæ dicere consueuit, quæ causa breuitatis omitto. APOLLONIVS: Placetne sacris illis virginibus, quod sic earum corpora per diuersas prouincias diuiduntur? CEASARIVS: Ad hoc se ostendere dignantur vt in multis locis earum memoria habeatur.

CAPVT LXXXVII.

HOmo quidam religiosus de ordine viatorum, cùm apud quandam matronam Tuitiensem hospitaretur, conquestus est illi, quod decem annis laborasset pro reliquis sanctarum vndecim milium virginum, nec aliquid tamen ex eis posset obtinere. Cuius ad hoc, cùm auxilium imploraſſet, illa homini compassa, ecclesiam earum adijt, sororibus pro eo preces porrigere volens: cumque ad tumbã vnius virginis oraret, genu lapidi superposito, qui maximus erat, apponens manum

manum tentauit, quod tamen fieri posse non sperauit: Mira pietas sacrarum martyrum, mox vt imbecillis fœmina lapidem pressit modicum, ille cessit, adeo vt ea quæ intus erant videret: quæ dum nullum adesse conspiceret, manu immissa, quantum voluit, de ossibus tulit, dans ea viatori. Statimque lapide, qui vix à sex viris absque instrumẽtis moueri poterat, eadem, qua prius facilitate, reuoluto, gratias sanctis agens virginibus, læta redijt ad sua. Sanctorum animę, licèt semper vultum contemplentur diuinum, habent tamen respectum ad corpora sua, & cùm viderint nos deuotos circa illa, multum in hoc delectantur.

CAPVT LXXXVIII.

COnuersus quidam de ordine nostro, cùm ex eadem societate quædam virginum capita ad monasterium suum deferret, ex deuotione ea cum vino lauit, lota deosculans: eadem nocte puella valde speciosa in somnis eidem apparuit Conuerso, eumque complexans, ait; Heri quando caput meum lauisti, tam amicabiliter me deosculatus es, ego tibi modò vicem rependam. Ille professionem suam considerans, vt osculum puellæ vitaret, caput retraxit, sicque ex eodem motu euigilauit, qui statim intellexit visionem. APOLLONIVS: Cùm in stratis & hortis ciuitatis Coloniæ, beatarum virginum vndecim milium passim ossa reperiantur, videtur mihi vix fieri posse, quin sæpe aliena eis ossa admisceantur. CAESARIVS: Retulit mihi monachus quidam de veteri Monte, in quo amplius quàm mille dicuntur esse corpora, quod nullas falsas inter se esse pantiantur reliquias.

CAP-

CAPVT LXXXIX.

TEmpore quodam, cùm plurima illic allata fuissent corpora, monachi lauerunt illa; cumque eadem posuissent super sedes capituli, pannis mundis substratis, & siccarentur, fœtor intolerabilis quasi ex eis exhalans, omnium nares infecit. Timens Dominus Gosvvinus Abbas fœtorem eundem ex aliquo diaboli ludibrio fuisse creatum, vt per eum deuotionem fratrum erga reliquias martyrum extingueret, assumptis secum sacerdotibus, vestes sacras induit, cum quibus circa ostium capituli stans sic ait; Adiuro te immunde spiritus, per eum qui vêturus est iudicare viuos & mortuos & seculum per ignẽ, vt si aliquid tui operis est in hoc fœtore, manifestetur & annihiletur, desque honorẽ Deo, & sanctis his. Mira res; vix verba cõpleuerat, & ecce, os grãde equinum, cunctis videtibus, de medio reliquiarum exiliens, extra capitulũ, quasi turbine impulsum, proiectum est, cum quo & omnis fœtor extractus est, aduenitq; odor suauissimus. Tunc omnes Deo gratias egerũt, qui & diabolũ in suo opere cõfudit, & sanctos suos glorificauit. Hæc te de virginib° audiuisse sufficiat. Referam tibi adhuc vnã visionẽ mirificã à virgine visam, quæ supradictis ordinibus æqualiter conueniat, & virginum visiones concludat.

CAPVT XC.

NArrauit mihi nuper sacerdos quidam de Saxonia, in quodam monasterio, cuius nomen mihi exprimere non potuit, puellam fuisse paruulam, quæ tantùm festiuis noctibus, vigilijs solennibus interesse permittebatur, & eisdem nõdum expletis, ire dormitum compellebatur. In quadam festiuitate, cum magistra in tertio, vt puto, nocturno, virginem scapulis ad exeundum impel-

impelleret, & illa renitereturnec proficeret, tristis quidem exiuit, sed iuxta chorum remanens, residua peraudire voluit: cumque inceptus fuisset hymnus, Te Deum laudamus, cœlos vidit aperiri, & in ipsos chorum cũ cantantibus subleuari: quãdo ventum est ad locum illum; Tibi omnes angeli, & reliqua, vidit vniuersos ordines angelorum & singulorum ordinum angelos singulos; demissis capitibus, flexisque genibus, manibus extensis Deũ adorare, simul omnibus proclamantibus, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth, qui Trinitatem personarum in vnitate essentiæ confitebantur. Similiter fecerunt Apostoli ad illum locum, Te gloriosus Apostolorum chorus. Et cùm chorus incœpisset, Te prophetarum laudabilis numerus, omnes Patriarchæ & Prophetæ prædicto modo adorabant. Venerunt & martyres in suis distinctionibus & in proximo versiculo, scilicet, Te martyrum candidatus laudat exercitus, in laudem erumpentes, maiestati procidebant. Idem de Confessoribus vidit atque Virginibus. Cùmque extremus hymni versiculus, id est, In te Domine sperauì non confundar, decantaretur, chorus ad terram descendit, & cœlum se clausit. Puella omnia hæc videns, & suspirans se tanto bono defraudatam, oculis proprijs conquesta est; cumque vbertim fleret, & manê sororibus, causam sciscitantibus, visum dicere nollet, magistra eam aggressa est: cui respondit, Deus vobis ignoscat; quod tantam mihi gratiam hac nocte subtraxisti; & recitauit ei visionem. Cui illa, Noli flere bona filia, nunquam de cætero te exire compellam. APOLLONIVS: Mirifica sunt quæ recitas. CAESARIVS: Vis nunc audire octauo loco ex his aliqua quæ visu, auditu, & gustu percepta sunt, nec tamen prædictis ordinibus propter distantiam inseri potuerunt? APOLLONIVS:

Volo, ac desidero. CAESARIVS: Sicut in capite huius distinctionis præmissum est, scalam erexi, per quam humanæ visioni sancti condescenderet, cuius duo latera, duo dixi genera visionum, corporale, & spirituale: octo etiam inserui scandilia, supremum attribuens Christo, reliqua sex, sex ordinibus sanctorum, de quibus sufficienter dictum est. In octauo autem gradu diuersarum rerum visiones locabo, primò tamen eam, quæ visa est de loco nostro.

CAPVT XCI.

Visiones re-rum diuersarum, & de monasterio Heilerbacensi.

DIV antequam conuentus noster de Claustro emissus fuisset, dominus Hermannus, nunc Abbas loci Sanctæ Mariæ, tunc simplex monachus in Claustro, nocte quadam per visum ante gradum presbyterij sibi stare videbatur, & datus est ei in manus crucifixus, vt fieri solet in emissione alicuius conuentus: stabant & circa eum viri candidati. Vidit etiam in choro fluuium limpidissimũ, qui per vtrumque chorum fluebat, & in eo nauim, quam conscendens, cùm tam rapidissimus esset cursus eius, vt nauis in vnam calumnarum impegisset, nisi per temonem eius industria fuisset auersa, non stetit, donec veniret ad locum quendam infirmitorio nostro proximum. Venerunt & cum eo supradicti viri candidati. Tunc ossa arida humana cũ capitibus ex omni parte mirabili quadam virtute à deforis vltra murum cadebant; erat enim, vt Ezechielis visionis recordor, multa valdè. Stante conuentu inter montem Stromberch & iam dictum locum; Saluator, qui inter eos stare visus est, vnum ex monachis durè satis retraxit, aliũ modestius amouens, seorsum statuit. Ecce talis fuit visio. APOLLONIVS: Quæ est illius interpretatio? CAESARIVS: Deus illi præostendit, quæ futura

Ezech. 37.

tura erant de loco nostro, tunc quidem obscura, modò plana valdè. Dominus Philippus Coloniensis Archiepiscopus, sciens ordinem vigere in Hemmenrode, & de illo limpidissimo fluento, ariditatem suæ diœcesis irrigare desiderans, de eadem domo conuentum sibi dari petiuit & obtinuit: electi sunt ex monachis duodecim, & prædictus Hermannus in Abbatem eis ordinatus est: qui ante gradum presbyterij, vt longè ante præuiderat, crucem suscipiens, cum eis per nauigium venit in montem Stromberg. In quo tribus annis commorati, descenderunt in vallem, quę nunc dicitur vallis S. Petri, illic muro, de quo suprà dictum est, se claudentes. Ossa illa arida, designant homines seculares spiritualis gratiæ immunes, qui in valle conuersi sunt ad vitam religiosam. Fluuius qui per oratorium cum impetu fluebat, significat domus eius religionem, quæ clara est per puritatem traditionũ, & impetuosa per feruorem obseruationum. Quod nauim à columna auertit, sine causa non fuit; nam cum conuentus super præfatum venisset montem, & multa necessaria deessent, quidam reminiscentes ædificiorum, & aliorum multorum quæ dimiserant, & murmurantes vellent redire, dominus Hermannus Abbas cùm semel ac secundò de perseuerantia eos monuisset, nec profecisset, quasi temone nauem à columna submouens, ait; Cessate, state, nullus nostrum reuertetur: ego autem temonem abieci. Is autem quem durè retraxit Christus, cum alijs quidem scriptus fuerat & nominatus, sed subsequentis importuna petitione submotus; ipse est Ioannes sacerdos, quem Dominus modestè extrahens, seorsum stare fecit; cum conuentu emissus, cum conuentu non stetit, quia per licentiã extortam remissus est. Hęc est visionis interpretatio, secundùm quod ab ipso didici Abbate Hermanno.

APOLLONIVS: Nihil hic, vt video, actum est sine nutu diuino. CAESARIVS: Nauigantibus eis in Rheno, sicut adhuc omnes, qui ex eis viuunt testes sunt, viderunt supra se in cælo circulum lucidum & septem in eo soles. APOLLONIVS: Quid per circulum, vel quid per septem soles videtur tibi intelligendum? CAESARIVS: Per circulum eundem intelligo æternitatem sancti Spiritus, per septem soles, septem eius dona, quibus bono exemplo eiusdem congregationis prouincia erat illuminanda.

CAPVT XCII.

De aqua benedicta.

QVidam Conuersus, qui cum eodem conuentu missus est, Rudolphus nomine, vir bonus ac religiosus, cùm die quadam de priuata veniens, illotis manibus oratorium nostrum intraret, & ex ordine se aspergere teneretur, intra suas cogitationes dicere cœpit; A qua hæc sancta est, & benedicta, nec decet vt manibus immundis te illa aspergas: cui mox in aëre vox clara respondit; Quod ego mundaui, tu non potes polluere. Et cognouit ibi, magis Deo displicere immunditias cordis, quã corporis; in animæ puritate Deus delectatur.

CAPVT XCIII.

Puritas mentis.

MOnacho cuidam Deus ostendere volens animæ suæ puritatem, in excessum mentis illum adduxit: in quo excessu puerum pulcherrimum intra sua viscera contemplatus est. Ad se autem reuersus, intellexit eundem fuisse animã suam Dei munere ab omni labe criminum mundatam: puer enim, à puritate dictus est. APOLLONIVS: Puto quod non sit tutum, si homo multis consolationes suas manifestet. CAESARIVS: Per multos labores & tentationes, & hoc secretè, diuinæ

uinæ consolationes adipiscuntur, & facilè, manifestatæ, subtrahuntur. Vtrumque verum esse, singulis tibi ostendam exemplis.

CAPVT XCIIII.

Consolatio obtenta pro afflictione.

DVM nuper, hoc anno scilicet, in quadam domo sanctimonialium ordinis nostri, à cellerraria per totum cõuentum pictantia, id est, oua frixa diuiderentur, nescio quo casu, vna ex eis neglecta est: non tamen arbitror actum casu, sed diuino nutu, vt Dei gloria manifestaretur in illa; patiẽtissimè autem defectum illum sustinens, imò neglectam se gratulans, cum Deo gratias referret, summus ille Abbas, inuisibilem ei pictantiam misit: cuius inenarrabili dulcedine sic repletum est os eius, fauces, viscera, & venter, vt nunquam aliquid tale in vita sua sentiret, corporalis erat hæc dulcedo. Porrò in mente & anima, dulcedine spirituali Deus tam copiosè visitauit eam, vt diceret Abbati nostro, quod omnibus diebus vitæ suæ pictantijs omnibus carere vellet, dummodò in consimili dulcedine, & hoc vna tantùm vice, sibi liceret deliciari. Pro qua idem Abbas noster, ad eius petitionem, pro gratiarum actione, hymnum, Te Deum laudamus, singulis nobis iniunxit. APOLLONIVS: Si Deus sic excellenter tantillum remunerat in præsenti vita, non ambigo quin magnas tribulationes mirificè remuneret in futuro. CAESARIVS: Quod facilè huiusmodi consolationes in præsenti perdantur, ecce exemplum.

CAPVT XCV.

Consolatio in præsenti, facilè perdi-

CONuersus quidam in Hemmenrode, cùm in orationibus suis mellifluam diuinitùs accepisset dulcedinẽ, & ob hoc sæpe labores suos

cum dum manifestatur.

negligeret, magister suus crebrò eum arguit, dicens; Frater, certis temporibus est orandum, & certis temporibus laborandum. Ille, sicut homo simplex, vt increpantem placaret respondit; O magister, si sciretis causam, non mihi imputaretis: rogo vt detis mihi osculum: putabat enim quod impressione labiorum, eandem posset sentire dulcedinem. Cui mox vt osculum dedit ille, gratiam irrecuperabiliter, vt puto, perdidit iste. Simile penè habes suprà cap. 41. de Conuerso, qui angelum sæpe vidit, & dicendo, gratiam perdidit. Causas verò subtractionis gratiæ in præsenti, plures esse alibi tibi assignaui. Quidam tamen, licèt alijs sibi diuinitùs ostensa referant, non ob hoc gratiam perdunt, sicut suprà dictum est de Henrico Conuerso in Hemmenrode.

CAPVT XCVI.

HEnricus idem cùm grangiæ, quæ Hart dicitur, præesset, & die quadam in Maio segetes cortis, orationes suas ruminando, solitarius circuiret, hominem quendam sub arbore, piro scilicet, quæ illic in agro singulariter sita est, contra se stare conspexit: erat autem decentis staturæ, capillis canus, barba prolixa, tunicam habens talarem & clausam, scapulare verò latum vltra genua longum, eratque vultus eius angelicus: quem cùm proprius accedés salutasset, dicens; Benedicite frater, respondit ille, Dominus; & adiunxit, Quomodo placet tibi ordo tuus frater? Conuerso respondente, Bene, iterum adiecit; Bene tibi placere debet, quia nulla vita tantæ perfectionis est in ecclesia Dei. Cuius aspectus, cùm multam Conuerso incuteret reuerentiam, volens Conuersus aliquam ei dare occasionem petendi aliquid, ait; Cur sic nudis inceditis pedibus? respondente illo talis est cõsuetudo

suetudo nostra, subiũxit; Peto vt mihi liceat vobis dare calceos, & nobiscum hodie prandeatis. Et recusauit vtrumq; dicens, Modicus cibus mihi sufficit, & socijs meis. Cumq; aliqua secretius tractassent, is qui viator videbatur, Cõuerso alium diem ad eundem locum præfixit, à quò modicum discedens, in plano loco nusquam comparuit. Quo viso, Henricus expauit, festinansq; ad Claustrũ, Priori suo Hermanno, nunc Abbati in loco Sanctæ Mariæ, quæ dicta sunt, vel gesta, per ordinẽ recitauit. Cui ille, Cautus esto frater, quia non omne verum est, quod verum apparet: mox vt eum videris ex remoto, signabis te, & cùm propinquaueris ei, iterũ eo vidente signabis te, dicesque, Benedicite. Quod cum fecisset, subrisit ille dicens; Iustè facis signando te, quia nõ omne verum est, quod verum apparet: neq; hoc ipsum habes à te, sed Prior tuus te docuit: ego, inquit, illum diligo, eò quod religiosus sit, & amator disciplinæ, & quia quotidie orat pro omni ecclesia & ordine. Quod & verum est. Mentionem etiã habuit domini Eustachij Abbatis Claustri, & domini Henrici Abbatis nostri, in illo aliqua corripiens, & in isto plura commendans. Et recitauit ei omnia more Elisæi, quæ in conclaui cum Priore, siue alijs, fuerat locutus. Postea, cùm idem Conuersus, die quadam dicto completorio aliquid obtinere niteretur à Deo venijs & lacrymis, & non profecisset, ille curia clausa, ostioque firmato diligenter oratorij, ad eum intrauit, increpans eum, & dicens; Stolide, putas quod vi possis aliquid extoquere à Deo? si non esset tibi modò parcitum propter Priorem tuum, fortè amentiam incurrisses. Nocte quadam, cùm idem Henricus defuncto aliquo in ecclesiam deportato, sedisset ante altare infirmorum, viator (de quo dicere non possum, vtrum angelus fuerit, an homo) ei apparens

4. Reg. 5. 9.

rens signauit vbi Prior esset: cui cùm ille resignasset, in infirmatorio est, signo respondit, Ego noui hoc, bene est ibi: inclinansque coram eodem altari, recedens, & ante alia tria altaria, quæ sunt in abside, simile faciens, chorum monachorum intrauit, & non comparuit. Sæpè illum testabatur se vidisse in choro circumeũtem in multa claritate. Cui cùm ex parte Prioris Conuersus tunicam obtulisset & cingulum, tunicam recusauit, cingulo suscepto, Ego, inquit, illud dabo bono cuidam monacho Eberbacensi, & magis ei proderit, quàm si ego vterer illo. Remisit ei & cingulum laneum, pretio quidem vilissimum, sed virtute pretiosum; per quod & sanitates factæ sunt, & plurimum valet contra stimulum carnis. Quem cùm etiam rogaret, vt se Priori ostendere dignaretur, respõdit: Dominus noster nos frequenter mittit Ierosolymam, & ad alia æquè remota loca, & si videret me Prior, posset per eius interrogationes, legatio mea impediri: & adiecit, Dic Priori vt solicitus sit circa excitandos fratres, ne dormiant cùm pro defunctis cantant; quia sicut milites congregantur ad torneamentum, ita animæ confluunt ad officium defunctorum. APOLLONIVS: Puto quod mortui viuis in hoc officio solicitis, dum indigent, vicem charitatis rependant. CAESARIVS: Hoc tibi vno ostendam exemplo.

CAPVT XCVII.

Oratio pro defuncti remuneratio.

** al. Euerhardus.*

EST quidam canonicus in Aldensele, * Rudolphus nomine, homo grandæuus, & circa officia diuina valde solicitus: nunquam aliquam horam in choro negligit, dummodo incedere possit, sicut testis est Alardus noster nouitius, quãdoq; illius concanonicus. Quodam tempore, dũ defectũ naturæ pateretur, ita vt incedere non valens lecto decum-

decumberet, nec tamen aliquid doloris sentiret, cùm horas suas dicere non posset, quosdam viros candidos in superpellicijs, & tonsura clericorum, certis horis adesse vidit, qui ei omnes horas decantabant: quibus dictis, dicebant: ad inuicem, Modò exeamus, & sinamus eum quiescere. Quos cùm frequenter contemplaretur, & filiam sororis, quæ ei ministrabat, non posse illos videre deprehendisset, intellexit quia animæ concanonicorum eius essent, quibus ipse beneficia impenderat. Quia ad sacramenta corporis & sanguinis Christi festino, diuersis hic visionibus finem impono.

FINIS LIBRI octaui.

PROLOGVS IN LIBRVM NONVM.

LOCVTVRVS tecum de sacramẽto corporis & sanguinis Christi, cum timore illud attẽto, quia vbi sola fides operatur, & rationis iudicium excluditur, non sine periculo discurritur: vnde nil noui, siue inusitati inde dicere præsumo, sed quæ sancti, siue doctores eximij de illo senserunt, summatim replicabo. Adijciam & exempla plurima, quæ mihi à personis probatis memini recitata: in quibus si aliqua fuerint quæstione digna, vt scrupulus remoueatur, tua discutiantur interrogatione.

CAPITA LIBRI noni.

De sacramento corporis & sanguinis Christi, quid sit sacramentum, quæ res sacramenti, quæ causa institutionis, quæ forma, quis modus conuersionis, vel sumptionis cap. primum.

De Godescalco de Volmensteine, qui Christum sub specie infantis in manibus suis vidit cap. 2.

De Adolpho sacerdote, qui in hostia vidit virginem cum infante, deinde agnum, postea crucifixum cap. 3.

De Episcopo Liuonia, qui Christum vidit in altari cap. 4.

De sacerdote de Vvickindisburg, qui in canone dubitans, vidit crudam carnem cap. 5.

De sacerdote, qui hostiam in ore, ob maleficia seruans, de ecclesia egredi non potuit cap. 6.

De corpore Domini ex ecclesia sublato, quod à bobus in agro proditum est cap. 7.

De apibus, quæ basilicam corpori Dominico fabricauerunt cap. 8.

De pœna mulieris paralitica, propter corpus Domini, quod super caules suos seminauerat cap. 9.

De musca, quæ circa corpus Domini in hora sumptionis volitans, mortis pœnam soluit cap. 10.

De muribus, qui hostias non benedictas rodentes, litteras non tetigerunt cap. 11.

De corpore Domini, quod in flumen proiectum, hæreticos demersit cap. 12.

De corpore Domini, quod naue confracta ad reliquas naues natauit cap. 13.

De corpore Domini, quod Colonia de manibus sacerdotis

dotis labens, lapidi miraculosè impressum est cap. 14.

De hostijs in Hainrode clericorum insania excussis. cap 15.

De ecclesia combusta & corpore Domini intacto ca. 16.

De Abbate Daniele, qui formam sanguinis vidit in calice cap. 17.

De Heilardo sacerdote de VVunnisdorp, qui formam humani cruoris vidit in calice cap. 18.

De ciue Hildesheimensi, qui in canone vidit calicem, cũ dubitaret, sanguine Domini exuberantem, cap. 19.

De Hertuuico scholare, qui vidit formam sanguinis in calice in Risene cap. 20.

De Hildebrando sacerdote de Mescede, qui vidit speciem cruoris in calice cum duobus militibus cap. 21.

De corporali sacramento infuso, quod ablui nõ potuit, donec inclusa dubitans illud videret cap. 22.

De corporali infuso, in quo sanguis humanus apparuit cap. 23.

De infirmo, cui ablutio conuersa est in sanguinem cap. 24.

De nobili fœmina, cui vltima ablutio per panem suscepta conuersa est in sanguinem cap. 25.

Qualis debeat esse vita sacerdotum cap. 26.

Quæ exigantur in sacerdote vt Christi corpus posit conficere cap. 27.

De sacerdote Claustri, in cuius manibus infra canonem Christus visus est cap. 28.

De Hermanno Abbate, in cuius manibus Henricus de Hart, Christum vidit immissa cap. 29.

De sacerdote, qui infra canonem à terra eleuatur cap. 30.

De Vlri-

De Vlrico monacho Vilariensi cap. 31.
De sacerdote, cui Dominus tantam contulit deuotionem, vt venter eius dirumpi videatur accedenti ad altare cap. 32.
De Richmunde, quæ hostiam eleuatione ad instar crystalli vidit perlucidam cap. 33.
De deuotione eiusdem quando communicabat, & de claritate quam vidit super altare in canone cap. 34.
De fœmina religiosa Brabantiæ, quam CHRISTVS proprijs manibus communicauit cap. 35.
De Hildegunde vidua, quam Christus per seipsum communicauit cap. 36.
De Conuerso Liuoniæ, qui communicare desiderans, hostiam reperit in ore suo cap. 37.
De Erkenbaldo de Burban, cui idem contigit cùm ei ob occasionem cognati sacramentum fuisset negatum cap. 38.
De corporali dulcedine sanctimonialis, quam percepit in sacro canone cap. 39.
De dulcedine Alheydis Abbatissæ Monasteriensis ex sacra communione cap. 40.
De Cõuerso, qui communicaturus vidit Christum sanguinem suum quasi stillare in calicem cap. 41.
De Conuerso, qui vidit in os alterius Conuersi sacerdotem mittere puerum pulcherrimum cap. 42.
De Mauricio episcopo Parisiensi, qui in fine suo per communionem sacram, sensum recepit ca. 43.
De puerulo, qui hostiam non benedictam corpus non esse Domini deprehendit cap. 44.
De Conuerso, qui per desiderium communicandi spiritum meruit prophetiæ cap. 45.
De fœmina religiosa, quæ communione sibi negata, dulcedinem eius sensit in gutture, similiter illius odorem

odorem ex remoto percipiens cap. 46.
De fœmina quæ de solo corpore Christi vixit cap. 47.
De milite, qui virtute sacræ communionis in duello triumphauit cap. 48.
De milite, qui suspensus mori non potuit, donec Christi corpus percepit cap. 49.
De ancilla sacerdotis, quæ gratia Dominici corporis sensum recepit cap. 50.
De milite, qui coram Christi corpore in luto veniam petens, lutii immunditiæ non sensit cap. 51.
De hæreticis, qui in ecclesijs furati sunt corpus Domini, & vno propter hoc suspenso cap. 52.
De sacerdotibus indignè conficientibus cap. 53.
De sacerdote in Hadenmare, qui carbones visus est masticare in perceptione sacramenti cap. 54.
De sacerdote Frisone, qui calcauit corpus Domini. cap. 55.
De Petro medico, qui sub specie panis tantum credidit esse sacramentum, & non rem cap. 56.
De sacerdote malo, à quo infans Christus in missa faciem auertit cap. 57.
De Eruuino sacerdote, qui corpus Domini in missa perdidit cap. 58.
De Daniele Abbate, qui in calice reperit crudam carnem cap. 59.
De sacerdote sine ordinibus celebrante, cuius manus sacer ignis deuorauit cap. 60.
De alio, qui sine ordinibus celebrans, crucifixum vidit lacrymantem cap. 61.
Quomodo sacra Eucharistia sumi debeat cap. 62.
De Vvirico Conuerso, qui carbones sumere visus est loco sacramenti cap. 63.
De Conuerso proprietario, qui corpus Christi sumere non

non potuit cap. 64.
De hostia, quæ in Belle de corporali resiliuit ob vermiculum in ea decoctum cap. 65.
De corporali quod ob tactum impregnatæ sanctimonialis sanguineam contraxit maculam cap. 66.
De corporali, quod Godescalchus in exiccatione rupit, & diuina virtus reparauit cap. 67.

DE SACRAMENTO CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI LIBRI NONI

CAPVT PRIMVM.

CAESARIVS:

De ipso Eucharistiæ sacramento.

NIVERSA ecclesiæ sacramenta, corporis & sanguinis Christi sacramentum præcellit: in ipso via, veritas, & vita: via, quia dignè accedentes ducit ad Deum; vnde & viaticum dicitur: veritas, quia edentes Christo incorporat, vnde & sacra communio vocatur: vita, quia Christo incorporatos in anima mori non sinit, vnde & Eucharistia dicitur, id est, bona gratia. De primo Saluator dicit; Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, & cæt. ecce via. Qui descendit, ipse est & qui ascendit, secum ducens omnia sua membra; alia in re, alia verò in spe. De secundo idem dicit; Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè potus est: ecce veritas. Ait & de tertio; Qui manducat panem hunc, viuet in æternum: ecce vita. Simile intelligas de calice. Nec absque mysterio de corpore & sanguine Christi in nona distinctione tractandum suspicor, quia numerum nouenarium philosophus exterminatori omnium, id est, morti assignauit: & Christus, qui est vita omnium, nona hora diei in cruce expirauit. Sacramentum hoc fit in commemorationem dominicæ mortis. Vnde Apostolus in prima epistola Corinthijs scribit dicens; Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, id est, repræsentabitis, donec veniat, ad iudicium scilicet: ita glosa exponit. Apparente eo in gloria, cessabit figura. Omnia quæ in superioribus distinctionibus dicta sunt, scilicet de conuersione, de contritione, confessione, satisfactione & simplicitate, quædam præparamenta sunt ad hoc sacramentum. Nullæ etiam visiones magis fidem roborant, quàm cùm eum, quem sub specie panis & vini latere credimus, oculis corporeis intuemur. APOLLONIVS: Antequam mihi visiones edifferas, peto vt breuiter me expedias, quid sit hoc sacramẽtum, quæ res sacramẽti, quæ causa institutionis, quę forma, quis modus conuersionis, quis modus sumptionis. CAESAR. De Sacramento Eucharistiæ tractandum est cũ timore ac reuerentia, quia magis in illo operatur fides, quã ratio humana: audi tamen breuiter quæ maiores nostri de illo senserunt. Tria sunt in sacramento hoc consideranda, vnum quod tantũ est sacramentum; alterum, quod est sacramẽtum & res; tertium, quod est res, & non sacramentum.

Ioan. 6.

Ephes. 4.

Ioan. 6.

Ibidem.

1. Cor. 11.

Haymo in eum locum.

Tria in Eucharistia cõsideranda.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

tum. APOLLONIVS: Quid est sacramentum tantum? CAESARIVS: Species visibilis panis & vini. APOLLONIVS: Quid est sacramentum & res? CAESARIVS: Caro Christi propria & sanguis. APOLLON. Quid est res & non sacramẽtum? CAESAR. Mystica Christi caro, ecclesiæ scilicet vnitas. APOLLON. Quare dicitur sacramentũ? CAESARIVS: Quia sacræ rei est signũ, aliud ibi videtur, & aliud ibi creditur. APOLLONIVS: Quæ fuit causa institutionis? CAESARIVS: Quia Dominus, vt dicit Eusebius Emissenus, corpus assumptum ablaturus erat ab oculis nostris, & illãturus sideribus, necesse erat vt in die cœnæ sacramentum veri corporis & sanguinis consecraret, vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium. APOLLONIVS: Quæ est vtilitas in hac institutione? CAESARIVS: Duplex est in eo vtilitas, quia in illius perceptione augetur virtus, id est, charitas, & est medicina quotidianæ infirmitatis: vnde Augustinus, Iteratur quotidie hæc oblatio, licèt Christus semel passus sit, quia quotidie in peccatis labimur, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest: & quia quotidie labimur, quotidie Christus pro nobis mysticè immolatur. APOLLONIVS: Quæ est forma huius sacramenti? CAESARIVS: Forma attenditur in verbis, & in rebus: in verbis, quia cùm hæc verba proferuntur, Hoc est enim corpus meũ: & post, Hic est sanguis meus, conuersio fit panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Vnde Ambrosius, Sermone Christi hoc conficitur sacramentum, quia sermo Christi creaturam mutat, & sic ex pane fit corpus Christi, & vinum cum aqua in calicem missum fit sanguis, consecratione verbi cœlestis. APOLLONIVS: Quis est modus conuersionis? CAESARIVS: Modus est ineffabilis:

Causa institutionis.

Emis. hom. 5. de Paschate.

Vtilitas.

Haymo. in c. 10. epist. ad Hebr.

Forma.

A Ambros. l. 4. de sacra. ca. 4. & de ijs qui mystè. initi c. 9.

Modus conuersionis.

panis,

panis, vt dictum est, cùm hæc verba proferuntur, Hoc est corpus meum, Dei virtute per ministeriũ sacerdotis, transit in corpus Christi: simile intelligas de vino, manentibus tamen accidentibus, colore scilicet, pondere, & sapore. APOLLONIVS: Potest de aliquo grano, nisi de frumento, hoc sacramentũ confici? CAESARIVS: Sicut sanguis non conficitur nisi de vino, & hoc expresso, ita nec corpus Christi, nisi de frumento, & hoc in panem redacto; quia Dominus grano frumenti se comparauit, nec non & pani. APOLLONIVS: Quis est modus sumptionis? CAESARIVS: Dupliciter sumitur, spiritualiter, & sacramentaliter; bonus vtroque modo manducat, malus verò sacramentaliter tantùm: sic non manducans, manducat; & econuerso. APOLLONIVS: Quare sumitur sub duplici specie, cùm sub vtraque Christus sit totus? CAESARIVS: Vt ostenderetur totam humanam naturam suscepisse, vt totã redimeret: panis enim ad corpus, sanguis ad animam refertur. Hæc tibi breuiter dicta sufficiant, quia in sententijs de his plenius tractatur. APOLLONIVS: Cùm omnia, quæ dicta sunt, credam, quatuor tamen mihi probari desidero, non sententijs, sed exemplis. Primum est, quod sub specie panis, sit verum corpus Christi natum ex Virgine: secundum, quod sub specie vini sit verus eius sanguis: tertium, quod dignè conficientes, siue communicantes mereantur gratiam, indignè autem pœnam. CAESARIVS: dicam tibi plura de singulis exempla, fidei nostræ satis necessaria, quæ mihi à personis probatis sunt relata.

Materia.

Ioan. 12. 6.

Modus sumptionis.

Lib. 4. sent. dist. 2. & seq.

CAPVT II.

FVit apud nos monachus quidã, Godeschalcus nomine, de castro Volmensteyne oriundus, & in maiori ecclesia Coloniæ Canonicus: ante conuer-

Miracula, quibus veritas Eucharistiæ comprobatur.

betur, & primò sub specie panis.

conuersionem satis extiterat lubricus, sed bene morigeratus: modica ei scientia litterarũ inerat, sed spiritus scientiæ & pietatis, ad magnam vitæ perfectionem illum prouexerat. Hic cùm ante hos sex annos in die natalis Domini, ad priuatum quodam altare, missam cum multa deuotione & lachrymis, vt ei moris erat, inchoasset, scilicet; Puer natus est nobis, factaque transsubstantiatione, non iam in manibus suis speciem panis, sed infantem pulcherrimum, imò speciosissimum illum forma præ filijs hominum, in quem & angeli prospicere concupiscunt, tenuit & vidit: cuius charitate succensus, & mira pulchritudine delectatus, complexus est eum ac deosculatus. Timens tamen moram propter circumstantes, super corporale dilectum posuit, & ille, vt missa perfici posset, formam sacramentalem resumpsit. Quamdiu beatus ille vidit speciem infantis, nullam ibi vidit speciem panis, & econuerso. Qui cùm nescio cui visionem reuelasset, tacita persona sua, & ille alijs, quodam die de autore tantæ visionis interrogatus, me audiente respondit; Certissimè illa die CHRISTVS hic visus est, & nihil plus dicere voluit. Postea duobus sacerdotibus Theoderico scilicet de Lureke, & Constantino visionem reuelauit: quod intelligens VVinandus infirmarius noster, posito eo in infirmitorio, ait; Bone frater Godeschalce, vidistis in missa Saluatorem? Respondente illo simpliciter, Etiam, adiecit; In quali forma? In forma, inquit, infantis. Et ille, Quid fecistis ei? Respondit, Osculatus sum eum ante os suum. Ad quod VVinandus, Et quid postea actum est? Ego, ait, super altare eum posui, & reuerso eo in formam priorem, sumpsi illum. Eadem die moriens confessus est Abbati nostro domino Henrico. APOLLONIVS: Gloriosa sunt quæ dicis,

Psalm. 44. Pesa 11.

eis, sed miror, si talia aliquando reuelantur etiam malis sacerdotibus. CAESARIVS: Sicut bonis ad bonitatis remunerationem, ita nonnunquam dominus malis sacerdotibus se ostendere dignatur ad correctionem, verbi causa.

CAPVT III.

CVM Dominus Abbas prædictam visionem, visitandi gratia pergens in Frisiam, cuidam militi recitasset, ille Adolpho sacerdoti de Dieferne recitata replicauit: quod vbi ille audiuit, suspirans ait; Ad quid Dominus Deus viris sanctis, & in fide perfectis, talia ostendit? Mihi peccatori, meique similibus, qui sæpè de hoc Sacramento dubitamus, huiusmodi visiones deberent reuelari. Die quadam, cùm idem Adolphus missam celebraret, & ante Agnus Dei hostiam leuasset ad frangendum, in ipsa hostia virginem in sede residere, infantemque in sinu seruare contemplatus est: nosse volens quid esset, ex altera parte, mox vt hostiã vertit, agnum in ea conspexit; quam rursum regirans, vidit in ea, quasi per vitrum Christum in cruce pendentem capite inclinato. Videns hoc sacerdos extimuit, diu stans & deliberans, vtrum ibi subsistere, vel sacramentum perficere deberet; cuius fletibus Dominus placatus, sacramento formam priorem reddidit, & ille missam perfecit: cumque populus de tanta mora miraretur, ipse ambonem ascendens, cum lachrymis populo visionem retulit, & signati sunt eadem hora ab eo homines quinquaginta; erat enim octaua Apostolorum Petri & Pauli. Nec miror, si sic perspicuè, & tam iocundè, sicut Godeschalcus, eum videre non potuit, quem quotidie sibi ad iudicium immolauit & sumpsit: habebat enim concubinã: nuper tamen audiui, quod vitam suam, occasione vt fecerat, eiuf-

eiusdem visionis, emendare incipiat, & fœminam in monasterio sanctimonialium in Runengen locare proponat. Hæc mihi à Bernardo monacho nostro recitata sunt, ipsíque ab eodem Adolpho. Saluator corporis sui veritatem in hoc sacramento, vt præfatus sum, bonis sacerdotibus ostendere dignatur, vt consolentur, in fide nutantibus, vt erigantur; malè viuentibus, vt terreantur, ecce exempla.

CAPVT IIII.

VEnerabilis Episcopus Liuoniæ, & magister Lambertus Decanus sanctorum Apostolorum in Colonia, cùm ante annos paucos simul ad curiam pergerent imperialem, & in via de scripturis sermocinarentur, etiam mentio habita est de corpore Christi: Decano in hoc sacramento efferente fidem Christianam, episcopus respondit; Ego noui sacerdotem, qui nuper oculis corporalibus CHRISTVM in altari vidit. A quo cùm Decanus personam, tanta visione dignam, extorquere tunc non potuisset, vltima die quando separandi erant ab inuicem, episcopus ei confessus est, quia ipse esset. Hæc idem Decanus retulit Præposito Plessensi, & ipse mihi. Quòd verò Deus dubitantibus de hoc sacramento, etiam suam carnem ostendat, subsequens sermo declarat.

CAPVT V.

NOndum puto duos annos esse elapsos, quod sacerdos quidam de sacramento corporis Christi dubitãs, in castro, cui nomen *VVickindisburg celebrauit, qui cùm in canone de tam mirabili conuersione panis in corpus Christi hæsitaret, Dominus ei in hostia carnem crudam ostendit:

*al VVyckinsborg.

dit: hanc cùm vidisset etiam vir nobilis VVidekinus, stans post tergum eius, dicta missa sacerdotem in partem traxit, & quid infra canonem egerit, vel cogitauerit, diligenter inquisiuit. Ille verò, tam de visione, quàm interrogatione territus, confessus est, & non negauit, se eadem hora de sacramento dubitasse; & retulit vterque alteri, se crudam carnem in hostia vidisse. Idem VVidekinus filiam habet Syfridi * Rimkel in coniugio sociatam, filiam scilicet sororis Abbatissæ de Ryndorp, quæ mihi anno præterito eandem visionem recitauit. Vis etiam nosse quod malæ vitæ sacerdotibus Dominus ostẽdat, quod ab eis crucifigatur? APOLLONIVS: Volo. CAESARIVS: Audi visionem terribilem.

*al. de Runk.

CAPVT VI.

SAcerdos quidam luxuriosus, fœminam procabatur, & cum illius non posset habere consensum, dicta missa corpus Domini mundissimum in ore tenuit, sperans, si sic illam deoscularetur, quod vi sacramenti voluntas eius ad suos libitus inclinaretur: sed Dominus, qui per Malachiam Prophetam conqueritur de huiusmodi sacerdotibus dicens; Et me vos configitis gens tota die, tali ordine maleficia eius impediuit. Cùm exire vellet de ostio ecclesiæ, sic sibi crescere videbatur, vt laquear oratorij vertice pulsaret: territus miser, hostiam de ore suo extraxit, & quia mentis inops erat, in angulo ecclesiæ eam sepeliuit. Timens verò vltionem diuinam super se ocyus venturam, sacerdoti cuidam sibi familiari confessus est sacrilegium, qui simul ad locum accedentes, reiecto puluere, non repererunt speciem panis, sed formam, licèt modicam, hominis in cruce pendentis; erat enim carnea & cruenta. Quid postea de ea factum sit, vel quid sacerdos egerit, non recordor,

Malach. 3.

dor, quia diu est, ex quo hæc mihi ab Hermanno cantore nostro, cui historia satis nota erat, recitata sunt. APOLLONIVS: Deterior fuit iste crucifixoribus Christi. CAESARIVS: Verum est, quia si illi cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent: iste cognitum contempsit, & contemnendo crucifixit. Iam tibi satis probatum arbitror, quod sub specie panis, sit verum corpus Christi, & tam à malis, quàm à bonis sacerdotibus conficiatur. APOLLONIVS: Si sacerdotes omnes talia audirent, auditisque crederent, puto quod plus quàm modò deifica sacramenta honorarent. CAESARIVS: Satis mirabile est, quod nos homines, pro quorum salute hoc sacramentum institutum est, tam tepidi simus, cùm bruta animalia, vermes, & reptilia, in illo creatorem suum recognoscant.

CAPVT VII.

Bestiæ Christum in Eucharistia agnoscunt & venerantur.

IN villa, quæ Komele dicitur, nocte fures ecclesiam infringentes, inter cætera, etiam scrinium cum corpore Domini inde tulerunt: qui cùm nihil aliud in eo præter reliquias, & pixidem cum sacramento reperissent, nil prorsus de eis curantes, eandem pixidem super sulcum agri villæ proximi ponentes, confusi recesserunt. Manè cùm rusticus cum aratro & bobus in eodem agro araret, venissentque animalia iuxta pixidem, stupentia steterunt; quos cùm arator stimularet, nec procederent, nunc recalcitrando, nunc exorbitando, iratus ait; Quis diabolus est in bobus istis? non enim clarè videre poterat, quia in ortu diei arabat: diligentius tamen circũspiciens, deprehendit antè pedes boum pixidem, & scrinium ecclesiæ suæ iuxta illam. Tunc causam rebellionis non ignorans, omnibus in agro dimissis, in villam recurrit, tam sacer-

sacerdoti, quàm cæteris, quæ acta sunt, referens. Tunc omnes simul in agrum descendentes, cum cruce, thuribulo, & cereis, corpus Dominicum in ecclesiam reportauerunt: huic processioni interfuit Godefridus Prior de Houene; qui mihi ista recitauit. Similem honorem ei asini exhibuerunt, de platea in lutum descendendo, sicut me dixisse recolo distinctione 4. cap. 98. audi nunc de vermiculis.

CAPVT VIII.

MVLIER quædam cùm apes multas nutriret, & illæ non proficerẽt, imò passim morerentur, cùm contra hoc remedium circumquaque quæreret, dictum est ei, quia si corpus Domini inter illas locaret, mox lues ipsa cessaret: quæ ecclesiam adiens, & se communicare velle simulans, corpus Domini sumpsit; quod statim à sacerdote recedens extraxit, & in vno ex alueolis illud locauit. Mira Dei potentia: vermiculi creatorem agnoscentes, de fauis suis dulcissimis hospiti dulcissimo capellulam miræ structuræ fecerunt, in qua altare eiusdem materiæ erigentes, sacratissimum corpus super illud posuerunt: & benedixit Dominus operibus eorum. Processu temporis, cùm fœmina idem vasculum aperuisset, & iam dictum oratorium considerasset, expauit, currensque ad sacerdotem, confessa est ei omnia, & quæ egit, & quæ vidit. Tunc ille assumptis parœcianis suis, ad vasculum venerunt, apes circumuolantes, & in laudẽ creatoris bombilantes abegerunt, capellulæ parietes, fenestras, tectũ, campanilę, ostiũ, & altare admirãtes, corpus Domini cũ laude & gloria retulerũt. Licet aũt mirabilis sit Deꝰ in sanctis suis, mirabilior tamen in his minimis prædicatur. Ne ergo aliquis de cætero tale quid præsumat, referam tibi

Psalm. 6

tibi rem terribilem, quam mihi anno præterito magistra de insula sancti Nicolai recitauit.

CAPVT IX.

Sacra Eucharistia abutens punitur.

FVit in eadem insula puella quædam obsessa; laica tamen, quam & ego ibidem vidi. Requisitus diabolus à quodam sacerdote, cur tanto tempore, tam crudeliter Hardifa de Cogeme torqueretur, per os puellæ respondit: Quia bene & optimè meruit; ipsa altissimum super olera sua seminauit: qui cùm verbum minus intelligeret, nec ille exponere vellet, sacerdos fœminam adijt, quid de ea diabolus dixerit exposuit, monens ne negaret, si intelligeret. Quæ statim culpam confessa est dicens; Verbum bene intelligo, quod nunquam tamen homini per me publicatum est; Quando iuuencula eram, & hortum excolēdum suscepissem, nocte quadam mulierem vagam hospitio recepi; cui cùm damna horti mei exposuissem, asserens omnia olera ab erucis deuorari: respondit illa; Bonam te instruam medicinam: accipe corpus Domini. & comminue illud, sicq; super olera spargas, & statim lues cessabit. Ego misera, cui maior cura erat de horto, quàm de sacramento, cùm in pascha corpus Domini suscepissem, & extractum de ore, fecissem sicut edocta fueram, quod oleribus in remedium, mihi teste diabolo factum est in tormentum. APOLLONIVS: Crudelior erat mulier hæc ministris Pilati, qui IESV mortuo pepercerunt, ne ossa eius comminuerent. CAESARIVS: Idcirco vsque hodie luit maximū id peccatum, & sunt cruciatus eius inauditi. Attendant hanc pœnā, etsi nō culpam, qui deifica sacramenta ad temporalia, vel, quod execrabilius est, ad maleficia cōuertunt. etiā vermes, si reuerentiam circa hoc sacramentum negligant, aliquando pœna mulctantur.

CAP.

CAPVT X.

Animalia vim eius sentiunt.

ANno præterito, cùm quidam ex sacerdotibus nostris corā Episcopo Theoderico missam quotidianam de Domina nostra celebraret, in ipsa hora fractionis, musca grandis circa, & supra calicem volitare cepit, ita importunè, vt quasi vi velle intrare videretur: Sacerdos timés ac tremens, cum manus haberet occupatas, & muscam exufflaret, nec proficeret, Henricum Diaconum, qui hora eadem Episcopo pacem porrigebat, tussiendo crebrius aduocauit. Tunc illa alacri volatu altius labens, præsumptionis culpam ibi luit, quia post morulam, completa sumptione, atque ablutione, intuente sacerdote, quem turbauerat, quasi lapillus, inter corporale & calicem extincta ruit, quam Diacanus de altari proiecit. APOLLONIVS: Satis me delectat hæc narratio. CAESARIVS: Etiam Dominus in simplici pane tanto sacramento assignato, quandoque miracula operatur.

CAPVT XI.

NOndum annus vt puto transijt, quod hostiæ plures à ministris propter fissuras, siue pustulas reprobatæ, in Eberbaco in fenestra altari contigua proiectæ sunt; accedentes verò mures omnia, quæ erant extra circulos deuorabant, litteras verò & quæ intus erant in nullo penitus lædebant. Sacrista ista considerans, reputauit pro miraculo. APOLLONIVS: Quid est quæso, quod mures, vel vermes in sacramento altaris comedunt? CAESARIVS: Species tantùm; in illa Christus videtur & tangitur, & ab indignis iniuriatur: corpus eius verum, quod sub illa latet, glorificatū est, & quia immortale est, non potest corrumpi;

quia ſplendidum eſt, nõ poteſt à nobis videri; quia ſubtile eſt, non poteſt à nobis palpari: à ſacerdote quidem tenetur, ſed non tangitur, niſi mediante ſpecie. Species ipſa videtur, tangitur, frangitur, maſticatur, ſatiat, corrumpitur, & iniuriatur: quando aliquid horum attribuitur corpori Chriſti, de ſpecie debes intelligere. Tanta eſt gloria huius ſacramenti, vt nõ ſolùm bruta, in quibus anima mutabilis eſt, ſed & inſenſibilia elementa, virtutem eius ſentiant, verbi cauſa.

CAPVT XII.

Elementa ītem. & priuè Aqua.

TEmpore illo quando manifeſtari cœperunt hæreſes Albienſes, quidam maligni, virtute diabolica ſuffulti, quædam ſigna atque portenta oſtenderunt, quibus & eaſdem hereſes roborauerunt, & multos fidelium in fide ſubuerterunt; ſuper aquas ambulauerunt, & non ſunt ſummerſi. Cernens hoc ſacerdos quidam fide catholicus, & vita religioſus, ſciens vera ſigna cum falſa doctrina eſſe non poſſe, corpus Domini cum pixide ad flumen, vbi illi populis ſuas oſtenſuri erant virtutes, deportauit, dixitq; in audientia omnium; Adiuro te diabole per eum, quem in manibus porto, ne in hoc flumine, ad huius populi ſubuerſionem, per hos homines, tãtas exerceas fantaſias. Poſt hæc verba, illis ſuper vndas fluminis ambulantibus vt prius, ſacerdos turbatus, corpus Dominicum in flumine iactauit. Mira CHRISTI potentia, mox enim vt elementum tetigit ſacramentum, fantaſia ceſſit veritati, & pſeudo illi ſancti, quaſi plumbũ deſcẽdentes in profundum, ſunt ſubmerſi; pixis verò cũ ſacramento, ſtatim ab angelis ſublata eſt. Videns ſacerdos hæc omnia, de miraculo quidem exultauit, ſed de iactura ſacramenti doluit: totã verò noctẽ in lacrymis & gemitu tranſigens, manê pixidẽ cum

cum ſacramento reperit ſuper altare. Hæc nobis eodem tempore relata ſunt. Aliud in mari de corpore Domini contigit miraculũ, quod non ſilebo.

CAPVT XIII.

QVando in iſta magna expeditione, naues ex omni parte Alemanniæ congregatæ mare intrauerunt, ob cauſas diuerſas præceptum eſt ſacerdotibus, ne in aliqua naui corpus Dominicum ſeruaretur. Quæ cùm omnes iuſſis obtemperarent, vna ſola nauis Friſonum obedire noluit, quæ citius inobedientiæ pœnam ſoluit: Dei ſiquidem iudicio confracta eſt, & pixis ſeruans corpus Domini cum cæteris quæ in naui erant eiecta, homines verò, alijs nauibus ſubuenientibus, liberati ſunt: & ecce, vident eminus pixidem in pelago natantem, quæ tam celeri motu ad naues feſtinabat, vt velificare videretur: quæ cùm in nauim vnam recepta fuiſſet, aliud in ea viſum eſt miraculum. Cùm operculum eius eſſet patulum, nec zona circa nodum firmatum, inter vndas illas procelloſas, nec vna quidem guttula intrauit. Hermannus Decanus Sãcti Gereonis in Colonia, qui præſens fuit, & hæc vidit, pro magno miraculo ea ſolet recitare. Terra etiam in hoc ſacramento, ſuum recognoſcit autorem.

CAPVT XIIII.

Terra

PLebanus Sanctæ Columbæ in Colonia, cùm in quadam ſolennitate paſchali populum cõmunicaret, hoſtia de manu eius lapſa cecidit ſuper pauimentum lateribus ſtratum: vt autẽ Dominus ſe oſtenderet Dominum terræ, ſicut & maris, mox vt hoſtia quantum, ad ſpeciem modici põderis, lapidẽ tetigit, lateris illi duritia ceſſit ita vt circulus, & literæ in illo apparerẽt, quemadmodũ fieri

fieri solet, cùm molli ceræ sigillum imprimitur. Sacerdos territus, mox hostiam leuauit, & laterem eruit; in quo cùm tam ipse, quàm multi alij, tantum miraculum vidissent, & expauissent, consilij inops sacerdos, locum tam mirabiliter hostia signatum rasit, puluerem ponẽs inter reliquias. Huic miraculo Arnoldus monachus noster dicit se interfuisse. Vt etiam Dominus ostenderet in aëre potentiam suam, tale quid fieri permisit.

CAPVT XV.

Alt. IN villa, cui Haynrode vocabulum est, sacerdos quidam est nomine Euerhardus, hic ante annos paucos, ad ecclesiæ eiusdem festiuitatem vicinos sacerdotes conuocauit: solennisantibus eis in vesperis circa altare, & insanientibus, vnus ex eis pixidem, quæ super altare cum corpore Domini pendebat, casu euertit, & quinque ex ea hostias excussit. Quod vbi compererunt cæteri, mox organa sua suspenderunt; quærentibus eis hostias, & non inuenientibus, populo eiecto, & foribus obseratis, dum omnes angulos perscrutarentur, nec comparerent, vnus eorum, diuino nutu, ambitum, qui erat circa murum ascendit, vbi easdem hostias in modum crucis dispositas attendit: erat enim idem circuitus pixide multo altior. Obsequens aër suo Domino, corpus eius de pixide lapsum, excepit, ne super terram laberetur; vbi ab angelis susceptum, in locum illum sublimem deportatum est. Hæc mihi à Methilde magistra de *Vsenich relata sunt. Cognouit & ignis sacramenti huius virtutem.

** al Husenich.*

CAPVT XVI.

Ignis. NOn est diu, quod quædam ecclesia in prouincia nostra exusta est, cumq; omnia, quæ cremari poterant, in cinerem fuissent redacta, flammis

flammis sopitis homines intrantes, solam pixidem cum corpore Christi illæsam super altare repererũt. Quod pro miraculo magno, sicut reuera fuit, Conrado Priori loci Sãctæ Mariæ, & alijs quã pluribus referentes, Deum glorificauerunt, plurimũ per hoc in fide confortati. Ecce habes ex his quæ dicta sunt, euidentissima argumenta, quod omni creaturæ, rationali vt homini, irrationali vt animalibus, insensibili, aquæ scilicet, terræ, aëri, & igni manifestata sit virtus huius diuini sacramenti. APOLLONIVS: Satis mihi probatum est quod sub specie panis, sit verum corpus Christi, nunc autem verum eius sanguinem esse sub specie vini, similibus mihi exemplis ostendas. CAESARIVS: Noueris consimiles causas esse subsequentium visionum, quas & præcedentium: quibusdam, vt iustis, forma sanguinis ostenditur, ad deuotionis suę remunerationem: de sacramento dubitantibus ad confortationem; malè viuentibus, ad correptionem. Ecce exempla.

CAPVT XVII.

BOnæ memoriæ Daniel Abbas Sconauiæ, quãdoque Prior noster, cùm in die quadam missam celebraret, formam humani sanguinis in calice vidit: & quia tunc temporis non fuit sibi cõscius alicuius mortalis peccati, eandem visionem nequaquam sibi ad iudicium, sed ad consolationem concessam speranit. Huius visionis testis est Bernardus monachus noster, aliquando concanonicus eius in ecclesia maiori Coloniæ. Comparetur igitur visio hæc, visioni Godeschalci, qui Dominum vidit sub specie panis in forma infantis, sicut dictum est. c. 2. Porrò quod aliquando forma sanguinis quibusdam de sacramento dubitantibus ostendatur ad confortationem, sermo sequens declarat.

Sub specie vini esse verum sanguinem miraculis ostenditur.

CAPVT

CAPVT XVIII.

HEylardus ſacerdos de Vuninſdorp, cùm die quadam in eccleſia dictæ villæ miſſam diceret, & de ſacramento ex immiſſione diaboli periculosè dubitaret, quando ventum eſt ad orationem dominicam, vbi calix diſcoopertus deponi ſolet, humani cruoris ſpeciem in illo vidit, & expauit; ac ſi ei diceret Dominus: Si non credis ſacramenti veritatem, diſcas experimento: & cùm fides via ſit ad ſpeciem, ſpecies hæc ſanguinea, te reducat ad fidem. Durauit autem forma illa vſque ad ſumptionem. Interfuit eidem miſſæ Hyldeboldus Comes de Limberg, vir fide, & opere parum catholicus. Heylardus verò ſibi timens, magiſtro Ioanni Decano Aquenſi viſionem retulit, à quo illam ego didici. Quod autem huiuſmodi viſiones quandoq; fiant, non ſolùm ex culpa ſacerdotis, verum etiam ex perfidia circumſtantium, ſubſequens probat exemplum.

CAPVT XIX.

RETulit mihi iam dictus magiſter Ioãnes aliã de ſanguine Domini viſionem ſatis terribilem. Cum in eccleſia ſanctæ Vvalburgis in * Hildensheim, vnde ipſe oriũdus eſt, ſacerdos miſſam celebraret nomine Albertus, ciuis quidã poſt tergum eius ſtans, cùm ea quæ ibi tractabantur minus crederet, liquorem ita in calice exundare vidit, vt ad inſtar ollæ feruentis ſupereffluens, totam altaris ſuperficiem operiret. Qua viſione ſatis eſt territus, & ſpero quod per illam ad fidem ſacramenti ſit reductus: habebat autem liquor exuberãs formam ſanguinis humani, ac ſi ei voce Chriſti diceretur; Ego in ara crucis propter te, ſicut aqua effuſus ſum, & tu de medicina tua dubitas?

*al. Hildeſchen.

Pſal. 21.

CAPVT

CAPVT XX.

IOannis paſtor de Riſene, frater carnalis monachi noſtri Bernardi, miſſam quadam die celebrauit, & miniſtrauit ei ſcholaris quidam adultus nomine Hartvvicus: qui cùm poſt perceptionem corporis & ſanguinis Chriſti vinum calici infunderet, viſibilis cruoris formam in eo vidit, ſacerdos verò videre non potuit, & ideò fortè, quia ipſe in culpa non fuit. Idem adoleſcens, clericatũ deſerens, factus eſt miles, & vſque hodie ſe Chriſti ſanguinem fundere oſtendit, quia multos depræda tur & affligit. Referam tibi aliam viſionem, de qua mihi non conſtat vtrum propter ſacerdotis aliquod meritum, ſiue culpam, vel circumſtantium oſtenſa eſt.

CAPVT XXI.

HIldebrãdus ſacerdos de Meſchede iuxta Couardiam, cùm die quadam miſſam celebraret, facta tranſſubſtantiatione, ſanguinem ſacramentalem ſæpe dicto modo transformatum vidit in calice. Volens tanti miraculi habere teſtes, duos milites ex paræcianis ſuis, qui ibidẽ miſſæ eius intererant, aduocauit: qui cùm non vini, ſed cruoris ſpeciem cum ſacerdote vidiſſent, expauerunt valdè, multum tamen confortati ſunt in fide. APOLLONIVS: Satis expeditus ſum de ſacerdote & circumſtantibus, ſed miror ſi aliquando huiuſmodi miracula contingunt propter eos, qui præſentes ſunt. CAESARIVS: Etiam frequenter.

CAPVT XXII.

SAcerdos quidam in diœceſi Coloniensi quadam die miſſam celebrans, iuſto Dei iudicio calicem cũ ſanguine in canone fudit ſuper corporale, q̃ ſtatim humani cruoris cœpit formã: cũque dicta

dicta missa sacerdos nimis mœrens, super calicem illud crebrius lauisset, rubeum colorem abluere non potuit: tunc amplius territus, orationes omnibus suis paræcianis instituit, corporale lauit, sed non profecit. Quo viso, tollens secum sacrum linteum, Rodolphum Scholasticum Coloniensem, virum magni nominis accersiuit, casum exposuit, corporale ostendit, & quod nullo liquore color ille sanguineus ablui, nullaque arte, siue oratione, posset deleri, contestatus est. Cui ille, sicut vir prudens, respondit; Estne aliquis in parœcia vestra qui de hoc sacramento dubitet? Respondit sacerdos; Est quædam inclusa, quæ frequenter inde dubitat. at ille; Ostendite illi, fortè idcirco Deus vestigia sanguinis in hoc corporali deleri non sinit, quatenus eis visis, illa in fide roboretur: quod cùm factum fuisset, expauit mulier, & credidit, & Deus pristinum colorem in linteo reformauit.

CAPVT XXIII.

SImilis casus contigit apud nos, sine tamen dissimili. Cùm sacerdos quidam in ecclesia, cuius nomen excidit, sicut & sacerdotis, Missam festinanter & negligenter diceret, calicem fudit; timens verò pro tanta negligentia, si ad aures prælatorum deueniret, diutius ab altaris officio suspendi, casum suppressit, dictaque Missa, corporale cõplicauit & abijt: æstimabat enim quia nemo vidisset: erat autem sacerdos ille, & fortè adhuc est, malæ vitæ, vagus & negligens valdè. Campanarius verò, quem negligentia minimè latuerat, post discessum sacerdotis corporale reuoluit, & ecce sanguis rubens ac madens in omnibus partibus, per quas liquor calicis defluxerat apparuit: territus homo de tam mirabili visione, statim Coloniam cucurrit, Conradum nunc Præpositum maiorem, tunc

tunc Decanum, cæterosque priores conuenit, & quid prædicto sacerdoti contigerit, quidve viderit, per ordinem recitauit. Cui præceptum est, vt tali die allato secum corporali Coloniam rediret, vt & veritatem plenius agnoscerent, & qualiter de tanta negligentia satisfaciendum esset, plenius deliberarent. Ego eodem tempore veni Coloniam, & recitata sunt mihi omnia hæc à Bernardo maioris ecclesiæ canonico. Quid verò post hæc actum sit, non intellexi. Est ne tibi adhuc satisfactum, tot & tantis exemplis, an adhuc plura requiris? APOLLONIVS: Sic mihi satisfecit oratio tua, vt iam non dico credam, sed quod amplius est, sciam post consecrationem sub specie vini verum esse sanguinem CHRISTI: cùm enim Apostolus dicat, fidem esse substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium, quę visu tam manifestè, vt dictum est, percipiuntur, iam non creduntur, sed sciuntur: quod sub tam multiplici testimonio visum est, me vidisse reputo. CAESARIVS: Adhuc subiungam duo exempla, per quæ cognosces, quod etiam quandoque Dominus in simplici liquore operetur miracula, ad honorem tanti sacramenti. *Hebr. 11.*

CAPVT XXIIII.

SAcerdos quidam, sicut mihi alius quidam religiosus sacerdos retulit, infirmum aliquando visitauit: erat idem infirmus laicus admodum religiosus, qui ait sacerdoti; Domine mi, hodie celebrastis? respondente illo; Etiam, Aegrotus subiunxit; Peto vt manus, quibus tractastis sacrum Christi corpus & sanguinem, coram me abluatis, eritq; meæ infirmitati eadem ablutio antidotum. Quod cũ fecisset, aqua in cratera mũda recepta est, de qua cùm bibisset infirm', fesiduam in cistam reponi, *Miracula de ablutione celebrantis.*

poni iussit, & diligenter operiri. Postea cùm eandem aquam requireret, puer ad cistam accedens, non aquam in cratera, sed purum sanguinem reperit; quo illato, pro sacerdote missum est, à quo in ecclesiam deportatus, inter reliquias positus est. APOLLONIVS: Quid sentis de sanguine isto? CAESARIVS: Non credo fuisse Christi sanguinem, quia aqua in illum minimè vertitur, nec vinum quidem absque debita sacerdotis benedictione: Deus verò ob deuotionem hominis, elementum mutauit, vt ostenderet quod eundem sanguinem, quem continuè sumit in ecclesia sacramentaliter, fidelis quisque in omni loco possit sumere spiritualiter.

CAPVT XXV.

QVædam nobilis fœmina de Entenich, sicut à quodam edocta fuerat, tertiam ablutionem ex digitis sacerdotis in pane recepit, credens, si eandem per quatuor partes agri sui reconderet, quod nulla aëris intemperies, vel grando segetes læderet, panem interim in scrinio suo reponens. Dum tempore oportuno accederet, quatenus eum per agrum suum diuideret, in sanguinem coagulatum eum vidit conuersum: territa nimis, marito eum ostendit, atque sacerdoti. Pro qua re omnes à prioribus Coloniensibus citati, sacerdos satis punitus est; illis vix se excusantibus, quod nullum foret in causa maleficium. Non enim placet Deo, si ad aliquos vsus temporales sacramenta illa conuertantur. APOLLONIVS: Placet quod dicis. Nunc peto, vt exempla proferas de dignè conficientibus. CAESARIVS: Prius tibi ostendere volo, qualis esse debeat vita sacerdotum dignè conficientium.

CAPVT

CAPVT XXVI.

GLoria vitæ sacerdotalis in duobus præcipuè consistit, castimonia videlicet, & scientia: debet enim castus esse & literatus. Exemplum castimoniæ habes in Zacharia patre Ioannis, de quo Lucas sic ait; Et factum est, vt impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam. Vicis suæ tempore, pontifices, templi tantum officijs mancipati, non solùm à complexu vxorum, sed etiam à domo, & ingressu abstinebant. Nostris autem sacerdotibus, à quibus non carnalis successio, sed spiritualis perfectio quæritur, qui quotidie præsto debent esse altari, perpetua castitas indicitur. Quod verò literatus esse debeat, testis est Malachias, qui dicit; Angelus scientiarum est, & legem ex ore eius requirent. Hinc est quod Heli sedebat ante fores tabernaculi, vt responderet omni quærenti. Audi quid illitterato sacerdoti per Oseæ dicatur; Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. APOLLONIVS: Nunquid sacerdotes illitterati repellendi sunt à Domino? CAESARIVS: Non, sed quibus deest vsus scientiæ exterioris, habeant, vt prædictum est, lumbos præcinctos, & lucernas ardentes in manibus, id est, opera bona. Quòd si sibi commissos illuminare non valent verbo prædicationis, ad diuinum amorem illos accendere studeant exemplo bonæ conuersationis. Introiens sacerdos ad altare, lauare debet faciem, os, & manus, id est, maculas cogitationis, locutionis, & operum, in labro æneo quod fecit Moyses ex speculis mulierum. Aqua est contritio, manutergium confessio, quod illa abluit, ista abstergit: Specula mulierum, sunt exempla sanctarum animarum; fides scilicet Abrahæ, obedientia Isaac, lenitas Iacob, man-

Sacerdotes quales esse debeant, vt non indignè missam celebrent.
Castit.
Luc. 1.
Docti.
Malach. 2.
1. Reg. 1.
Osee 4.
Luc. 12.
Exod. 38.

Universidad de Deusto Biblioteca

suetudo Moysi, humilitas Dauid, zelus Heliæ, pietas Iosiæ, castitas Danielis. In his si sacerdos se considerauit, facilè cognoscet suam imperfectionem. APOLLONIVS: Qualis esse debeat conficiens satis ostendisti: nunc me expedias, in quibus consistat potentia conficiendi. CAESARIVS: Quæ de his legi, vel audiui, paucis explicabo.

CAPVT XXVII.

Necessaria illi qui debet conficere Eucharistiam.

TRia exiguntur in sacerdote vt possit conficere, ordo, verba, intentio, quartum est substantia panis & vini. APOLLONIVS: Quid si in calice post benedictionem panis, vinum per negligentiam non esset in calice? CAESARIVS: Ex consuetudine ordinis nostri, cogimur credere ibi esse corpus Christi, quia benedictionem panis non repetimus, sed calicis tantum. Simile sentio, si sacerdos post prolationem verborum illorum, Hoc est corpus meum, subsisteret, neq; calicis benedictionem perficere posset. Magister Petrus Cantor, & sequaces eius, hoc non concedunt, dicentes; non posse fieri transsubstantiationem panis in corpus Christi, donec prolata sint hæc verba, Hic est sanguis &c. quibus multi doctorum contradicere videntur in suis scriptis: similiter & verba Euangelica: prius Dominus panem benedixit, porrigens illum discipulis ad manducandũ, iam non panem, sed corpus suum: posteaquam cœnatum est, aliquo interuallo interiecto, benedixit calicem. Quis dicere audeat, ibi non fuisse corpus CHRISTI nisi calice prius consecrato? nullus omninò. APOLLONIVS: Est ne in tali casu sanguis Christi? CAESARIVS: Etiam, non in calice, sed in corpore: non enim corpus Christi est sine sanguine. Nec tamen inest per conuersionem, quia ante

ante prolationem horum verborum, scilicet, Hic est sanguis meus, vinum non est conuersum in sanguinem. APOLLONIVS: Da mihi exemplum quod sub specie panis sit corpus Christi, antequam calix benedicatur. CAESARIVS: Superius capit. 2. habes exemplum in visione Godeschalci, qui mox prolatis his verbis, Hoc est corpus meum vidit Christum in forma humana. APOLLONIVS: Si statim Christus est ibi totus, superfluè videtur mihi calix consecrari. CAESARIVS: Sub duabus ergo speciebus celebrat hoc sacramentum ecclesia, vt animæ & corporis susceptio in CHRISTO, & vtriusque liberatio in nobis, significetur: Nec plus sub vtraque, nec minus sub altera tantum sumitur hoc sacramentum. Eadem enim ratio est, vt ait Hilarius in corpore CHRISTI, quæ in manna præcesfit, de quo qui plus colligebat, nõ amplius habebat, nec qui minus parauerat, minus inueniebat. APOLLONIVS: Satis de his expeditus sum. CEASARIVS: Non inutiliter his præmissis videamus quantum gratiæ & gloriç mereantur sacerdotes dignè conficientes.

Simile. quid Cypr. epist. 70.

Exod. 16.

CAPVT XXVIII.

Dignè celebrantium meritum & gratia.

IN Hemmenrode sacerdos quidam senex, Henricus nomine, ante paucos menses defunctus est, vir sanctus & iustus, qui annis plurimis in eodem cœnobio fuerat Sacrista: hic cum die quadam in choro Conuersorum ad altare Sancti Ioannis Baptistæ celebraret, quidam ex Conuersis circumstantibus Saluatorem in effigie hominis in manibus eius contemplatus est: ipse tamen sacerdos non vidit. Hæc mihi retulit quidam ex senioribus domus illius.

CAPVT XXIX.

DVm in eodem Claustro, & ad idem, vt puto, altare dominus Hermannus die quadam missam diceret, Henricus Conuersus de Hart, cuius suprà memini, in canone columbam miri candoris iuxta calicem vidit residentem. Vidit & ante sumptionem infantem pulcherrimum, qui ex manibus eius vsque ad summitatem crucis ascendere visus est: qui mox descendens, sub specie panis à sacerdote sumptus est. Ex qua visione colligitur, quod sub specie panis sit veritas corporis Dominici, & quod illa ineffabilis transsubstantiatio, autoritate fiat Spiritus sancti. Hermannus verò visionem non vidit. APOLLONIVS: De malis sacerdotibus quæstio mihi nulla est; quare autem boni sacerdotes eum, quem in altari esse credunt, non videant, satis admiror. CAESARIVS: Vt non videndo, sed credendo amplius mereantur. Fides, vt ait Gregorius non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Cùm idem Hermannus tunc Prior existens in Hemmenrode, nocte quadam infra mututinas Deum orasset, vt sibi reuelare aliquid dignaretur de statu suo, mox vt residens oculos clausit, quidam ei assistens * fotrum, in quali scyphi à conuiuantibus portari solent argentei, ostendit. Ipse verò, sicut mihi retulit orationis præmissæ reminiscens, cùm intra se diceret; Quomodo pertinet ad statum tuum visio fotri huius? ille statim superiorem thecam, cuius cacumen in nodum desinebat, manu suspendit; & ecce, vidit pixidem Dominici corporis catena aurea ex eodem nodo dependentem, sicque visio disparuit. Et cognouit Prior corpus fuisse dominicum quod iugiter in theca sui corporis per memoram circumferre consueuit, sperans ex hoc suum statum

Greg. ho. 26. in Euange.

** al. fotum.*

statum in oculis Domini minus esse despectum. Quantum in sacerdotibus dignè celebrantibus gratia ascendat, & merita crescant, visiones subnixè declarant.

CAPVT XXX.

NOui quendam sacerdotem ordinis nostri, qui hanc gratiam accepit à Domino, vt quotiens cum deuotione Missam celebrat, per totum canonem vsque ad sacramenti perceptionem, in aêre ad mensuram pedis vnius se stare sentiat. Nec mirum, deuotio enim ignea est, & semper nititur sursum; nec magnipendo, si quandoque sibi attrahat suum exterius domicilium, mens est, in qua maiorem habet potestatem, quia illud in cœlum subleuat. Cumque tantam gratiam, ab alio quodam sacerdote eius amicissimo comperissem, scire volens veritatem, non absque timore, ab ipso cœpi sciscitari, quæ audieram: qui statim rubore perfusus, cùm me confundere nollet, ita esse confessus est. Quando festinanter & sine deuotione celebrat, vel quando strepitu circumstantium impeditur, prędicta ei gratia subtrahitur. APOLLONIVS: Quantum ex his colligo, summum silentium sacerdotis deuotio, in missæ silentio requirit. CAESARIVS: Verum dicis: si sacerdos legalis, oraturus pro salute populi, solus intrauit in sancta sanctorum, & omnis populus, sicut de Zacharia legitur, erat foris expectans hora incensi, ne orantem impediret: quantò magis sacerdos gratiæ, qui non iam corruptibile pro vna gente sacrificium, sed pro totius mundi salute patri offert filium, summam in altari pacem requirit & silentium? Vnde & beatus Ambrosius post Euangeliũ monere solebat populũ, vt à tussi, & omni inquietudine se tẽperarent

Hebr. 9.

Lucæ 1.

rarent tempore canonis. Quod verò deuotio ignea sit, & sursum nitatur, vt præfatus sum, sequens visio demonstrat.

CAPVT XXXI.

IN Vilario Brabantiæ, ante hoc biennium monachus quidam defunctus est nomine Vlricus, iuuenis disciplinatus & valdè gratiosus, tam corpore, quàm mente virgo. Hic cùm in Namurco die quintodecimo ante mortem suam, Missam celebraret, sicut mihi retulit loci prædicti Prior, venerabilis inclusa, Vda nomine, cui Deus multa reuelare consueuit, globum igneum super caput eius conspexit, erat enim tunc temporis grangiarius. Qui cùm infirmus in extremis ageret, & Abbas deesset, dixit ei quidam ex circunstantibus; Velletis Dominum Abbatem modò videre? Etiam, inquit, valdè illum videre desidero vt præsens congaudere posset mihi eunti ad nuptias, & adiecit; Cras habebitis propter me festum, scilicet duas Missas, quod ita factum est. Nam altera die dicta Missa in conuentu, post primam (erant autem calendæ Octobris) animam virgineam efflauit, quæ à cælestibus paranymphis suscepta in æthereum thalamum ad nuptias agni, & ad amplexus sponsi, deducta est. Post tertiam verò, celebrata pro eo Missa solenniter in conuentu, secundùm quod ipse prædixerat, terræ commendatus est; & sicut mihi dixit dominus VVilhelmus, nunc Abbas Vilariensis, tunc Prior ibidem, ne vnum quidem peccatum mortale deprehendere potuit in eius extrema & generali confessione: fuerat siquidem magnæ spei iuuenis, vultum habens angelicum, moribus bonis adornatus, natione Coloniensis: prædicti verò sacerdotis personam mihi prodere non licet: est enim vir tantę perfectionis, vt tãta gratia dignus sit, & verbis

& verbis eius non credere, si tibi propalaretur, sacrilegium iudicares. APOLLONIVS: Vlricum, quantum ad prædictam visionem, similem iudico S. Martino, de cuius capite cum altare benediceret, etiam globus igneus emicuit. CAESARIVS: In vtroque signum fuit magnæ deuotionis, cuius autor Spiritus sanctus est, qui in igne super Apostolis apparuit; vnde non immeritò à sacerdote ante canonem, sursum corda habere monemur.

CAPVT XXXII.

ALium itidem noui sacerdotem, cui accedenti ad altare, tantam Dominus sæpè contulit deuotionem, vt esset venter eius, sicut scriptum est in Iob, quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit: &, sicut ipse mihi confessus est, adhuc enim viuit, tam vehementes motus nonnunquam in corde eius deuotio excitauit, vt pectus disrumpi videretur; oportebat eũ motus eoldem propter circumstantes reprimere. Quæ peccatorum vincula, huiusmodi impulsus non disrumperent? Huic congruit id Dauidicum; Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis &c. APOLLONIVS: Puto quòd valdè mundis manibus sacrificent, qui tam flammeum pectus habent. CAESARIVS: Quod huiusmodi sacerdotes, non solùm mundas, sed lucidas tempore sacrificij manus habeant, exempla sequentia declarant.

CAPVT XXXIII.

CVM die quadam sacerdos quidam in monte sanctæ VValburgis Missam celebraret, religiosa virgo Richmundis, cuius memini in distinctione octaua capit. 7. post tergum eius stans, hostiam in eleuatione tam lucidissimam vidit, & tam perspicuam, ac si fuisset crystallina, & radio solari

solari perlustrata. Nec impediebant pollices sacerdotis, quibus hostiam tenebat, in aliqua parte hostiæ claritatem, quia eadem gratiâ pollices dotabantur: necdum tamen factam ibi fuisse puto transsubstantiationem; vocabatur autem sacerdos Vvilhelmus, ætate quidem iuuenis, sed vitæ regularis in capella iuxta Nussiam professus. Visionem hanc Richmundis ipsa Suppriori nostro Gerlaco retulit, & ipse mihi. APOLLONIVS: Si tanta claritas fuit in pane, vt opinaris, benedicto, puto magnum esse fulgorem in ipso corpore dominico. CAESARIVS: Hoc sequens visio prodit.

CAPVT XXXIV.

DVM eadem Richmundis, sicut ab eius ore audiui, in prædicta ecclesia ad Missam matutinalem staret, infra canonem, circa sacramentum maximam contemplata est claritatem. Putans primò quod radius solis per fenestram demissus illustraret, propius accessit, & ecce, claritas eadem sensim se oculis eius subtraxit, & intellexit statim, quia lux eadem fuisset ex claritate corporis Christi, non ex sole naturali, cuius ortum eadem hora longe præcesserat. De ipsa verò Richmunde, & de eius deuotione circa illud sacramentum, mira dicturus sum. Quando verò gratia communicandi accedebat ad altare, aliquando ante perceptionem, aliquando post, labebatur, tenebatur, trahebatur, nunc mentis excessum, nunc corporis defectum, incurrens, ita vt dicere posset cum Ieremia; Factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis; & defeci, ferre non sustinens. Videntes hęc sacerdotes, sæpe turbabantur, & circunstantes admirati sunt. Hæc de sacerdotibus dignè celebrantibus dicta sufficiant. Vis nunc audire

Ierem. 20.

audire aliqua de his, qui dignè accedunt, & tamen sacerdotes non sunt? APOLLONIVS: Volo, & desidero valdè. CAESARIVS: Quantum apud Deum mereantur gloriæ, & dulcedinis, quantum gratiæ, & fortitudinis, quantum salutis, & honoris, dignè communicantes siue communicare desiderantes, varijs tibi pandam exemplis.

CAPVT XXXV.

De dignè communicantibus.

NOndum duo anni sunt elapsi, quod quædam religiosa fœmina in Brabantia Vda nomine, de villa quæ Thorinbais dicitur, ardenter nimis communicare desiderans, gratiam eandem sibi à sacerdote suo impertiri humiliter & instanter postulauit: à quo repulsam passa, dicente illo non debere fœminas laicas pro libito suo communicare, sed certo tempore, fleuit & ingemuit. Cuius ardorem summus sacerdos attendens, non diu passus est eam fraudari à desiderio suo: eadem enim nocte, cùm in strato suo iacens vigilaret, & orationibus vacaret, Saluator cum multo splendore cubiculum eius ingressus, pixidẽ, in qua corpus eius in ecclesia solebat poni, proprijs manibus portabat: erat quoque circa eum fragrantia miri odoris, & multitudo angelorum in circuitu eius, qui concorditer cantabant antiphonam, Speciosus forma præ filijs hominum &c. Cumque illa beata ad tantam gloriam stuperet, stans coram ea Dominus ait; Quia sacerdos ille corpus meum tibi negauit, nec te communicare voluit, ego meis manibus te communicabo; quod & fecit, hostiam vnam de pixide tollens, ficque recessit. Erat autem alia fœmina religiosa eius socia in eodem cubiculo iacens, & ipsa vigilans, quæ omnia, quæ dicta sunt, vidit: quod cũ ignoraret altera, æstimãs eam sopore fuisse depressam,

ſam, manê ſciſcitata eſt ab ea, vtrum nam aliquid vidiſſet; quæ reſpondit; Etiam, hæc, & hæc de te vidi. Tunc certior de viſione effecta, mox eccleſiam intrauit, altare adijt, ſacerdotem per quaſdam verborum ambages, quid de corpore Domini facere, vel vbi illud ponere ſoleret, interrogauit. cui cùm locum oſtendiſſet, ſubiecit; O ſi mihi ſemper hic liceret verſari, & reſpicere ad locum hunc ſanctũ: petiuit etiam ſibi thecam reſarari, quod cùm factũ fuiſſet, ait ſacerdoti: Noſtis domine, quod hic repoſueritis particulas? ſic enim hoſtias vocare ſolent: Reſpondente ſacerdote, Etiam optimè: ſubiũxit mulier; Rogo vt numeretis illas: quod cùm ille feciſſet, & vnam minus reperiſſet, ex nimio terrore penè amens effectus, corruit, & fleuit. Cũcta ſiquidem firmacula, tam ſcrinij, quàm pixidis, ſalua inuenerat. Tunc eum fœmina conſolata, quid viderit, vel quid de hoſtia actum ſit, expoſuit, monens, ne de cætero, à tanta gratia, tam vehemens deſiderium, repelleret. Hæc nobis relata ſunt à Ioanne monacho noſtro, qui eodem tempore de prædicta villa veniens, veraciter ea ibidem contigiſſe cognouit. APOLLONIVS: Benedicta ſit gloria
Exod. 3. Domini de loco ſancto ſuo. CAESARIVS: Non minoris gloriæ eſt quod ſequitur, etſi non tam manifeſtum.

CAPVT XXXVI.

IN villa Lubbelare, quæ duobus miliaribus diſtat à Colonia, vidua quædam honeſta, & religioſa erat, Hildegundis nomine, amica Domini
Luca 2. Henrici Abbatis noſtri. Hæc, more eius viduę euangelicę, penè nunquam recedebat de tẽplo ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens Deo. Habebat autem filium militem iuuenem, nomine VVilhelmũ à quo modicum ei impendebatur honoris, amoris & con-

& conſolationis: & cùm abundaret, immemor naturæ, ſinebat illam egere, multis modis eam exaſperans; non eſt recordatus ſcripturæ dicentis; Maledictus à Deo, qui exaſperat matrem. Similia per- Eccli. 3.
peſſa eſt à nuru, vxore filij; quæ cùm infirmata ad extrema deueniſſet, dixiſſetque ancillæ; Fac me habere ſacerdotem vt communicem, illa verba eius detulit ad nurum dicens; Domina mea petis ſacerdotem. cui illa ſubſtomachando reſpondit; In hebdomada iſta accepit corpus Domini, & tamen videtur mihi quod adhuc viuat. & adiecit indignando; Vade voca illũ. Qui cũ veniſſet cũ corpore Domini, ait infirma; Quare veniſtis domine? reſpõdente ſacerdote, vt communicem vos. reſpondit: Dominus meus, cuius corpus petiui, iam hic fuit præſentialiter, & ſuis manibus me communicauit; ex hoc nunquã ſuſcipiam illud ab homine. Poſt aliquot verò dies defũcta eſt. Et quia ſcriptũ eſt, Qui Eccli. 3.
non honorat patrem & matrem, non lætabitur in filijs, Dominus eadem hebdomada VVilhelmi primogenitum extinxit; raliqui verò eius liberi, cum fere eſſens duodecim, ſecundum ordinẽ infra breue tempus omnes defuncti ſunt.

CAPVT XXXVII.

RETulit nobis Dominus Bernardus de Lippa Abbas Liuoniæ, nunc Epiſcopus ibidem, rẽ ſatis glorioſam. Cùm quidam, ſi bene memini, Conuerſus, qui nuper fidem ſuſceperat, monachos communicare vidiſſet, & ſibi hoc minimè licera cognouiſſet, ſtans contra altare communicandi deſiderio ſuſpirauit: & ecce, pius Dominus, ſine ſacerdotis miniſterio, de altari per ſacramentum deſcendere dignatus eſt in os eius; qui mox hoſtiam aperto ore oſtendens, & cauſam tantæ

ſam tantæ gratiæ manifeſtans, cunctos qui aderant in ſtuporem conuertit: eandem enim hoſtiam deſuiſſe repererunt in altari. Simile huic contigit ante hoc biennium, quod tanto erat mirabilius, quanto ſenſui humano profundius.

CAPVT XXXVIII.

ERkenbaldus de Burban vir nobilis erat & potens, & tantus amator iuſtitiæ, vt nullam in iudicijs reſpiceret perſonam: hic cùm grauiter infirmaretur, lectoque decumberet, in proxima camera tumultum, clamoreſque fœmineos audiuit: qui cùm de cauſa ſciſcitaretur, nullus ei circumſtantium veritatem dicere præſumpſit. Tunc mittens vnum ex pueris ait; Præcipio tibi ſub interminatione oculorum tuorum, vt dicas mihi meram veritatem. Cui ille pauens reſpondit; Domine, domicellus meus, filius ſororis veſtræ, fœminam vi opprimere voluit, & hæc fuit cauſa tanti clamoris. Ad quod verbum valdè commotus, dixit militibus; Ite, & ſuſpendite illum. Milites obedientiam ſimulantes, poſtquam egreſſi ſunt, dixerunt ad inuicem; Si occiderimus iuuenem hunc nobilem, & dominus noſter, ſicut opinabile eſt, mortuus fuerit, vel morte mulctabimur, vel erimus extorres. Omnia tamen iuueni intimantes, & vt præſentiæ auunculi ie ſubtraheret commonentes, poſt horas aliquas ad dominum ſuum ingreſſi, ſe eius impleſſe mandatum affirmauerunt. Quinto verò die, iuuenis æſtimans auunculum de culpa eſſe placatum, vel immemorem, aperto oſtio introſpexit: quem vt infirmus conſpexit, verbis blandis iuxta ſe ſedere præcepit, vno verò brachio collum eius ſtringens, & manu altera cultellum ſuum clam extrahens, gutturi eius infixit, & occidit. qui cum planctu & dolore multorum elatus, toti prouinciæ incuſſit horrorē. Sed

& Erken-

Erkenbaldo additus eſt dolor dolori, adeo vt inualaſcente infirmitate, pro Epiſcopo mitteret, petēs ſacrum ſibi corpus deferri: qui cùm veniſſet, ille, cum multis lacrymis & contritione cordis, omnia peccata ſua confeſſus eſt. tacita tamen iuuenis interfectione. Super quo Epiſcopus iratus, reſpondit; Quare ſubticetis parricidium, quod commiſiſtis in cognatum veſtrum? Dicente illo; Fuitne hoc peccatum? Subiecit Epiſcopus; Etiam crudele nimis. Et ille; Ego neque peccatum iudico, neque à Deo mihi remitti depoſco. Reſpondente Epiſcopo; Ego vobis Chriſti corpus non tradam, niſi parricidium idem confiteamini. Subiunxit vir nobilis; Sciatis domine, me illum non occidiſſe ex aliquo rancore, ſiue motu iræ, ſed ſolummodo ex Dei timore, zeloque iuſtitiæ. Nunquam aliquis filium ſororis plus diligere potuit, quàm ego illum dilexi. Si mihi corpus Domini mei negaueritis, ego illi corpus & animam meam commito. Hęc autem dixit & egit propter exemplum, ne iuſtitiæ, & iudicio derogare videretur. Vix enim Pontifex limen domus egreſſus fuerat, & ecce ægrotus eum reuocauit dicens; Reuertimini domine Epiſcope, reuertimini, videte ſi in pixide habeatis corpus Chriſti. Quod cùm feciſſet, nec aliquid in ea reperiſſet, ſubiunxit ille; Ecce quem mihi negaſtis, ipſe ſe mihi non negauit: apparuitque hoſtia in ore eius & impletum eſt in eo, quod per Sapientem dictum eſt; Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum; quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illūm: apparet autem eis, qui fidem habent in illum. Epiſcopus verò pauens, tantùm miraculum vbique diuulgauit, per quem etiam quibuſdam Abbatibus ordinis noſtri innotuit, qui anno Præterito illud in capitulo generali recitauerunt, cunctis

Sap. 1.

cunctis Dominum glorificantibus, qui facit mirabilia magna solus. APOLLONIVS: Valde me lætificat horum relatio. CAESARIVS: Aduerte nunc, quanta sit in corpore Christi dulcedo.

CAPVT XXXIX.

Dulcedo, quæ est in sacra Eucharistia.

NOui quandam sanctimonialem ordinis nostri, quæ illam accepit à Domino gratiam, vt quando communicat, tantam ex ipso sacro corpore dulcedinem sentiat, ac si mel reciperet: non saporem panis, sed mellis, vt dixi, in masticatione sensit tota illa die, maximè ante perceptionem cibi corporalis, saliuam habens mellifluam. Nec mirum legitur enim de manna, quod gustus eius fuerit quasi similæ cum melle. *Exodi 16.* Est autem eadem sanctimonialis, virgo vitæ venerabilis, cuius personam supprimo, eò quod adhuc viuat, & se prodi non permittat.

CAPVT XL.

SImilem gratiam, & fortè maiorem, audiui collatam fuisse dominæ Alheydi, primæ Abbatissæ Monasterij ciuitatis VVestualiæ: hæc quotienscunque corpus Domini à sacerdote suscepit, non panis soliditatem inter dentes, neque panis saporem intra fauces sensit, sed ipsum sacramentum, quasi fauus mellis, sine masticatione, per guttur eius in ventrem defluxit, sic vt mira suauitate omnia eius interiora replerentur: quando defuncta est, dominus Florentius Abbas de Campo sanctæ Mariæ, qui pater eius fuerat spiritualis atque confessor, post sepulturam eius omnibus, qui confluxerant, eandem gratiam prædicauit. *Marienfelt.* APOLLONIVS: Si de cadauere leonis, vt legitur in Iudicũ, egressa est dulcedo; nõ miror, si de corpore Christi, q̃ est leo de tribu Iuda, dulcedo egreditur. *Iudi. 14. v. 10. 5.* CAES. Iustè

iustè moueris; videtur huic beatæ congruisse illud sponsi in Canticis Canticorum: Fauus distillans labia tua sponsa, subaudis, est tibi corpus meum. *Canti. 4.* APOLLONIVS: Quæ tibi videtur fuisse causa illius dulcedinis in sacramento, atque liquefactionis? CAESARIVS: Ardor perfectæ charitatis, qua æstuabat; nam cùm esset naturaliter, vel potius ex abstinentia & laboribus semper pallida atque macilenta, quotiens eam communicare contigit, ità inflammabatur, vt facies illius igneo colore resplenderet. Legitur in Exodo, quod incalescente sole liquifiebat manna. *Exod 16.* Manna sua dulcedine, atq; albedine, significat Christum, qui ait; Ego sum panis viuus, qui cœlo descendi: de quo in Psalmo scriptum est: Panem angelorum manducauit homo. *Ioan. 6. Psal. 77.* Sol quia calet & illuminat, perfecta charitas est. Si enim manna liquifiebat incalescente sole, non mirum si eius significatum dulcescit, & liquescit, inardescente charitate. Et licèt in sacra communione huiusmodi dulcedo corporalis, siue liquefactio, sit rarior, non tamen ea dulcedine, seu liquefactione, quæ in anima sit spiritualiter, est salubrior. Bene Christi dulcedinem senserat, qui ait; Dulcis & rectus Dominus. *Psal. 24.* Et in alio loco; Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. *Psal. 118.* De liquefactione sponsa dicit in Canticis; Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. *Cant. 5.* APOLLONIVS: Placet quod dicis. CAESARIVS: Corpus dominicum manna est absconditum, omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suauitatem. *Apoc. 2. Sapien. 16.* APOLLONIVS: Si tanta gratia est in sacramẽto altaris, quid est quod alij alijs rarius cõmunicant? CAESARIVS: Quidam se subtrahunt ex humilitate, indignos se iudicãtes; alij minùs curãt, vel propter morsum conscientiæ accedere non audent: priores spiritualiter communicant, sequẽtes

magna gratia se priuant: quidam sunt, qui & libenter communicant, & tanta gratia se dignos exhibent, hi beati sunt. Ponatur duos æquales esse in charitate, & vnus simpliciter ad Christi corpus accedat, alter verò simpliciter dimittat, in communicante, sicut credo, intenditur charitas, & fit in eis mox meriti inæqualitas. APOLLONIVS: Vnde hoc probas? CAES. Manna non descendit sine rore, neq; Christi corpus à bonis sumitur sine augmẽto gratiæ. Quod bonum sit bonis communicare, duobus tibi exemplis pandam sequentibus.

Exod. 16.

CAPVT XLI.

Bernwo se cũ Christo.

IN Claustro, cuius sæpè memini, sicut mihi scripsit quidam ex sacerdotibus domus eiusdem, in quadam solennitate natiuitatis Domini, fratres ad sacram communionem se præparabant: cúque pacem iam accepturi post agnus Dei terræ, vt moris est, procumberent, vidit frater quidam puerum Iesum, non tamen quasi recenter natum, sed in cruce quasi passum, cuius omnia vulnera cruorem stillabant, quem tamen calix stans subter positus, totum recipiebat: vnde frater ille tantis sumẽdis sacramentis se indignum reputans, ad superiora stalla diuertit, alijsque innuentibus vt procumberet, se non processurum signauit. Prima autem cantata, alijs ad capitulum exeuntibus, ipse ad orationem faciendam, vt quidam facere solent, diuertit, venienſque ad altare sanctæ crucis, orationi intendit, & videbatur ei tempus breue, præ deuotionis magnitudine. Cumque orationem protraheret, & abire tempus non sentiret, apparuit ei beata Dei genitrix, & alloqui eũ dignata est; Cur, inquit, hodie sacrosanctum corpus & sanguinem dilecti filij mei non sumpsisti? At ille, non ore, sed corde se indignum clamabat. Ad quod beata Virgo re-

gò respondit; Tu te indignum cogitas, & quis putas tanta re dignus esse potest? Hanc igitur offensam tibi condonabo, sed vide ne de cætero simile feceris. Igitur cùm orationi intentus, & confabulatione beatæ Virginis delectatus, quasi in extasi raptus esset, tandem ad se redijt, & ad capitulum post alios occurrere festinabat. Ibat, & ecce occurrebant illi aliquanti fratres, sacra altaria circumeuntes, capitulum verò finitum erat: Ipse autem nesciens, & tempestiuè ad capitulum occurrere existimans, adhuc orabat, sed subsequens monachus signum Tertiæ pulsauit. Tunc demùm intelligens, quæ circa se gerebãtur, se ab hac noxa illi ad absoluendum commisit, qui eum sic absentauerat.

CAPVT XLII.

IBat post hæc in Cœna Domini quidam frater ad sacram communionem, & fuit planè in maximo torpore & diffidentia, ita quod etiam, si fieri posset, vellet se sacræ communioni non interesse. Procedebat igitur ad altare, vel potius eũdo se quasi subtrahebat à Deo, vt sequentibus esset molestus, ipsumque propellerent: cumq; ventum esset ad gradum presbyterij conuersus vidit alium fratrem, de quo supra dictum est, sequentem: venitque ei in memoriam visio quædam, quam ab illo didicerat, ac subitò mutatus in virum alterum, ibat spirans & anhelans, spiritu iudicij & ardoris accẽsus quasi furnus & inflamatus, ita vt se capere vix posset. In tali ergo spiritu cùm esset, & iam ad altare alacriter festinaret, vidit ille subsequens, & ex signis apparentibus, interioris hominis illius statum coniecit. Humiliante itaq; se illo, vidit iste posterior speciosissimũ puerũ manibus sacerdotis super altare accipi, & in os illius fratris deponi:

 & cùm

& cùm videret, terræ procumbens, ipsum, quem viderat, adorauit. Moti sunt autem super hac venia illius quidam, eò quod inordinatè fecisse videretur: & conuenit eum vnus, in audientia plurimũ minans, se eum proclamaturum. At ille causam ei qui sciebat commisit, vt ab hac eum verecũdia tueretur: qui immisit ei spiritum silentij & quietis, & non mouit illum. Porrò ille, qui puerum Iesum susceperat & portabat, ibat & reuertebatur in similitudinem fulguris coruscantis; incedebat, vel potiùs ferebatur, in iubilo cordis, in ardore spiritus vehementis, & in tantam spiritus ebrietatem deuenerat, vt quasi à sensu alienatus propemodũ se non sentiret, & vix ad stallum suum, sine titubatione rediret. Super hoc ab illo alio sæpè multumque conuentus, omnibus modis occultabat, donec ille tandem ei, qui de statu eius coniecerat, aperire compulsus est: & sic demum mutua sibi collocatione, quod viderant, & senserant, innotuerũt. APOLLONIVS: Si se à sacra communione subtrahentes à beata Dei genitrice sic corripiuntur, si ipse Dei filius sub eodem sacramento, tam veraciter, & tam gloriosè percipitur, & ex ipsa perceptione charitas intenditur, amodo libentius communicabo. CAESARIVS: In sacra Eucharistia, quã multiplex sit gratia, quàm multiplex virtus & medicina, subiecta declarabunt exempla.

Ezech. 1.

CAPVT XLIII.

Effectus aliquot miri S. Eucharistiæ.

MAgister Mauricius Parisiensis Episcopus ante mortem suam tam grauiter infirmatus est, vt materia rapta in cerebrum sensum ei subtraxerit: in tali defectu positus, cùm corpus Domini cum instantia postulasset, & hi qui circa eum erant, propter sensus inopiam, illud ei dare non auderent, procurauerunt cum sacerdote, vt hostiam

hostiam non benedictam apportaret. Qui cùm venisset cum multa reuerentia, qualiter decebat Episcopum communicare, mox vt limen domus sacerdos attigit, Episcopus clara voce clamauit; Tolle, tolle, nõ est Dominus Deus. Reuelauerat Deus auriculam eius, vt intelligeret quid circa se ageretur. Stupente sacerdote, nec non & alijs qui aderant, reuersus est, verum Christi corpus deferens. Quod cùm verbis catholicis valde, atque compũctus adorans, deuotè suscepit, cum quo & sensum ad Dei gloriam subtractum perfectè recepit. Sicq; in bona confessione, plenus fide & charitate, migrauit ad Dominum.

CAPVT XLIIII.

SImile contigit cuidam infantulo, sicut fratres eius carnales, Ludolphus & Henricus monachi nostri, mihi narrauerunt: qui cùm infirmaretur, Spiritu sancto afflatus, corpus Christi sibi dari petiuit: cumque eum parentes compescerent, ille fortiter clamauit; Date mihi corpus Domini. Delatum est verbum ad sacerdotem, qui cùm diceret, non est securum tali puero, qui non intelligit quid sit, dare corpus Domini, hostiam ei detulit non benedictam. Quam cùm ei porrigere vellet, & diceret; Ecce hic est corpus Domini, vt Dominus ex ore infantis perficeret laudem, & destrueret perfidiam multorum, qui de eodem sacramento malè sentiunt, inspirauit puero vt responderet; Quare me vultis decipere? non est corpus Domini quod mihi offertis. Ad quod verbum sacerdos admirans, & puero aliquid diuinitus inspiratum arbitrans, sacram ei communionem attulit, quam ille deuotè satis suscepit. APOLLONIVS: Sicut confidero, per desiderium Eucharistiæ vterque istorũ meruit spiritum prophetiæ. CAESARIVS: Tantæ virtutis est illius desiderium, vt per spiritum

Psal. 8.

Universidad de Deusto Biblioteca

tum quidam etiam reuelationibus illustrentur, Verbi causa.

CAPVT XLV.

Marienfelt. COnuersus quidam de campo Sanctæ Mariæ, cùm in quadam solennitate peteret à magistro suo licétiam eundi ad monasterium gratia communicandi, & ille non concederet, cæteris euntibus, ipse tristis remansit, habebat enim maximum desiderium communicandi. Eadem nocte & sequenti die, omnia quæ intra monasterium spiritualiter agebantur, diuinitus ei sunt relata: & licet absens esset corpore, spiritu tamen præsens fuit communicans spiritualiter, etsi non sacramétaliter. Reuersis fratribus, ipse eis per ordinem indicauit, quis Missam maiorem celebrasset, quis legisset epistolam, quis Euangelium: similiter ad vigilias, qui monachi, quas lectiones, vel quæ responsoria cantassent, cunctis mirantibus exposuit. APOLLONIVS: Quantum ex hoc loco conijcio, nõ benefaciunt qui tam salubre desideriũ impediunt. CAESARIVS: Hoc verum esse, sequens narratio declarabit.

CAPVT XLVI.

QVædam religiosa virgo, sæcularis tamẽ, cùm à sacerdote suo corpus Domini peteret, ille iratus cum indignatione respondit; Vos mulieres semper vultis communicare secundum libitum vestrum, & non dedit ei. Illa verò per totam Missam, & postea, diu in ore & in gutture suo tantam sensit dulcedinem, vt non dubitaret adesse totius dulcedinis auctorem. Eadem virgo, cum die quadam ex remoto deferri videret corpus Domini, miri odoris sensit ex eo fragrantiam, quam tantò plenius percepit, quantò sacramento plus approximauit. Gerlacus Supprior noster hæc mihi retulit, dicens se ab ore prædictæ virginis ea audiuisse. APOLLONIVS: Cùm corpus Dñi tantæ sit dulcedinis, tantique odoris, miror quare solo eius esu corpora non sustententur. CAES: Corpus Domini licet ore percipiatur, magis tamen cibus animæ, quàm corporis est, nec nobis incorporatur, sed Christo nos incorporat. Attamen quod corpus communicantis quandoq; sustẽtetur illo, duplici tibi pandam exemplo.

CAPVT XLVII.

Sacra Eucharistia, etiam corpus communicantis interdum sustentatur.

FOEmina quædam, sicut monachus noster Reinerus, quandoque Scholasticus Sancti Andreæ in Colonia, mihi recitauit, ex multa deuotione sæpe solita erat communicare: quæ quanto plus cibum cælestem cœpit appetere, tanto amplius corporalem cœpit fastidire: quod vbi sensit, ex permissione sui sacerdotis, singulis diebus dominicis communicauit. Cui cibus ille vitalis tantam contulit fortitudinem, vt sine omni esurie corporali, proximam expectaret dominicam: hoc multo tempore actitãs, gratiam sibi collatam prædicto sacerdoti confessa est. Ille verò cùm Episcopo loci rem tam mirabilem recitasset, timens Episcopus aliquid fallaciæ esse in causa, sicut vir sapiens, respõdit, Cùm denuò venerit ad te, loco Dominici corporis, hostiam ei porrigas non benedictam, per quam citius rei huius experieris veritatem. Quod cùm fecisset sacerdos, fœmina tentatam se ignorans, mox vt domum rediit, tam vehementer esurire cœpit, vt morituram se crederet, si non ocyus manducaret. Currens tamen prius ad sacerdotem, & eandem famem peccatis suis imputans, pedibus eius se prostrauit, & gratiam diuinitus collatã sibi subtractã lachrymabiliter exposuit. Quod vbi ille audiuit, gauisus est valde, gratias egit Deo, qui

qui facit mirabilia magna solus, & dedit ei verum Christi corpus; cuius virtuti, mox omnis esuries cessit, & gratia subtracta accessit; Episcopus verò hæc audiés à sacerdote, & ipse Deum glorificauit; APOLLONIVS: Rē recitas valdè miraculosam.

3. Reg. 9. CAESARIVS: Si Helias propheta in fortitudine panis ordeacei ambulauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus vsq; ad montem Dei Oreb, quid miraris si fœmina hæc incolumis potuit viuere pasta pane vitæ? Multiplex ex illo fortitudo est, non solùm animæ, sed & corporis. Aliud habes suprà exemplum de virgine de Quido, quæ præter Christi corpus, nihil comedit, excepta vua quam sugebat, in distinctione septima capitulo vicesimo hoc reperies. Audi nunc rem satis gloriosam.

CAPVT XLVIII.

LVdovvicus comes Lossensis, pater huius qui adhuc superest, etiam comiciam tenebat de Reinecke; cui propter * licentiam, miles quidam ministerialis bene natus, multas inferebat iniurias, sua sibi vsurpādo, & homines ad comiciam pertinentes deprędando: quod cum omnibus amicis suis comes conquereretur, & die quadam diceret cuidā nobili viro, qui ab eo bona tenebat; Quare mihi non capitis illū prædonem? Respondit; Bene eum caperem, si essem securus, quod à vobis in corpore non læderetur. Quē cū accepta fide cepisset, comes sophisma faciens, protinus sepulcrū fieri iussit, in quo militem mollibus inuolutum, sine pœna poni fecit, sicq; terra opertum extinxit. Cuius cognati mox furentes, coram Imperatore Frederico, auo huius, qui nunc imperat, contra præfatum virum nobilem, cū multa vociferatione, querimoniam deposuerunt, dicentes, quod accepta pecunia comiti illum tradiderit. Cumq; Imperator fremeret,

* al. absentiam.

fremeret, innocentem damnare volens, miles quidam honestus, ascenso scamno, loquendi licentiam petiuit & obtinuit; Domine, inquiens, medietatem vix verborum audiuistis, si miles præsens esset, fortè bene se excusaret. Respondente Imperatore; Licentiam habeas adducendi eum: miles militem adduxit; qui cùm per aduocatum plenè se excusasset, instigantibus aduersarijs, Imperator respondit; Verba sunt, non sic pœnam euadet. Resistente ei milite, qui illum adduxerat, & dicente, Domine, si eum læseritis, nunquam de cætero verbis vestris credetur. Placatus Imperator adiecit; Modò liber abscedat, & si à me, vel à meis postea captus fuerit, traditionis pœnam exsoluet. Cumque vir nobilis venisset ad limen palatij, sciens longas regibus esse manus, stans & apud se deliberans, redijt ad iudicium dicens; Domine non possum effugere manus vestras, tantum præsumo de mea innocentia, & Dei misericordia, vt in instanti paratus sim me defendere secundum quod iustitia dictauerit: & cùm sim nobilis, iuri meo cedo. Respondit Imperator, Modò loqueris sicut probus vir. Quæsitus est in parte aduersaria miles fortissimus, qui eum singulari duello impeteret: die verò altera, vir nobilis, præmissa confessione, corpus Dominicum suscepit, sicque cum aduersario suo, spem habens in eodem sacramento, circulum pugnaturus intrauit: quem cùm ille, sicut vir validissimus, impelleret & propelleret, & venissent simul ante Imperatorem, audiente tam Imperatore, quàm circumstantibus principibus, pugil clara voce ait ad militem; Dic mihi, comedisti aliquid hodie? respondente illo, Etiam, corpus Domini mei comedi. Miser ille subiunxit; Etiamsi diabolum comedisses, hodie te prosternam. Vt autem pius Dominus sacramenti virtutem ostenderet, mox post verba blas-

ba blasphemię, vires blasphemo subtraxit, & suum militem adeò roborauit, vt illum coram se minaret vt puerum, nec stare posset. Qui tandem se reddidit, sicque per esum Dominici corporis miles fidelis victoriam adeptus, cum multa gloria ad sua liber repedauit. Hæc nobis retulit Theodericus monachus noster, quandoque comes in VVida, qui duello interfuit, & hæc, quæ dicta sunt, vidit & audiuit. Igitur sacra communio salus est & animæ & corporis.

CAPVT XLIX.

MIles quidam nobilis, terram habens & castra, apud prædictum Fredericum Imperatorem à multis accusatus est, quod prouinciam spoliaret: quem cùm sæpius citasset, & non comparuisset, tandem proscripsit, mandans suis, vt illum caperent. Qui cùm lateret, non tamen minus rapinas exerceret, casu à quodam ex officio captus, patibulo, secundum quod Imperator præceperat, appensus est. Tertia die miles quidam prętieriens, cùm vidisset illũ, ait seruo suo; Deus, quàm pulcher homo erat iste. Respondente puero; Vir ille nobilis est consanguineus vester; accesserũt propius, vt depositum sepelirent: ad quos ille de patibulo clamauit, Deponite me. adhuc enim viuo. Aestimantibus illis quia fantasma esset, subiunxit; Nolite timere, quia homo Christianus sum. Depositus verò, sic ait; Modicum obsequij ego peccator Deo impendi, propter quod misertus est mei: singulis diebus tres orationes dominicas, cum totidem venijs Sanctæ Trinitati dicere consueui, angelica salutatione præmissa: quinque verò orationes, cum quinque venijs, & Aue Maria, quinque vulneribus Christi: simili modo vnam orationem, id est, Pater noster, angelo cui cõmissus sum: item eodem

eodem modo vnam corpori Christi, quod singulis diebus conficitur per vniuersum mundum, quatenus in fine vitæ meæ, tanto muniri viatico mereter. Quod & Dominus mihi præstabit sua misericordia: vnde rogo, vt vocetis mihi sacerdotem, à quo illud suscipiam. Qui cùm venisset, confessione præmissa, communicauit, moxque spiritum emittens, ad eum, cui incorporatus fuerat, feliciter migrauit: quem in cœmiterio sepelientes tam grande miraculum diuulgauerunt vbique. APOLLONIVS: Bene iam ex hoc considero, quod sacra communio salus sit mentis & corporis. CAESARIVS: Quod salus sit mentis, habes exemplum in distinctione 2. ca. 16. de milite Remensi, qui eius esu compunctus est ad pœnitentiam. Quod verò salus sit corporis, non solùm exemplum est nobis præsens miles, qui eius virtute conseruatus est ne moreretur, sed & subiecto pleniùs cognosces exemplo.

CAPVT L.

ANno præterito in VVide ciuitate Vvestualiæ, cùm ancilla sacerdotis de domo serò exiret, & diabolum in forma cuiusdam, à quo amabatur, conspiceret, aspectu illius horrens, se signauit, & monstrum mox disparuit. Cui diabolus iterum apparens ait; Si non fecisses hoc signum, domum viua non intrasses: quam cùm vocaret, & illa exire renueret, subiunxit; Tolle vestem istam: erat enim stragulata. Quæ tam in voce, quàm in horrore, diabolum intelligens, retrorsum cecidit, & sensum penitus amisit. Sacerdos verò hostiam, quasi pro remedio, mittens in os eius non benedictam, cùm nihil ei prodesset, digito saliua madefacto, corpus Domini retigit: quem cùm in os misisset mulieris, mox illa sensum recepit, locuta est, & sana surrexit. Hæc apud nos Canonicus quidam

quidam Præmonstratensis recitauit, asserens se eodem tempore fuisse in prædicta ciuitate. Prædictum miraculum audiui à quodam religioso Abbate nigri ordinis. Aduerte nunc quantum consequantur honoris Christi corpus honorantes.

CAPVT LI.

Honorantes S. Eucharistiam, honorem consequuntur.

TEmpore schismatis inter Philippum & Ottonem, dominus VVido Cardinalis, aliquando Abbas Cistercienſis, cùm missus fuisset Coloniam ad confirmandum electionem Ottonis, bonam illic consuetudinem instituit: præcepit enim, vt ad eleuationem hostiæ, omnis populus in ecclesia ad sonitum nolæ veniam peteret, sicque vsque ad calicis benedictionem prostratus iaceret. Præcepit etiam idem Cardinalis, vt quotiens deferendum esset ad infirmum, scholaris, siue campanarius, sacerdotem præcedens, per nolam illud proderet; sicque omnis populus, tam in stratis, quàm in domibus, Christum adoraret. Retulit eis eodem tempore casum satis miraculosum. Miles quidam in Francia fuit tantæ deuotionis, vt quotiescunque Christi corpus eleuari, siue deferri videret, prostratus illud adoraret. Contigit vt die quadam vestibus suis pretiosis indutus intraret ciuitatem, cumque platea, in qua equitabat, nimis esset lutosa, ex improuiso obuium habuit corpus Domini: quo viso, modicum intra se deliberans, ait; Quid facies modò? si in tanta profunditate te prostraueris, perdita sunt vestimenta tua hæc delicata; si verò non descenderis, saluberrimæ consuetudinis transgressorem te semper accusabit cõscientia. Quid plura? præualescente deuotione, de equo prosiliens, in lutum se misit, in quo flexis genibus, eleuatis manibus, Christi corpus adorauit. Et quia dulcissimus Dominus honorantes se, non solùm

solùm in futuro remunerat, imò etiam in præsenti nonnunquam rehonorat; hoc egit sua potentia, vt totius luti, nec vna quidem guttula vestimentis eius adhæreret. Tunc equum cum multa admiratione reascendit, & amplius in fide confortatus, Deum glorificauit. Simile contigit cuidam religiosæ fœminæ, in prouincia nostra. APOLLONIVS: Satis delector in istis miraculis. CAESARIVS: Hoc etiam noueris, quia sicut Dominus sua sacramenta, vt prædictum est honorantibus rependit honorem, sic blasphemantibus illa nonnunquam in præsenti, pœnalem inducit confusionem.

CAPVT LI.

In sacram Eucharistiã sacrilegi & blasphemi puniti.

NON est diu, quod quidam sub schemate religionis venientes in diœcesim Coloniensem, in diuersis ecclesijs corpus Domini furati sunt: de reliquis verò ornamentis, calicibus scilicet, libris, siue indumẽtis sacerdotalibus, nulla eis cura fuit. Ex quibus vnus in prouincia nostra deprehensus, & vbinam reliquisset corpus Domini requisitus, respondit; In lutum iactaui illud. Propter quod miser suspensus, proiectus est in cloacam inferni. In proxima verò synodo, à domino Engelberto Episcopo præceptum est, vt in omnibus ecclesijs diœcesis suæ, corpus Domini sub clausura seruaretur. APOLLONIVS: Quid est quod hæretici hoc sacramentum tam vehementer persequuntur? CAESARIVS: Quia fideles illud ante omnia venerantur, & maximè honorant; idcirco hæretici, idem sacramentum corporis Christi illis in odium, maximè execrantur. Multa in distinctione quinta cap. 22. de errore hæreticorum dixisse me recolo, & fortè nimis, timeo enim aliquos inde posse scandalisari, sed quicquid ibi dictum

ctum est, sicut testis est mihi Dominus, dixi ad gloriam Christi atque catholicorum, & ad confusionem hæreticorum. APOLLONIVS: Satisfactum mihi fateor, quantum gratiæ mereãtur dignè communicantes. CAESARIVS: Prius tibi ex scripturis ostendam, quàm periculosè, & quàm grauiter peccent sacerdotes, indignè conficientes.

CAPVT LIII.

Sacerdotes indignè Missam celebrãtes, quàm grauiter peccent.

2. Reg. 6.

SIcut legitur in Regum, Oza sacerdos, bobus recalcitrantibus, ad arcam, ne declinaret, manum extendit, & mox super temeritate eum Dominus occidit: dicitur eadem nocte fuisse cum vxore sua. Si sacerdos accedens ad arcam figuralem subleuandam, ob iam dictam causam morte mulctatus est; quid putas pœnæ merentur sacerdotes adulteri, & fornicarij, manibus verum Christi corpus tangentes? Si Ioannes, vt ait Augustinus, à pueritia in heremo conuersatus, in vtero matris sanctificatus, ausus non fuit illum tremendum, & reuerendum angelis Domini verticem tangere, quomodo tu peccator & pollutus, non dico verticem, sed totum Christum, Deum & hominem, non solùm tangere, sed in ergastulo polluti corporis quasi includere, & incarcerare præsumis? Multa alia contra malos sacerdotes proferre possem testimonia, sed magis te ædificant exempla.

CAPVT LIIII.

IN Hademmare villa diœcesis Treuerensis, cùm quidam sacerdos, qui adhuc viuit, Missam celebraret, Theodericus monachus Eberbacensis in hora sumptionis, carbones nigerrimos illum vidit masticãtem. Est enim idem Theodericus sacerdos simplex & rect', & multa ei diuinitùs reuelãt.

Exi-

xistente me anno præterito cum Abbate meo in eadem villa (habet enim domus de Eberbaco grangiam in eadem villa, & ad eam spectat diuina illic procurare) retulit nobis magister grangiæ dicens; Tantum pecuniæ oportet me dare sacerdoti prædicto, ne ecclesia diuinis careat: est enim homo vitæ peruersæ ac luxuriosus, tres Missas frequenter in die celebrans. Cui Abbas respondit; Potius ei darem pecuniam ne celebraret: qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. APOLLONIVS: Quid significat ꝗ carbones visus est manducare? Sumuntne mali corpus Domini? CAESARIVS: Sumunt, sicut & boni, sed tantum sacramentaliter. Carbonem ignis creat, & est carbo extinctus ignis nutrimentum: qui enim indignè Christi corpus tractat & manducat, gehennam sibi præparat, &, nisi de tanta culpa pœniteat, erit in combustionem, & cibus ignis æterni.

1. Cor. 11.

CAPVT LV.

REtulit mihi anno præterito Prælatus quidam religiosus de partibus Frisiæ, rem nimis horrendam, de quodam sacerdote in eisdem partibus. Habet enim manus tam tremulas, vt corpus Domini, non nisi per fistulam possit sumere. Die quadam, cùm ex eius manibus sacramentum super terram cecidisset, timens ne ab aliquo possit videri, qui culpam proderet, timens etiam ecclesiæ suæ, plus quàm animæ, pede illud dicitur calcasse. APOLLONIVS: In omnibus Christi passionibus, non legi talem contemptum. CAESARIVS: Idcirco dicit Augustinus super illum locum; Dederunt in escam meam fel, de crucifixoribus eius;

Qui.

Quibus similes sunt indignè, inquit, sumentes & conficientes. Grauius enim peccant contemnentes Christum regnantem in cælis, quàm qui crucifixerunt, ambulantem in terris. Quod verò ab eis conculcetur, alibi dicit; Conculcat Christum, qui libere peccat, & qui eo indignè participat. Ob huiusmodi excessus his tẽporibus grauissimè plagata est Frisia, sicut dixisse me memini in distinctione septima capitulo tertio, de pugile, qui corpus Domini sacerdoti de manibus excussit. APOLLONIVS: Si mali sacerdotes Christi corpus in altari, vt mihi videtur, crederent, nunquam talia præsumerent. CAESARIVS: Quidam credunt, quidam non credunt: vt enim taceam de malis, de bonis sacerdotibus tibi referam exemplum.

CAPVT LVI.

Non credentes veritatem S. Eucharistiæ.

COloniæ in ecclesia Sancti Andreæ Canonicus quidam extitit, ordine sacerdos, arte medicus, Petrus nomine. Cùm die quadam, quidam ex eius concanonicis infirmus, eo præsente esset communicaturus, & ei sacerdos diceret, Credis hoc esse verum corpus Domini, quod natum est de virgine, & pro te passum in cruce? Illeque responderet, Credo: Præfatus Petrus vtrorumque verba notans, expauit. Postea solus conueniens Euerhardum Scholasticũ ecclesiæ, qui & ipse communioni intererat, ait: Interrogauit sacerdos infirmum illum bene? Et respondit ille; Etiam, bene, inquit; qui aliter credit, hæreticus est. Tunc Petrus eiulans, pectusque tundens exclamauit dicens; Væ mihi misero sacerdoti, quomodo hactenus Missas celebraui? nam vsque ad hanc horam, putabam speciem panis & vini post cõsecrationem, tantum esse sacramentum, id est, signum & repræsentationem Dominici corporis & sanguinis. Postea verò ad de-

ad deletionem eiusdem ignorantiæ, quæ nimis erat crassa, in honore beatæ Mariæ Magdalenę in Stolgingasse & capellã & hospitale, in quibus nunc habitant Prædicatores, ædificauit. Si verò sacerdos literatus, & bonæ admodum vitę, sic errare potuit, quid dicam de idiotis & malis? APOLLONIVS: Si Christus in altari tam à malis, quàm à bonis tractatur & sumitur, puto quod malos valdè indignè respiciat. CAESARIVS: Respectus Christi, non potest esse sine misericordia, sed secundum subsequens exemplum, quod periculosius est, faciem ab eis auertit.

CAPVT LVII.

De indigne Missam celebrantibus.

SAcerdos quidam, cùm Missam diceret, & Christi corpus in manibus haberet, quidam ex circumstantibus in manibus eius puerum vidit, facie ab eo auersa: quod vbi agnouit, auersionem eandem meritò peccatis suis imputans, turbatus est, ita vt dicere posset cùm Psalmista: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Spero quod postea vitam suam emendauerit. Quibusdam etiam sacerdotibus indignè conficientibus pius Dominus sacramentum subtrahit, ne sibi ad iudicium sumant. *Psalm. 29.*

CAPVT LVIII.

QVidam sacerdos, Ervvinus nomine, Coloniæ in ecclesia beati Petri Apostoli, ad altare sanctæ crucis Missas celebrare consueuit: hic cùm die quadam post transsubstantiationem hostiam deponeret, de altari rotabatur: quam cùm vbique circa altare quæreret, & populus cum eo, non est inuẽta. Haud dubium, quin per manus sanctorum angelorum perlata sit in sublime altare Dei, ne sacerdos luxuriosus, eam sumeret ad tuam

damnationem : habebat enim concubinam suam manifestè. Simile habes in distinctione secundà capitulo quinto, de sacerdote cui columba ob fornicationem sacramentum tulit. Alij sunt sacerdotes circa sacramentum altáris tam negligentes, & tam indeuoti, vt ex consuetudine conficiendi, corpus Domini à cibis alijs non discernant.

CAPVT LIX.

ABbas Daniel de Sconauia, cùm Prior esset apud nos, sicut ipse nobis retulit, celebrandi gratia capellam Sancti Reinoldi, quæ sita est iuxta ecclesiam sanctorum Apostolorum in Colonia, intrauit: qui cùm sacerdotalibus fuisset indutus, & populus ad audiendam Missam per nolam conuocatus, cùm calicem præpararet, particulam crudæ carnis illi intrinsecus reperit adhærentem. Territus valdè, cùm deliberaret vtrum sibi esset celebrandum, vel cessandum, populum timens scãdalisare, si vestes exueret, panem calici superposuit, vinum & aquam infudit, sicque celebrans, totum simul sumpsit. Dicta missa requisiuit ab inclusa, cui calix commissus fuerat, quis nouissimè in eodem calice celebrasset: quæ respondit; Dominus talis, nomine eum designans. Erat enim dictæ ecclesiæ sanctorum Apostolorum Canonicus sacerdos secularis nimis, modicum vel nihil habens religiositatis, deuotionis, siue diuini timoris. Ego puto me eidem Missæ interfuisse. Confessus est nobis præfatus Daniel, & si tunc non mihi, nunquam se in aliqua Missa tantum habuisse consolationis, antea vel postea, quantũ in illa. Postea cùm idẽ Bertolphus hospitaretur apud nos, Abbas noster negligentiam ei recitauit, sed nescio qualiter Deo satisfecerit. APOLLONIVS: Melius esset tam miseræ

miseræ vitæ sacerdotibus, de qualibus suprà dictũ est, tacitis verbis, & remota intentione, tantùm simulatione celebrare, quàm corpus Domini conficere, & sumere ad iudicium sibi. CAESARIVS: Plus istos quædam authoritas dicit peccare, quia nihil simulatoriè, nihil pstigiosè, vel aliter quàm institutum est in ecclesia, in hoc sacramento fieri debet. Idem sentiendum est de his, qui sine ordinibus celebrant, & more simearum alios imitantur. APOLLONIVS: Vnde hoc probas? CAESARIVS: Ozias Rex Iuda, cùm ex nimio feruore deuotionis officium sacerdotale sibi vsurparet, à Domino lepra percussus est. Non puto quin multi sub eo essent mali sacerdotes indignè offerentes, qui tamen puniti non sunt. Sicut enim secundum quãtitatem & qualitatem culpæ quantitas & qualitas pœnæ moderantur : ita econtrario, ex pœna cognoscitur culpa : audi de hoc recens exemplum. 2. Par. 26.

CAPVT LX.

SIcut mihi narrauit supradictus Daniel, clericus quidam quando Parisijs studuit, horrẽdum satis spectaculum in ecclesia sanctæ Mariæ Dei genitricis populo præbuit : Nam sacer ignis penè manus eius deuorauerat: quem secretius cùm campanarius interrogasset, cuius esset ordinis, & ille respondisset, Sacerdotij, subiunxit; Nunquam sacro Chrismate manus istæ perunctæ sunt. Sentiens ille spiritu prophetico se deprehensum, confessus est culpam. Quantum Christo tanta præsumptio displiceat, sequens exemplum manifestat. *Missam dicentes non ordinati Sacerdotes, puniuntur.*

CAPVT LXI.

DIaconus quidam Steinueldensis, de ordine Præmonstratensi, Gerhardus nomine, apostatans;

ſtatans, circa quatuor tempora ſe ordinem ſacerdotalem ſuſcepiſſe finxit, & Coloniæ in Baſilica Sancti Michaëlis, quæ in porta Martis poſita eſt, quaſi primam Miſſam, inſtruente eum ſacerdote, miſerrimus celebrauit. Ego eidē Miſſæ tunc ſcholaris interfuſi, & multas recepit oblationes; confeſſus eſt poſtea ſacerdoti, qui ei aſtitit, à quo ego audiui, quod quotiens ſe vertit ad populum, crucifixum contra ſe ſtantem, viderit lachrymantem: eſt enim imago eadem antiqua, & ſculpta, magna ſatis. Nam pius Dominus, qui olim fleuit ſuper malitia ruituræ ciuitatis Ieruſalem, etiam de pręſumptione tanta, lachrymari dignatus eſt. Ex lachrymis verò imaginis Chriſti, conſiderans magnitudinem culpæ, pœnitentia ductus, ſedem Apoſtolicam petijt, & in eadem via vitam finiuit. Hæc dicta ſufficiant de ſacerdotibus indignè conficientibus. De indignè ſumentibus aliqua tibi dicam exempla.

Luca 19.

CAPVT LXII.

De indignè communicantibus.

IN Exodo præcepit Dominus agnum paſchalem comedi aſſum igni, & cum lactucis agreſtibus, renibusque ſuccinctis: ſi de agno figurali per ſignificationem hæc percepta ſunt, quomodo aliquis audebit accedere ad eſum veri agni, ſine igne charitatis, ſine amaritudine cordis, & caſtitate corporis? Nicodemus attulit myrrhæ & aloës quaſi libras centum, & inuoluit Dominum in ſindone munda, & poſt ſepeliuit in monumento nouo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat: & tu quiſquis in peccatis es, ſine myrrha & aloê, id eſt, ſine amaritudine pœnitentiæ, cordisque contritione, Dominum in ſepulchro fœtido reponis? Agnus paſchalis decima die menſis tollebatur, & quarta decima die immolabatur: per quod oſtenditur, quod

Exod. 12.

Ioan. 19.

Matth. 27.

Exod. 12.

quod non debet accedere ad Euchariſtiam, niſi qui impleuerit præcepta decalogi, & pręcepta quatuor Euangeliorum. Audi nunc quid mereantur indignè communicantes.

CAPVT LXIII.

IN Hemmenrode Conuerſus quidam fuerat nomine VViricus, hic ante conuerſionem malè vixerat, & in ordine modicum ſe emendauerat. Die quadam cùm iret ad ſacram communionē cum cæteris fratribus, in hora illa, qua ei ſacerdos corpus Domini porrigebat, alius quidam Conuerſus religioſus, vidit in os eius mitti, non ſacramentum, ſed carbonem nigerrimum. Rationem ſupradictam, cap. 54. hic aſſigna de ſacerdote de Hademmare. Quoſdam Dominus corpus ſuum ſumere non ſinit, vt culpam eorum manifeſtet.

CAPVT LXIIII.

VIx duo anni ſunt elapſi, quod Conuerſus quidam de ordine noſtro infirmatus eſt grauiter in Pictauia domo, quę dicitur Fumoringeus: cuius confeſſionem cùm Abbas audiuiſſet, eumq; ſatis diligenter ad emendationem conſcientię monuiſſet, allatum eſt ei corpus Domini: quod quidem aperto ore ſuſcepit, ſed os ad maſticandum claudere non potuit. Mirantibus vniuerſis, qui aderant, ſacerdos ſacramentum extrahens, alteri dedit infirmo, quod ille deuotè ſatis, ſine omni ſuſcepit impedimento. Non multò poſt Conuerſus idem mortuus eſt, & cauſa ſalutem eius impediens declarata eſt: nam quinque ſolidi, non argentei, ſed ærei, cùm eſſet abluendus, circa eum inuenti ſunt: non autem ei licuit habere pecuniam. Et glorificauerunt Deum videntes hæc: ad mandatum verò Abbatis in campo ſepultus eſt, & ſuper eum

ijdem solidi proiecti, dicentibus omnibus qui aderant, Pecunia tua, quam clam nobis contra professionem tuam possedisti, tecum sit in æternã perditionem. Hæc cùm idem Abbas recitasset in proximo capitulo generali, subiunxit; Et vt sciatis nullam fuisse infirmitatem in causa, quare corpus Domini sumere non posset, eadem die gallinam integram, vitæ gratia comedit. AEstimo tibi iam satisfactum, quod sub specie panis sit verum corpus Christi, & sub specie vini post consecrationem verus sanguis Christi, & quod dignè conficientes, atque sumentes mereantur gratiam, indignè verò culpam. APOLLONIVS: Etiamsi de his dubitassem, amodo dubitare non possem. CAESARIVS: Dicam tibi in fine nunc huius distinctionis, quantum Deo placeat, si mundè & solicitè fiant, quæ tanto sacramento fuerint necessaria.

CAPVT LXV.

Munda esse debere, & diligenter parari, quæ ad S. Eucharistiam pertinent.

CIrca hoc biennium iuxta Coloniam, in villa quæ Belle vocatur, gestum est quod dico. Die quadam, cùm sacerdos Missam celebraret, & dicto Euangelio, vt secularibus mos est, ministrante scholare, hostiam patenæ superpositam, super corporale locasset, illa mox resiliuit. Putans hoc sacerdos casu accidisse, neque hostiam bene locatam, denuò eandem superposuit, quæ remotius eo intuente resiliuit, quàm prius: cumq; tertiò id tentasset, quasi turbine impulsa, proiecta est de altari. Quo viso, territus est valde, & se tanto ministerio indignum reputans, præcepit scholari, vt eadem hostia reseruata, aliam superponeret, quã & consecrauit. Dicta verò Missa, tollens secum hostiã prædictam, Coloniam properauit, inueniensque Priores apud sanctos Apostolos, hostiam eis ostendit, quid de ea actum sit recitauit. Cunctis causam miranti-

rantibus, vnus clericorum, hostiam contra lucem leuans, maculam in ea contemplatus est: quam cùm in aspectu multorũ fregisset, cimex, qui vulgo pediculus parietinus dicitur, apparuit in ea decoctus: & glorificauerunt Dominum omnes qui aderant. Haud dubium quin à sanctis angelis reiecta est, qui non sunt passi, vt panis tã fœtido vermiculo corruptus, per ministerium sacerdotis, trãsiret in corpus Domini sui. Hellevvicus Prior montis sanctæ VValburgis, testatur se eandem hostiam vidisse: sacerdos adhuc viuit, qui mihi minus credit, interroget illum. Vides quanta sit negligentia sacerdotum nostrorum? Olim sacerdotes legales, ad panes propositionis, agros ipsi excolebãt, seminabant, triturabant, molebant, pinsebant, panes formabant, & coquebant; erantque de simila mundissima: attamen in illis panibus, sola erat figura. Heu modò panes, sub quibus est veritas, id est, corpus Christi post consecrationem, modò pinsunt, formant, & coquunt negligentes vxores campanariorum, & ideo tales eueniunt negligentiæ. Vnde cùm Abbas noster die quadam celebraturus esset Missam in quadam ecclesia, & essent hostiæ nigerrimæ, ait campanario: De quo grano sunt hostiæ istæ? Respondente illo; De auena. Noluit celebrare, valdè arguens illum dixit, quod nihil ibi fieret. APOLLONIVS: Quid sentiendum est de spelta? CAESARIVS: Requisitus de hoc dominus Papa Honorius per litteras cuiusdam Abbatis ordinis nostri, respondit, speltam magis pertinere ad hordeum, quàm ad triticum. De corporali verò tibi etiam referam exemplum.

CAPVT LXVI.

IN domo quadam sanctimonialium, cùm custos cœnobij eiusdem, fœmina religiosa, die quadam

dam corporale lauisset, iuuencula quædam quæ ei ad solatium fuerat deputata, cùm ea lotum extendit ad siccandum, ad cuius tactum, mox macula sanguinis apparuit; qua visa, custos iterum corporale lauit, & maculam abluit, sed mox vt iuuencula manum apposuit, mox eadem apparuit. Delatum est miraculum ad magistram, iniunctæ sunt orationes, reuelata est causa, quæsita est, & inuenta. Fuerat enim impregnata occultè, & ideò tactu corporalis indigna. Quantum Deo mundæ manus placeant ad idem ministerium, sequens declarat exemplum.

CAPVT LXVII.

GOdescalcus de Volmunsteyne, cuius suprà memini, cùm die quadam corporale cum sacrista nostro extēdisset ad poliendum, illudque per medium rupisset, custos illud complicans in theca reposuit; postea autem illud explicans, cùm integrum reperisset, miratus est valdè, sanctitati prędicti sacerdotis illud adscribens. Quantum gratiæ in exiccatione vnius corporalis meruerit virgo de Quiden, habes suprà in distinctione 7. ca. 20. Igitur pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim verus est agnus, qui abstulit peccata mũdi. Sine esu huius agni, securi non egrediemur de AEgypto, id est, de hoc mundo. Differentia, & modus comestionis, ventilata sunt, sic illum comedere studeamus, vt eius virtute, de deserto nostræ religionis, peruenire valeamus in terram veræ promissionis, in qua per ipsum, & cum ipso vltimum & æternum pascha celebrare mereamur. Amen.

1. Cor. 5.

FINIS LIBRI nono.

CAPITA

CAPITA LIBRI decimi.

QVid sit miraculum, à quo, vel à quibus fiat, seu in quibus, quæ etiam sit causa miraculorum cap. primum.

De VVinando, qui infra vnam horam ab Ierusalem translatus est in diœcesim Leodiensem cap. 2.

De monacho idiota, qui in somnis accepit scientiam prædicandi cap. 3.

De clerico, qui per minutionem sanguinis scientiam litterarum perdidit, & rursum accepit eandem anno reuoluto, sanguinem minuendo cap. 4.

De Conuerso Eberbacensi, cuius tactu infirmi sanabantur cap. 5.

De monacho contemptore temporalium, cuius tactu vestimentorum infirmi sanabantur cap. 6.

De rustico in Heymersbach, fornaci incluso, & per sanctum Iacobum liberato cap. 7.

De Abbate, qui in charitate à monacho suo admonitus carnes comedit cap. 8.

De monacho, qui carnem fœtidam cœpit comedere, cùm Abbati suo obedire noluit ad esum carnium cap. 9.

De fœmina à dæmonio liberata, & ab eodem ob inobedientiam confracta cap. 10.

De dæmone, quem Albertus Scodehart iocularitet eiecit cap. 11.

De Theoderico milite de Rulant, qui fluxu sanguinis laborans Saracenos miraculosè fugauit cap. 12.

De milite, cuius vinea collecta, ob perfectionem decimationis, miraculosè repleta est cap. 13.

De Conuerso, cuius oratione olla confracta, miraculosè reparata est cap. 14.
De Conuerso, ob cuius obedientiam, pisa in agro siccanda, miraculosè versa sunt cap. 15.
De Sophia Abbatissa, cui tenua ceruisia versa est in vinum cap. 16.
De pistrice blasphemante, cuius pasta versa est in simū cap. 17.
De Ottone de Stomburch, qui per totam quadragesimam carnes comedit, & post pasca illu vesci non potuit cap. 18.
De crucifixo apud sanctum Goarem vulnerato, de quo sanguis exiuit cap. 19.
De cruce lanceata, cui simile contigit cap. 20.
De furibus, qui in Traiecto crucem furati sunt, & suspensi cap. 21.
De matrona, quæ sine dolore peperit, cùm consensisset in mariti signatione cap. 22.
De diuisione solis in tres partes cap. 23.
De eclypsi solis, & morte Philippi Regis cap. 24.
De stella, quæ visa est Coloniæ post meridiem cap. 25.
De stella maxima, quæ apparuit post solis occasum cap. 26.
De tonitruo & fulmine in vigilia sancti Matthiæ cap. 27.
De theatro in Saxonia fulminato cap. 28.
De sacerdote propter peccata sua à fulmine consumpto cap. 29.
De Richvvino à prædonibus per tonitruum liberato cap. 30.
De vidua, quæ mensuras suas ponens contra ignem, domum suam ab incendio liberauit cap. 31.

De

De ciue Susatiensi, cuius vestis combusta est, cruce custodita miraculosè cap. 32.
De pomo combusto, zona crucis, quæ circumligata fuerat, illæsa cap. 33.
De clerico, qui à meretrice infamatus, incendium non sensit cap. 34.
De piscatore fornicario, quem candens ferrum ob confessionem non lasit, & postea recidiuantem, aqua frigida combussit cap. 35.
De viatore incendiario, quem frigidum ferrum inussit cap. 36.
De crucibus, quæ apparuerunt in Frisia tempore prædicationis crucis cap. 37.
De cruce, quæ apparuit in Sotershusen iuxta solem cap. 38.
De alia cruce, quæ visa est in villa Docheym in prouincia Frisiæ cap. 39.
De crucibus, quæ visa sunt eodem tempore in villa Hellendorp cap. 40.
De nube, quæ in Saxonia cadens multos submersit cap. 41.
De monstro in puero per baptismum fugato cap. 42.
De pagano apud Babylonem baptisato, & sanato cap. 43.
De auctore huius dialogi, qui beneficio baptismi conualuit cap. 44.
De cane, qui à scholaribus baptisatus, in rabiem versus est cap. 45.
De Richardo rege Angliæ, & periculo eius in mari cap 46.
De pressuris, quæ factæ sunt nostris temporibus ca. 47.
De terramotu in Cypro cap. 48.

De ter-

De terræmotu in Brixa cap. 49.
De terræmotu in Colonia cap. 50.
De igne, qui visus est de cœlo in terra Comitis de Monte cap. 51.
De homine, de fodina, in qua per annum iacuerat obrutus, mirabiliter liberato cap. 52.
De homine, qui sacramentum cinerum irridens, puluere suffocatus est cap. 53.
De Conuerso subulco, & arbore eius meritis scissa cap. 54.
De puella, & silice, in signum stabilitatis, scissa cap. 55.
De auicula meritis sancti Thomæ Episcopi Cantuariensis à miluo liberata cap. 56.
De columbis, quibus miles dedit licentiam auolandi cap. 57.
De ciconijs, quibus Prior Cisterciensis benedictionem dedit cap. 58.
Quod hirundines semper solita petant loca cap. 59.
De ciconia propter adulterium occisa cap. 60.
*for. esoxe. De annulo Conradi Præpositi in *esoto reperto cap. 61.
De aquis in sanguinem versis, & de piscibus earum cap. 62.
De bubalis, qui custodem suum interfecerunt cap. 63.
De lupa, quæ scholarem interfecit in Carpania cap. 64.
De homine, cuius omnes liberos lupi suffocauerunt. cap. 65.
De lupo, qui puellam traxit in nemus, vt os de gutture socij extraheret cap. 66.

De bu-

De bufone, qui persecutus est Theodericum cognomento Cancer cap. 67.
De bufone, qui in fiala bibuli sacerdotis repertus est. cap. 68.
De bufone, qui repertus est super altare Iudæorum cùm celebrarent scenophegiam cap. 69.
De serpente, qui vulnus satellitis suxit, & sanauit. cap. 70.
De matrona Flandrensi, quæ serpentem in orbita bibit, & in partu eundem effudit cap. 71.
De muliere, cui dormienti serpens per os ingressus est, & per partum egressus cap. 72.

DE MIRACVLIS LIBRI DECIMI

CAPVT PRIMVM.

CAESARIVS:

NON sine ratione post sacramentum corporis & sanguinis Christi tractandum suspicor de miraculis, quia qui dignè illud conficiũt, vel eo participant, nonnunquam gloria miraculorum illustrãtur. Licèt enim omnia quæ in superioribus distinctionibus dicta sunt, satis sint miraculosa; attamen in præsenti distinctione aliqua de rebus miraculosis dicere proposui. Et bene hoc fieri arbitror in distinctione decima, eò, quod AEgyptus decem plagis

De miraculis in genere.

gis

gis valdè miraculosè percussa est. APOLLONIVS: Quid est miraculum? CAESARIVS: Miraculũ dicimus quicquid fit contra solitum cursum naturæ; vnde miramur: secundum causas superiores, miraculum nihil est. APOLLONIVS: A quo, vel a quibus, fiunt miracula? CAESARIVS: fiunt Deo auctore, secundũ quod in Psalmo dicitur: Tu es Deus, qui facis mirabilia. Fiunt etiam miracula, tam per bonos, quàm per malos: de bonis quæstio non est: de malis verò Saluator dicit in Euangelio; Multi dicent mihi in illa die, Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & nomine tuo virtutes multas fecimus? Et confitebor illis, Quia nũquam noui vos. APOLLONIVS: Vellem mihi nunc expediri, ô Cæsari, quæ sit causa miraculorũ. CAESARIVS: Causa multiplex est, mihique inexplicabilis: aliquando Deus miracula operatur in elementis, vt mortalibus suam ostendat potentiam: aliquando genera dat linguarum, siue spiritum prophetiæ, vt manifestet suam sapientiam: aliquando gratiam dat sanitatum, vt suam magnam nobis reuelet misericordiam. APOLLONIVS: Satis ex dictis tuis intelligo, Deum esse causam miraculorum principalẽ, licèt finalis causa varietur. Superest ergo, vt quàm breuiter expedias, in quibus fiant miracula. CAESARIVS: In hominibus, in elementis, igne scilicet & aëre, aqua & terra, in auibus, piscibus, animalibus, & reptilibus. Quæ vt magis tibi fiant nota, aliqua de singulis tibi tradam exempla. De sanctis qui nostris fuerunt temporibus, miracula plurima tibi dicere possem, sed scripta aliorum, silentium imponunt mihi: aliqua tamen tibi referam vnde satis miraberis. Nostris enim contigit temporibus quod sequitur exemplum.

Psal. 76.

Matth. 7.

CAPVT

CAPVT II.

Miracula facta in hominibus.

IN diœcesi Leodiensi villa, quæ Elselo dicitur, laicus quidam habitabat religiosus, nomine VVinandus, matris monachi nostri VVinandi, à quo nomen traxit, auunculus. Hic tempore quodam peregrinationis gratia, cum quibusdam prouinciæ suæ hominibus Ierosolymam profectus est. In die paschæ, cùm post solennia Missarum, se ad reditum illi præpararent, eisq; prædictus VVinandus, vt homo deuotus, suaderet dicens; Conueniens est fratres, vt in hac sacratissima die quiescentes, omnes eius horas peraudiamus: persuadere non potuit; festinantibus eis ad portum, ipse remansit, omniaque diei officia illius peraudiens, solus post eos die sequenti iter arripuit. Cui persona magnæ reuerentiæ, illi in equo occurrens, atque salutans, ait; Cur sic bone homo solus incedis? vel vnde venis? respondente eo, Ab Ierosolymis venio, & sic atque sic mihi contigit. Ille protinus subiũgit; Ascende, & sede post tergum meum, bene sequemur socios tuos: quòd cùm fecisset, eadem die iuxta prædictam villam eum deposuit dicens; Cognoscis vbi sis? dicente illo, Prouinciam quidem cognosco, sed quid circa me agatur ignoro. Eques adiecit; Quia Christum honorasti, idcirco missus sum vt te reducerem; ecce domus tua, vade, & enarra mirabilia eius, quæ circa te gesta sunt. Quem cum noti eius vidissent, dixissentque; Vbi sunt socij tui? Respondit; Hodie fui in Ierusalem, & reliquerunt me ibidem, præcedentes me & non crediderunt ei, dicẽtes: Senex iste delirat: qui statim conciuium subsannationes declinans, cum pecunia, quæ ei supererat ex gratia cœlestis conuictoris, limina beati Iacobi Apostoli petiuit, & antequã socij eius redirẽt, ipse redijt. Duplici ergo testimonio

ſtimonio glorificatus, peregrinorum videlicet, quod in Paſcha in Ieruſalem ſit relictus; & conciuium, quod die ſequēti in Elſelo ſit viſus, ab vtriſque magnificatus eſt Dominus tanta miracula vbique diuulgantes. APOLLONIVS: Si Gerhardus de Hollenbach, ſicut dictum eſt in diſtinctione octaua, capitulo 58. tranſlatus eſt in ictu temporis ab India in prouinciam noſtram, miniſterio diaboli, Dei tamen præcepto, non hoc miror de cœleſti nuncio. Antiqua noſtris temporibus renouantur miracula: Helias Thesbites per currus
4 Reg. 2. & equos raptus eſt in paradiſum; hic verò non minus miraculosè, per equum & equitem, in morula temporis, tranſuectus eſt per multa ſpatia maris atque terrarum. CAESARIVS: Ego tecum ſentio. Audi nunc aliqua de perſonis ordinis noſtri miracula.

CAPVT III.

RElatione quorundam Abbatum ordinis noſtri didici, quod iā dicturus ſum. Monachus quidam per viſionem nocturnam in cœleſte templum ſe tranſpoſitum vidit, in quo alba, & ſtola indutus, coram Domino Euangelium legit: erat enim Diaconus, & idiota. Qui cum legendi benedictionem poſtulaſſet à Domino, huiuſmodi reſponſum accepit; Ab hac hora habeas ſcientiam, & virtutem prædicandi verbum Dei, quotieſcunq; tibi fuerit iniunctum. Lecto verò Euangelio, euigilans intellexit quod ſomnium eſſet. Miratus tamen de tam manifeſta viſione, dicebat intra ſe; Hodie lecturus es Euangelium ad Miſſam, ſi eiuſdem coloris inueneris ſtolam, qualem in cœlo vidiſti, vera eſt viſio. Nutu verò Dei factum eſt, vt à ſacriſta ſtola conſimilis exponeretur: mox de viſione quaſi certificatus, quid viderit Abbati expo-
ſuit,

ſuit, à quo iuſſus loqui verbum Dei, vſque hodie impræmeditatè, tam excellenter, & tam efficaciter illud exponit, vt omnes auditores ſuos in ſtuporem conuertat: alijs ſiquidem temporibus nullius eſt litteraturæ. APOLLONIVS: Miraculum Salomonis, qui in ſomnis ſcientiam accepit in iſto 3 Reg. 3.
reſultat. CAESARIVS: Deus enim ſcientiarum Dominus eſt: alijs ſcientiam, vt dictum eſt, miraculo- 1 Reg. 2.
sè conferendo; alijs non minori miraculo habitum ſubtrahendo.

CAPVT IIII.

ABbas de Lapide ſancti Michaëlis, tempore capituli generalis, per Hemmenrode tranſiens, caſum mirabilem nimis ibidem recitauit. Fuit apud nos, inquit, clericus bonæ admodum litteraturæ: hic cùm die quadam in vena ſanguinem minueret, ſic omnem ſcientiam ſcripturarum perdidit, vt eam per ſanguinem effudiſſe videretur. Litteram ab illa hora non cognouit, latini ſermonis, nec vnum quidem verbum intelligere, vel proferre potuit; & vt noueritis priuationem ſenſus non fuiſſe in cauſa, ſed diuinam potentiam, omnium rerum prius habitarum, plenè retinuit ſcientiā. Qui cum tam mirabilem litteraturæ ſuæ iacturam cum dolore multis expoſuiſſet, quidam ei ſua ſit dicens; Anno reuoluto, eodem die, & eadē hora, iterū minuas, fortè ſubtracta recipies. Quòd cùm feciſſet, ſcientiam priſtinam recepit. A Domi- Pſal. 117.
no factum eſt iſtud, ſicut & præcedentia, & eſt mirabile in oculis noſtris: Alijs etiam per alios Dominus tribuit gratiam ſanitatum.

CAPVT V.

IN Eberbaco Conuerſus quidam extitit, homo ſimplex & bonus, ætatis decrepitæ: huic Domi-

nus tantam contulerat gratiã, vt tactu manus eius, diuersæ infirmitates fugarentur: quod vbi secularibus compertum est, ex vtroq; sexu, tam diuites, quàm pauperes, gratia sanitatum ad monasterium confluentes, virtutem benedictionis eius senserũt. Ex quorum concursu videns Abbas fratrum quietem turbari, & domum in expensis non modicum grauari, eidem Conuerso, ne alicui seculari de cætero manus imponeret, præcepit. Ex illa hora in eo cessauit virtus miraculorum. Hæc mihi ante hoc biennium, cùm essem in Eberbaco, à monachis recitata sunt: ego verò virum sanctum adij, & cùm rogassem eum, vt pro me oraret, simpliciter respõdit, Quotidie oro pro te, & pro toto mundo.

CAPVT VI.

RETulit nobis nuper Abbas quidam ordinis nostri de quodam monacho, cui tanta à Domino concessa est gratia, vt virtute vestimẽtorum eius, multi sanarentur. Sæpe, si tamen adhuc viuit, dum fratres vestes eius induunt, vel cingulo se cingunt, sanantur. Quod cùm quodam tempore eius Abbas considerasset, nec aliquid specialitatis in illo vidisset, his verbis eum secretius allocutus est; Dic mihi fili mi, quæ est causa tantorum miraculorum? Respondit ille, Nescio domine: nõ plus ceteris fratribus meis oro, non plus vigilo, non plus ieiuno, non plus laboro, sed vnum scio, quod me non potest extollere prosperitas, neq; frangere aduersitas, siue de persona mea sit, siue aliorum. Cui cùm dixisset Abbas: Non te turbauit, quod miles talis nuper grangiam nostram incendit? Respõdit, Nõ, totum enim Deo commisi: si modicum habeo, cum gratiarum actione accipio; si multum, iterũ gratias ago. Et cognouit Abbas quod causa tantæ virtutis, esset amor Dei, & contemptus rerum terrenarum

renarum. Sanctæ virtutes, fides videlicet, spes, & charitas, iustitia, humilitas, obedientia, zelus disciplinæ, atq; compassio, sæpe gloria miraculorum remunerantur, sicut subsequentibus declaratur exemplis.

CAPVT VII.

IVxta Coloniam duæ generationes rusticorum inter se graues satis inimicitias exercebant: ex quibus vna infirmior, in castrum vicinum Hemersbach se transtulit, de quo partem aduersam satis damnificans, cum die quadam vnum ex eis cepissent, volentes tres ex eis, pecuniæ aliquid ab eo extorquere, dicebant; Si non dederis nobis pecuniam, puniemus te. Quibus ille respondit; Tres obulos habeo, emite ex eis cuneos, & comedite, quia nihil amplius habebitis; fidemque habens in Deo, & in Sancto Iacobo, subiecit; Quinq; marcas domi habeo in cista mea, & calciamenta noua, quibus limina petam Sancti Iacobi, non vobis dabo illam pecuniam: in die Sancti Stephani profecturus sum, & ante ortum diei à vobis recessurus. Mirantibus eis verborum constantiam, duos illi compedes imposuerunt, & in fornacem illum mittentes, octo viros nocte illa ad custodiam ei deputauerunt, quem semel, ac secundò interrogantes, vtrũ adhuc ibi esset, & ille tot vicibus respondisset, etiã adhuc sum: his tertiò eadem scisciitãtibus, nihil respondit, quia virtus fidei iam illum clausa fornace eduxerat. De spe in superioribus multa dicta sunt; virtutem verò charitatis, sequentia declarabunt. *De fide.*

CAPVT VIII.

ABbas quidam ordinis nostri, monacho suo infirmo præcepit carnes manducare: ille mox obediẽs, licet inuitus, Abbati respõdit dicens; *De charitate.*

dicens; Ego vos rogo in charitate eadem, vt mecum illas comedatis. Qui ſtatim deprecanti conſentiens reſedit, morſellum de ſcutella monachi tulit, & comedit. Sequenti die, ſi bene memini, in eccleſiam, vbi homo à dæmonio vexabatur deuenit, rogatus à circumſtantibus, vt dæmonem adiuraret, in hæc verba prorupit; Adiuro te immunde ſpiritus in hac charitate, qua pridie propter monachum meum carnes comedi, vt exeas ab hoc homine: qui mox ad idem verbum exiuit, & fugit, ac ſi charitatis incendium ſufferre non poſſet. Quantum Deo charitas placeat, ex inobedientia pleniùs oſtenditur.

CAPVT IX.

De inobedientia.

ALius quidam Abbas, cùm haberet monachum infimum, vt ad recuperationem virium, carnes comederet præcepit: ſed illo pertinax nimis, præcipienti non acquieuit. Vt autem Deus oſtenderet meliorem eſſe obedientiam, quàm ſtultorum victimas, inobediens monachus mox in rabiem verſus, in agrum cucurrit, vbi canem mortuum inueniens, carnes eius fœtentes auidiſſimè comedere cœpit: & quia in carnibus peccauit, in carnibus punitus eſt. Quid de eo poſtea actum ſit, ignoro. Hæc duo miracula mihi narrauit magiſter Ioannes Decanus Aquenſis, aſſerens ſibi illa veraciter recitata. Audiant hæc monachi, & obediant, neque inconditam abſtinentiam charitati præponant. Aliud adhuc referam exemplum, per quod cognoſces quàm bona ſit virtus charitatis, & quàm periculoſum vitium inobedientiæ.

CAPVT

CAPVT X.

NObilem quandam fœminam in Saxonia diabolus obſidens, duriſſimè vexauit: quamdum pro remedio ſanitatis ad diuerſa ſanctorum limina miniſteriales eius duxiſſent; die quadam ſacerdos quidam ſuperueniens, forma quidem deſpectus, ſed gratia Dei præditus, vexationi illius compaſſus eſt: ex multa enim charitate Dominum exorans, dæmonium eiecit, fœminam ſanitati reſtituēs: cui dedit in mandatis, vt per 30. dies in eodem loco manens, quotidiè communicaret, & ſingulas horas canonicas prædictorum dierum peraudiret. Quòd cùm feciſſet nouem diebus, nihil mali ſui deinceps ſuſpicantes, abduxerunt eam. In via turbine maximo impulſa, atque deiecta, ſic totaliter confracta eſt à diabolo, vt omnia eius membra, humanis viſceribus ſimilia apparerent. APOLLONIVS: Quæ fuit cauſa pœnæ tam crudelis? CAESARIVS: Inobedientia. Simile habes in dialogo Sancti Gregorij, de quodam clerico obſeſſo, & à Sancto Benedicto liberato: cui cùm præcepiſſet, ne vnquam ad ſacros ordines accederet, & ille poſt multos annos tranſgreſſor exiſteret, mox eum diabolus inuaſit, tam diu vexans, donec ſpiritum exhalaret. *Greg. lib. 2. dial. ca. 16.*

CAPVT XI.

De Charitate & cōpaſſione fraterna.

ABbas de Nuinburg, quæ eſt Abbatia ditiſſima nigri ordinis in Saxonia, nuper per nos tranſiens, retulit nobis miraculum de curatione cuiuſdam obſeſſæ iocūdiſſimum. Eſt, inquit, apud nos miles quidam religioſus, Albertus nomine, cognomento Scothart: hic ante conuerſionem in armis erat tam ſtrenuus, in militia tam nominatus, vt penè omnes nobiles terræ noſtræ certa-

tim ei sua munuscula, dextrarios videlicet, & vestimenta pretiosa dirigerent, quatenus illum sibi associarent. Die quadam, dum quædam puella duodecim annorum, cuiusdam militis filia, in quadam sedēs ecclesia, à religiosis exorcizaretur, in risum resoluta clamauit; Ecce amicus meus venit, ecce amicus meus venit. Requirentibus illis, de quo diceret? respondit illa; Bene videbitis eum. Dicebat enim de prædicto milite, qui eadem hora satis remotus erat ab ecclesia; qui quantò plus propinquauit, tantò plus illa exultauit. Qui cùm ecclesiam intraret, illa ei assurgens, & manibus plaudens, salutauit eum dicens; Ecce iste est amicus meus, cedite, cedite, sinite illũ appropinquare. Erat.n. indutus vestibus purpureis, atq; * cultellatis. Qui cum accessisset ad eã, & dixisset; Sum ego amicus tuus? Respondit per os puellæ diabolus; Etiam amicus meus optimus, omnem enim voluntatem meam facis. De quo verbo miles satis turbatus est, licet dissimularet, subridens tamen sic ait; Tu dæmõ stultus es & fatuus: si prudens esses, nobiscum ad torneamenta pergeres, in quibus homines capiuntur, & occiduntur. Vt quid sine causa vexas puellam hanc innocuam, quæ non peccauit? Dicente diabolo; Si vis vt tecũ pergam, sine vt intrem in corpus tuum: Respondit miles; Certè non intrabis in me. Et diabolus; Concede vt sedeam in sella tua. Quod cùm negasset, petiuit locum in aliqua parte equi, vel freni, quæ omnia negata sunt ei. Ad quem rursum diabolus; Non possum pedes currere; si vis vt tecum vadam, aliquem mihi saltem locũ cõcedas circa te. Miles verò puellæ compassus, ait dæmonii; Si illam volueris deserere, concedam tibi vnam lingulam pallij mei, tali cõditione, vt in nullo me lædas, & tam diu mihi adhæreas, quamdiu torneamenta quæro: quãdo tibi præcepero, bona tua voluntate,

* fort scuta Bessie.

luntate, sine contradictione recedes. Et iurauit ei diabolus dicens; Non te lædam, sed promouebo. Exiensq; de puella, lingulæ pallij eius insilijt, mirabili motu se prodens. Ab illa hora, tantum gloriæ in torneamentis militi accessit, vt quos lancea deijcere vellet, deijceret; quos capere, caperet; cum eunte, ibat; & cum loquente, loquebatur. Quando prolixius in ecclesia orabat, dicebat; Modò murmuras nimis. Quando aqua benedicta se aspersit, iterum aiebat; Vide ne me tangas. Cui miles; si vna gutta te tetigerit, nõ mihi placebit. Tempore illo, quo crux prædicabatur, cum miles intraret ecclesiã gratia signationis, diabolus eũ retrahere nisus est dicens; Quid hic agis? Respõdit miles; Deo propono seruire, & tibi renunciare: recede ergo à me. Hæc dicente milite, respondit sathan; Quid tibi in me displicuit? nunquã te læsi, sed ditaui, per me gloriosus factus es nimis; attamen tecum manere, nisi consentias, nõ potero, quia hoc tibi promisi, & iuraui, dum puellam relinquerem, quia te in nullo læderem, sed semper promouerem. Tunc dixit miles; Ecce crucem iam suscipio, & vt ilicò, nunquã reuersurus, recedas à me, in nomine crucifixi te adiuro. Et reliquit eum diabolus. Qui mox cruce signatus mare transijt, vbi duobus annis Christo militans, reuersus, hospitale magnum atque ditissimum peregrinis & pauperibus ædificauit: habebat enim annuatim plus quàm trecentes libras argenti in redditibus, teste præfato Abbate. In quo hospitali, vsq; hodie cum vxore sua in habitu religioso membris Christi seruit, religiosorum omnium, maximè ordinis nostri, susceptor deuotus; quibus in ioco dicere solet; Vos Domini Abbates, & vos monachi, non estis sancti; nos milites, torneamentis operam dantes, sancti sumus, quia dæmones nobis obediunt, & absq; vlla læsione nos sequuntur, illosq;

illosq; ab hominibus eijcimus. APOL. Nesciui dæmones sic iocularíter eijci posse. CAS. Non iocus, sed virtus compassionis illum eiecit. Quantũ apud Deum possit charitas, atque fraterna compassio, subiecto declaratur miraculo.

CAPVT XII.

FRater VValterus, monachus im Hemmenrode, referre solet miraculum mirabile, cui se interfuisse memorat. Cùm peregrini in prima expeditione obsiderent ciuitatem Achon, contigit quodã die, vt egressi Saraceni manu violenta propellerent Christianos in castra sua. Erat autem tunc ibi miles quidam iuuenis Theodericus nomine, frater domini Cunonis de Rulant, qui adhuc viuit: is fluxu sanguinis adeò laborabat, & infirmabatur, quòd in lecto suo nõ per se, sed in linteamine vertebatur. Hic audito strepitu & clamore fugientium, interrogauit quid hoc esset; & cùm audisset rem, iussit sibi afferri arma sua, & se amari in lecto sedendo. Tandem strato dextrario suo, & accinctus ense, iussit se leuari super equum suum, & fluebat sanguis etiam per sellam: acceptaque lancea exiuit dicens; Deus adiuua me, & sanctum sepulchrum: qui tanta vehementia prorupit in Saracenos, transiens & circumgirans, percutiens & propellens, quod omnes Christiani animati & cõfortati sunt per eum solum, adeò quod eiecerunt hostes à castris suis. Quo facto, redijt ad lectum infirmitatis suæ, & tertia die mortuus est. Audi nunc de iustitia miraculum satis gloriosum.

CAPVT XIII.

De iustitia.

MIles quidam in dandis suis decimis tantæ erat deuotionis, ac iustitiæ, vt ei summũ esset studiũ illas soluere sine mora, sine dolo, sine vexatione. Habebat aũt vineã quãdã, quæ circa de-

ca decem carratas annuatim facere solebat. Tempore quodam, vt post patuit, magis ex Dei dispensatione, quàm ex aëris intemperie, postquam collectum est, vinumque expressum, vna tantùm inuenta est carrata. Quo audito, miles seruo suo verbum memoria dignum respondit; Quòd meum erat, inquit, mihi Dominus tulit, ego illi portionem suam nõ auferam, vade, & da sacerdoti carratam hanc pro decima. quod & factum est. Eodem tempore militis germanus, sacerdos quidam, iuxta prædictam vineam transiens, eam vuis refertam vidit, moxque ad fratrem intrans, de negligẽtia illum arguit, dicens; Quare nondum collecta est vinea vestra? Respondẽte illo; Diu collecta est, sacerdos subiũxit. Nequaquam, iam illam plenam vidi. Quæsitum est, & inuentum, nec vnquam aliquo anno vberiores fructus fecit quàm in illo. Hęc nobis eodem tempore recitata sunt, & satis doleo, quòd nomen militis, siue loci non retinui. Aliud tibi referam de humilitate miraculum satis magnum.

CAPVT XIIII.

De Humilitate.

FVit in Hemmenrode Conuersus quidam bonus, Euerhardus nomine, custos mediæ portæ. Is aliquando egressus cum fratribus carpentarijs tempore hyemis in syluam, eorum vtensilia custodiebat, & cibaria præparabat. Vna dierum, cùm solito tardius surrexisset ad vigilias, egressis fratribus ad laborem, ipse orationes suas accelerabat, vt illis pulmentaria tempestiuiùs præparare posset. Inter orandum, apposuit ollam æream foco, sed aquam oblitus est infundere; post horam, olera impositurus, inuenit ollam candentem, subitoque turbatus, & factus sine consilio, vt subueniret ollę, aquam frigidã infudit: at illa, vt suæ naturæ est statim dissiliendo confracta est: aliam verò ollam, in

qua laborantibus cibum procuraret, non habens, genua ad orationem flexit, & cum lachrymis Deũ suppliciter implorauit, vt misericordiam, & consilium sibi daret, quatenus pro nomine suo laborãtes, expectato non priuarentur edulio. Pius Dominus humilitatem ministerij eius attendens, orationem eius exaudiuit: qui surgens ab oratione, ollam eandem iuxta se integram conspexit stantem. Gratias igitur agens Deo, ollam arripuit, aquam infudit, ignibus admouit, olera imposuit, & ea, quàm velocius potuit, coxit. Quibus sufficienter decoctis, horam tertiam significauit; & fratres oratione completa, ad reficiendum consederunt. Post refectionem autem professi sunt, quia toto illo tempore, quo ibidem demorati fuerant, tam bona olera non comedissent, simul & mirati sunt, quod citius solito tertiam significasset, cùm ille ex diuerso ipsos indignantes putasset, quod tardius solito eam pulsasset. Nimirum in decoctione illam horam sibi plurimum præterijsse crediderat, quia diuinæ cooperationis inæstimabilem dispensationem non plenè sentiebat. De obedientia verò subiungam miraculum iam dicto excellentius.

CAPVT XV.

De obedientia.

IN præfata domo, Conuersi pisa messuerant, quæ dum ad siccandum sparsa iacerent in agro, venerunt ijdem Conuersi ad Priorem dicentes; Nisi totus conuentus ocyus exeat, nec non & infirmi, pisaque vertant, tota peribunt: timebant enim pluuiam imminẽtem. Et præcepit Prior omnibus, qui ire possent, vt se prænparent. Mox ex infirmatorio Conuersorum frater quidam simplex exiens, ex multo feruore obedientiæ, ante omnes festinabat. Et cùm agro, in quo pisa iacebant, propinquasset, illa mirum in modum in oculis eius per diuersa loca se vertebant. Quod vbi vidit, gratias agens Deo redijt: cui Prior occurrens, ait; Cur reuerteris frater; Respondit ille; Domine, non est necesse vt procedatis, quia pisa totaliter versa sunt. Quis, inquit, vertit illa? Respondẽte humiliter Conuerso; Ille, qui bene facere potuit. Prior vt ita esse comperit, non absque multa admiratione cum conuentu reuersus est. APOLLONIVS: Iam non ambigo, quin magna sit virtus obedientiæ, quæ tanto miraculo remuneratur. CAESARIVS: Sicut Deus obedientiam in subiectis, ita zelum disciplinæ diligit in prælatis.

CAPVT XVI.

De Zelo disciplinæ.

IN Houene domo sanctimonialium ordinis nostri, quæ Abbati nostro commissa est, anno præterito quædam Abbatissa defuncta est, nomine Sophia: hæc tam feruens, & ita rigida fuit circa disciplinam, vt sorores sæpe turbatæ, quod erat virtutis, vitiũ iudicarent. Huic aliquando tenuis cerui sia, est in vinum conuersa. Quam etiam angelus Domini quadam nocte, cum de matutinis exiret, cum lucerna antecedebat. Hæc duo miracula in extremis confessa est Abbati nostro domino Henrico. Hic cum canonicus esset in Ecclesia Bonnensi, & ipsa sanctimonialis in Dirkirgen, quę est domus nigri ordinis, Deo inspirãte, illi relictis omnibus, conuersionis gratia ad domum nostram venit, & ipsa pro eius perseuerantia, quãtò intentius potuit, Domino supplicauit: paucis diebus elapsis, cùm à fratribus suis carnalibus, vi fuisset eductus ante habitus susceptionem, ipsa desperans dimisit orationem. Quam ipse mox in somnis ob hoc arguens, & vt omissas orationes reinciperet admonens, adiecit, Primam Missam meam audies in ordine Cistercienſi. Quod ita Dei nutu factum est. Nam ipse

ipse ad nos redijt, & ipsa habitum mutauit, sicque in monte sanctæ VValburgis, vbi tunc temporis Prioissa fuit, primam eius Missam audiuit. APOLLONIVS: Non miror, si Deus huic religiosæ fœminæ prædicti potus mutauit saporem, cùm mihi nouitio, vt de perfectis taceam, amara quæque conuerterit in dulcorem. Melioris siquidem saporis nunc mihi videntur nostra incondita pulmentaria, quàm ante conuersionem fercula carnium delicatissima. CAESARIVS: Farinula Elizei, id est, gratia Christi fecit hoc. Iordanus verò monachus de Hemmenrode aliquibus annis, quod magis fuit miraculosum, studio abstinentiæ ab omni potu abstinuit, tempore tamen messionis, sine in multo caumate, cum reliquis laborans. Vt ad prædicta redeamus, sicut Deus bonis, & amara quæque cum gratiarum actione gustantibus, conuertit in dulcedinem; ita aliquando ingratis, dulcia in amaritudinem.

4.Reg.4.

CAPVT XVII.

De ingratitudine.

DVM post confirmationem Ottonis in regno, tanta esset abundantia annonæ, vt in Episcopatu Coloniensi maldrum quinque, vel sex denarijs, multo tempore venderetur, contigit in quadam eiusdem diœcesis villa, cuius nomen excidit, miraculum dignum memoria. Pistrix quædam panes ad coquendum formauerat; & quia tempore abundantiæ pistores modicum lucrantur, illa commota clamauit ad puerum suum; Mitte hunc fimum in clibanum. Iusto Dei iudicio, factum est ei secundùm verbum suum, & pasta pulcherrima, per decoctionem conuersa est in fimum. Extrahens verò panes, cùm reperisset formam, non substantiam, extimuit, & fimum fimo miscens, tantum miraculum

faculum celare non potuit. Marcinannus monachus noster, tunc temporis cellerarius, partem vnius panis nobis attulit, quem curiosius considerantes, nil in eo vidimus, nisi fimum conglutinatum. Valdè enim celebre factum est hoc miraculum tempore eodem: sæpe enim Deus homines in ea re, qua peccant, punit. verbi gratia.

CAPVT XVIII.

NObilis vir Otto de* Stomburg, patre suo existente ex illa parte maris in seruitio Domini, ipse iniquè egit contra Dominum & aduersus seruum eius, parentem proprium. Nam sicut ipse cum suis auxiliarijs condixerat, ciues oppidi, quod iam dicto castro attinet, dolosè, quasi aliquid cum eis tractaturus, capere, & exactionem in eos facere proponebat: qui cum præmoniti fugissent, vxores eorum & liberos spoliauit. Et quia tam iniquè egit contra suos, Dominus plaga insanabili illum percussit; addita est pœna mirabilis. Nam in præterita quadragesima, tantum appetitum habuit carnes comedēdi, vt non solùm eis catere non vellet, imò etiam cocum suum ad comedēdum illas secum vi compelleret. Quas cùm pertinacius manducasset per totam quadragesimam, ventumque fuisset ad feriam sextam ante Pascha, dixerunt ei quidam; Domine, hodie dies est Dominicæ passionis, dies Christianæ afflictionis, hodie carnes omninò comedere non licet; quibus respōdit; Ego comedā hodie, sicut hactenus comedi. Mira res: in ipso sanctissimo die Paschæ, quando carnes benedicuntur, & fidelibus per sacram communionem illas comedere licentiatur, ipse illis, ob prædictam transgressionem, iusto Dei iudicio, vesci non potuit, piscibus deinceps vtens, vsque in diem mortis suæ. APOLLONIVS: Iustus est Dominus. CAESARIVS: ad honorem Domini Sal-

* Al. Schōnburg.

ni Saluatoris, de eius sacra imagine aliqua subnectam miracula, deinde veniam ad elementa.

CAPVT XIX.

Miracula circa sacram imaginem crucifixi.

TEmpore discordiæ inter Ottonem & Philippum, in oratorium Sancti Goari confessoris, quod situm est in territorio Treuerensi, & est firmissimum, tum propter situm loci, tum propter structuram, prouinciales se, suaq; transtulerunt. Quo cognito VVernerus de Boulant, vir potens & diues, cùm ad expugnandum illud arietes, machinasq; applicuisset, nec tamen profecisset, imaginé crucifixi ligneam, hi qui deintus erant contra hostes, in quandam fenestram posuerant, sperantes quod ob illius venerationem loco parcerent. Quidam verò ex balistarijs, de cruce non curans: imò locanti illam indignans, telum misit, & sacram iconam in brachio profundè satis vulnerauit. Mox mirum in modum antiqua renouantur miracula, & ad instar venæ humanæ, sanguis de loco vulneris cœpit stillare. Timore tanti miraculi, postea prædictus VVernerus cruce signatus est. Audiens tanta mirabilia dominus Philippus Abbas Ottirburgensis, locum adijt, de rei veritate inquisiuit. Cui cum ab omnibus hoc, quod prædictum est, diceretur, Iudæus, qui tunc casu adfuit, Abbatem in partem traxit, dicens; Verè Domine, verissimum est quod audistis. Et, sicut ipse mihi retulit, multo amplius delectabatur in testimonio inimici. Adhuc telum ibi reseruatur, adhuc vulnus, & sanguinis stigmata illic ostenduntur, vtraque Abbas noster se vidisse testatur.

CA-

CAPVT XX.

CIrca idem tempus, Otto contra Philippum ascendens cum exercitu vsque ad VVurzimburch peruenit, vbi satellitibus eius ecclesiarum quandam intrantibus, vnus ex illis crucifixum, in eminenti loco positum, tunica linea, & cum multo studio consuta tectum, vidit & concupiuit. Quam cum manu non potuisset attingere, lancea nisus est extrahere. Et quia firmiter imagini connexa fuit, in diuersis locis illam pupugit. Dominus verò, vt sibi factum ostēderet, quicquid eius imagini iniuriæ, vel contemptus irrogatur, egit sua potentia, vt de singulis punctionibus, sanguinis vbertim emanaret. Semel aduhuc mortalis confixus atque lanceatus est in terris, & tamē quotidie sedens ad dexteram Patris se configi per prophetam conqueritur dicens; Et me vos configitis *Malach.* 3. gens tota die. Quanta verò pœna tales sequatur, sequens miraculum declarat.

CAPVT XXI.

APud inferius Traiectum hoc anno, sacrariū in ecclesia Sancti Martini fures effringētes, quosdam thesauros, vnà cum cruce preciosissima gemmis & auro decorata, asportauerunt: qui cùm essent plures, duobus crucem committentes, ipsi cum thesauris abierunt. Manē, cùm tātum sacrilegium ad notitiam Episcopi atq; canonicorum peruenisset, dolentes valdè, maximè de cruce, ob portionem ligni Dominici, milites per diuersas vias miserunt, qui fugientes insequerentur. Hi verò, qui crucem portabant, per stratā publicā apertè incedebant: ad quos cùm peruenissent milites, nil de eis mali suspicantes, pertransierūt, Christus verò, in quem peccauerunt, fures à sensu alienauit, gressum fixit, ita vt à strata declinan-

tes

tes paludem intrarent, nec tamen motis pedibus procedere possent. Altera verò die, prædicti milites reuersi, cùm eos penè in eodem loco, & maximè lutum calcando vidissent, mirati dixerunt; Isti sunt quos heri hic dimisimus. Ad quos cùm vnus clamasset: Boni homines, malè inceditis, quare nō ascenditis stratam tritam? responderunt illi; Bene incedimus, non vos solicitet iter nostrum. Tunc vnus ex militibus, Deo inspirante dixit ad socios: Aliquid istud portendit, forsitan rei sunt, teneamus illos: ad quos cùm descenderunt, illi crucem paludi immerserunt: interrogati verò de furto, responderunt; Nos crucem tulimus, vbi sit scimus, sed nisi certi de vita simus, nunquam illam vobis ostendemus. Quid plura? Ducuntur ad Episcopum, gratia crucis, promittitur immunitas, crux ostensa reportatur, extra prouinciam conducuntur. Et quia iustus iudex nullum peccatum relinquit inultum, & sepè peccato punit peccatum, permisit, vt sequenti die iterum ecclesiam effringerent, in qua capti sunt, & suspensi. APOLLONIVS: Satis euidens fuit hoc miraculum. CAESARIVS: Tanta est virtus crucis, vt & suis contemptoribus, vt dictum est, inferat pœnam, & venerantibus illam, restituat sanitatem.

CAPVT XXII.

CVM Scholasticus Coloniensis Oliuerus crucem prædicaret in Flandria, sicut ipse nobis retulit, inter reliquos, signatus est ibi miles diues & honestus: quod vbi vxor eius comperit, afflicta est vsque ad mortem: erat enim vicina partui. Ad quam Oliuerus consilio mariti ingressus, inter verba consolationis, addidit & hæc; Si consilio meo acquieueris, & virum tuum Christo militare permiseris, ab imminenti periculo, sine dolore

dolore liberaberis. Cumque illa verbis eius placata fuisset, Scholasticus subiecit; Tempore partus, veste mariti tui signata te contegas, & crucis virtutem senties; solebat enim cum maximis cruciatibus parere. Mira Christi clementia: instante hora pariendi, illa non immemor consilij, pallio viri sui se texit, & penè sine omni dolore partum effudit. Alia de cruce æquè miraculosa in sequentibus tibi recitabo, quia ad elementorum miracula festino. APOLLONIVS: Quot sunt elementa? CAESARIVS: Quatuor, ignis videlicet, aër, aqua, terra: in quibus videtur temporibus nostris impleri hoc, quod per Saluatorem in Euangelio dicitur; Erunt signa in sole, & luna, & stellis; & in terris pressura gentium præ cōfusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus, præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi, & reliqua quæ ibi sequuntur. Alibi prædicit bella, & terræ motus per loca, pestilentias, & famem, terroresque de cœlo, & signa magna: licèt hæc omnia ante diem iudicij plenius sint implenda, ex parte tamen ea vidimus impleta, secundum quod subiecta declarabunt exempla. Vidimus enim signa stellarum, & pressuras gētium, audiuimus sonitus maris & fluctuum, audiuimus etiam quòd filius hominis in nubibus visus sit, terroresque de cœlo, & signa magna. De igne, elementoque superiori, ad quod stellæ pertinent, primo loco dicendum est, posteà de cæteris per ordinem.

De elementis in genere.

Lucæ. 21.

Ibidem.

CAPVT XXIII.

ANNO domini millesimo ducentesimo *septimo, Philippo Rege celebrante curiam solennem cum principibus, signum magnum apparuit in sole: in tres siquidem partes diuisus est; ita vt interualla essent inter partem & partem, ad

Signa in sole.
** al. sexto.*

instar lilij tres flores habētis. Quod vbi notari cœpit, multi concurrerunt, super tanto miraculo disputantes: Hermannus verò Lantgrauius interpretatus est, quod vnus de principibus imperij, eodem anno moriturus esset, nec erat idonea eius interpretatio. Post multam horam, coierunt partes, & redintegratū est corpus solare. Abbas Carolus Vilariensis, necnon & monachus eius Vvigerus, eidē curiæ interfuerunt, quæ dicta sunt viderunt, nobis eodem tempore visa referentes. Facta est hæc visio tertio Calendas Februarij. APOLLONIVS: Quid tibi significare videtur tripartita hęc solis diuisio? CAESARIVS: Deus statum imperij principibus congregatis ostendere voluit: Sol videtur hoc loco designare Romanum imperium: sicut sol magnitudine, & splendore præcellit vniuersa sidera cœli, sic idem imperium augustius fulget, cæteris regnis mundi. Apud Romanum imperium quādoq; fuit monarchia, vt sicut stellæ lumen habēt à sole, ita reges, vt regnare possent, haberent ab Imperatore. Triplex solis diuisio, designabat schisma imperij in tres Principes diuisi, qui omnes nomen Romani Regis sibi vsurpabant; primus fuit Fredericus, qui adhuc patre viuente, fuit in regē à principibus electus; secundus Philippus; tertius Otto fuit, à Colonienſi Archiepiscopo, suisq; auxiliarijs substitutus: isti ambo Aquisgrani coronati fuerūt in regē. Horū vno occiso, & altero deposito, atq; defuncto, Fredericus electus, qui hodie imperat, solus regnare cœpit, & quasi ad suā plenitudinē sol diuisus redijt. In quibusdā prouincijs eodē die visę sūt quinq; partes: per tres partes, supradict. tres reges intelligo: per duas reliquas, Bernhardū ducē Saxonię, & Bertolphum ducē Thuringiæ, qui satis pro imperio ambo laborabant, accipio.

CA-

CAPVT XXIIII.

MEnse sequenti, scilicet Calendis Martij, aliud signum apparuit in sole: non dico miraculum, quia naturale, sed magnæ rei prognosticum. Facta est quippe eclipsis solis tam magna tempore meridiano, vt vix aliquid superesset splendoris: multi videntes extimuerunt, dicentes aliquid magni fore futurum. APOLLONIVS: Quid tibi videtur eadem eclipsis figurasse? CAESARIVS: Non sum Daniel, & ideo non asserēdo, sed opinando interpretor. Videtur mihi defectus ille solaris, præsignasse mortem Philippi, qui sequenti anno occisus est, & defecit. Particula illa luminosa, quæ recrescere cœpit, & augmētari, Otto fuit, qui post Philippi mortem factus est magnus atq; gloriosus. Videtur eisdem temporibus adimpletum, quod Dominus in Euangelio dicit; Nam Virtutes cœlorum mouebuntur. Cœlum quandoq; designat præsentem ecclesiam; & vniuersalem: Cœli verò, ecclesias particulares: Virtutes ergo cœlorum, sunt prælati ecclesiarum, Episcopi videlicet. Abbates, præpositi. In prędicto enim schismate, non solùm principes seculares, sed etiam spirituales moti sunt, quia tum propter pecuniam, tū propter amorem, siue timorem, instabiles facti; nunc vni, nunc alteri iurauerunt. Nam ipse princeps episcoporum, scilicet Papa Innocentius, primò Ottonem fouit & coronauit; postea, ob causam multis notam, illum deponens, Fredericum eius aduersarium suscitauit. In Luna verò signa nō defuerunt, duas eclipses magnas solito crebrius passa. Quod si in stellis signa quæris, quod vidi referā: *Lucæ 21.*

CAPVT XXV.

POst mortē Henrici Imperatoris, cū de successore Coloniæ in palatio tractaretur, post meridiē vna est stella lucidissima: tunc currenti- *In Stellis.*

bus nobis in curiam Episcopi, omnes illam vidimus, sed quid portenderet visio tam insolita, scire non potuimus.

CAPVT XXVI.

SImiliter hoc anno, per duas hebdomadas, visa est post solis occasum stella tantæ magnitudinis, vt ad instar ignis splendorem de se emitteret: Iudæi asserunt eam fuisse signum aduentus sui Messiæ. Hæc dicta sint de signis stellarum. Porrò de igne æthereo, fulmine scilicet, atque tonitruo, quæ ex collisione nubium gignuntur, aliqua proferam exempla, vt noueris secundùm verba Saluatoris, terrores de cœlo, & signa magna etiam his temporibus contigisse.

Luce 21.

CAPVT XXVII.

IN vigilia sancti Matthiæ Apostoli erit biennium, quòd in Colonia contigit res satis miraculosa, & ideo miraculosa, quia insolita. In crepusculo eiusdem noctis, ignis cadens de cælo, turrim sancti Andreæ incendit, similiter & sepem circa curiam cuiusdam canonici, quæ per multos ciuium labores extincta sunt. Eadem autem nocte, glacies fuerat congelata; vnde & miraculum reputabatur, quod tonitrua audiri, & fulmina videri poterant. Aliud tibi referam exemplum terribile satis.

CAPVT XXVIII.

SAcerdos quidam de Saxonia, nuper miraculum mihi retulit stupendum: Hoc,* inquit, anno in terra nostra, in quodam theatro, fulminati sunt viginti homines, solo sacerdote euadente, fugit enim, cùm alios videret ardere: decebat enim vt ignis, quo nihil leuius est, leuitatis amatores puniret.

* scilicet 1222. vt habes infrà ca. 48 & 50.

niret. APOLLONIVS: Miror quòd sacerdos non est punitus, cùm ipse plus cæteris credatur peccasse. CAESARIVS: Sæpè Deus sacerdotibus parcit propter ordinem, sicut legitur de Aaron, quem non percussit lepra, sed sororem, cùm tamen non legatur sorore minus peccasse. Vel fortè in eo aliquid boni Deus præuidit, propter quod illi pepercit. Quòd verò aliquãdo ob huiusmodi leuitates Deus sacerdotes puniat, præsto est exemplum.

Num. 12.

CAPVT XXIX.

EST villa in Episcopatu Treuerensi, Elisatia vocata, in qua anno præterito quarta feria ante natiuitatem sancti Ioannis contigit hoc grande, & terribile miraculum. Sacerdos loci, Henricus nomine, dum sederet in taberna, facta est intemperies aëris maxima; quo festinante cum campanario suo in ecclesiam, cùm campanas pulsarent, creuit tempestas, & nebula, & inenarrabilis strepitus aëris in ecclesia, veniensq; repentè ictus turbinis, prostrauit vtrumque, clericum scilicet & campanarium, ita quod campanarius sub clerico iacebat: campanarius verò in nullo læsus est, clerico extincto, cuius genitalia exusta sunt, reliquo corpore intacto; quæ filius eius accurrens, calcãdo extinxit: & auulsit. ex quo patet fornicatorem illũ fuisse. Vestimenta verò eius, ita sunt lacerata, vt nulla particula cohæreret solidæ parti, nec solida essent, excepta illa particula, in qua deprehendere solebat manipulus in sinistro brachio; sed & stiualia sua, quæ noua erant, ita sunt dilacerata, ac si fuscinulis dissipata essent: soleæ verò sic sunt fractę, ac si in aqua feruida fuissent decoctæ. Campanarius autem in maximo timore ac stupore iacens, vidit dæmones insultum facientes in ecclesia; sed & capsu-

capsula, quæ erat post altare, prosilijt super altare, & apertura facta est in ea, quæ adhuc ita remanet: Sancti verò, quorum reliquiæ ibi sunt, egressi, fortiter resistebant dæmonibus, & factum est inter sanctos & dæmones vehementissimum certamen. Tandem deuicti dæmones, cùm corpus Domini asportare non possent, partem tecti secum abstraxerunt. Refert idem campanarius, quòd corpus sacerdotis; vsque ad tectum turris, sub qua simul pulsantes steterant, & sub qua prostrati iacebant, violentia dæmonum aliquotiens sit raptum, sed beneficio sanctorum relapsum. Aiunt clericũ eundem tunc de nouo acquisisse coronam chorisando, quã quasi victor iuxta domum suspendit, vt ibi stulti homines luderent, ducerentque choreas. APOLLONIVS: Sicut in hoc sacerdote considero, in dilaceratione vestium atque calceamentorum, Deus puniuit superbiam; sic in exustione genitalium, luxuriam. CAESARIVS: Bene sentis, quia sæpè pœna respondet culpæ. Hoc etiam scire te volo, & probare exemplo, quòd sicut Deus, vt dictum est, malos per fulmina, atque tonitrua de cœlo punit, ita per eadem aliquando bonis succurrit.

CAPVT XXX.

RIchvvinus cellerarius noster, cùm die quadam tempore discordiæ inter sæpe dictos reges, de Colonia exiret, non procul ab vrbe, plures armatos ex latere stratæ publicæ, in suis dextrarijs sedere conspexit quibus visis, cùm satis timeret, vnus ex eis cursu rapidissimo ad eum veniens, equum eius per frenum tenuit, quem his verbis superbè allocutus est dicens; Domine monache, descendite, oportet me habere equum istum. Vix verba finiuerat, & ecce Dominus, non verbo, sed tonitruo prædoni pro seruo suo respondit.

Nam cùm tota illa die nulla fuissent audita tonitrua, ictus tam validissimus inopinatè personuit, vt equus satellitis genibus terram peteret, & ipse nutantis tergo vix inhæreret: moxq; manum à freno monachi retrahens, ait satis humiliter; Ite in pace, bonus enim vir estis. Cui ille regratians lætus processit, diuinitus se liberatum recognoscens. Hæc mihi idem Richvvinus ore suo confessus est. APOLLONIVS: Valdè timendus est, cui sic æther famulatur. CAESARIVS: Non solùm ignis ethereus, sed & terrenus, qui lignis nutritur, & ab hominibus succenditur, deseruit ei: nunc ad creatoris nutũ vim naturalẽ cohibendo, nunc in re frigida, non minùs miraculosè eandem exercẽdo.

CAPVT XXXI.

De igne terreno.

IN Episcopatu Coloniensi, opido imperiali, quod Dousburg dicitur, vidua quædam ceruisiam braxare, ac vendere solebat. Die quadam, cùm ciuitas casu fuisset incensa, ipsumq; incendium domui eius appropinquasset, illa iam non habens spem in auxilio humano, ad diuinum confugit. Nam omnia sua vasa, quibus ceruisiam emptoribus mensurare solebat, ad ostium domus contra flammas ponens, in multa cordis sui simplicitate, sic orauit dicens; Domine Deus, iustus & misericors, si vnquam aliquem hominum his mensuris decepi, volo vt domus hæc comburatur: si autem feci quod rectum est in oculis tuis, precor iustitiã tuã, vt in hac hora misericorditer respicias necessitatẽ meã, & mihi, meæq; supellectili parcere digneris. Mira fides fœminæ, mira Dei humilitas: is qui dixit; Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, ac si oratione fidelis viduæ conclusus fuisset, flammas, omnia in circuitu deuorantes à domo eius compescuit, cunctis stupentibus, quòd

Matth. 7.

ignis furens, materiam cremabilem, lamberet, nec incenderet. Audi nunc alia æquè miraculosa.

CAPVT XXXII.

APud Susatiam ciuitatem diœcesis Coloniensis, ciuis quidam in hac vltima expeditione cruce signatus fuit. Eodem tempore, vt militem suum Deus tentaret, sicut legitur, de sancto Iob, permisit vt domus eius incēdio periret. Flammis verò sopitis, cùm omnia, quæ incendi poterant, in cinerem fuissent redacta, particula vestis eius, quam crux occupauerat, integra intra fauillas est reperta. Et mirati sunt omnes, tantā sanctæ crucis virtutem vbique dilatantes. Simile miraculum in alio loco contigit, sicut audiui à magistro Ioanne Decano Aquensi.

ob 1. & 2.

CAPVT XXXIII.

REtulit mihi & aliud de virtute crucis miraculum. Matrona, inquit, quædam crucem susceptam pomo circumligauit, sicque super asserem iuxta pyropum, in quo ignis ardebat, vtrumque simul ponens, abscessit. Casu, imò, quod verius est, Dei nutu, pomum cum cruce in carbones lapsum est. Post modicū fœmina reuersa, cùm repositum quæreret, nec inueniret, tristis de cruce, ignem perscrutata est. Et ecce, pomum vidit in carbonem redactum, zonam verò leuauit intactā. Quod pro magno miraculo reputans, prædicto Ioanni recitauit. APOLLONIVS: Satis est mirabile, quod idem elementum, eodem momento, sic in re diuersa naturam suam mutauit. CAESARIVS: Hoc fieri pro diuersitate meritorum, quibusdam tibi pandam exemplis.

CAPVT

CAPVT XXXIIII.

GErhungus Scholasticus Bonnensis nuper veniens de studio Parisiensi, historiam retulit satis mirabilem, recentiori tempore illam asserens gestam. Familiam, inquit, cuiusdam viri nobilis atque potentis de Francia, meretrix speciosa sequebatur, cum qua cum multi indifferenter peccarent, Clericus quidam religiosus, eiusdē nobilis capellanus, de subuersione familiæ dolens dominum his verbis allocutus est dicens; Omnis penè familia vestra meretricis huius contubernio corrumpitur, quorum peccata omnia Deus de manu vestra requiret: & hoc sciat nobilitas vestra, quòd meo seruitio carebitis, si non fuerit amota. Mox illa vocatur, verba ei sacerdotis intimantur, ad quæ sic respondit; Domine ex inuidia loquitur hæc, quia voluptati eius consentire nolui, idcirco me persequitur. Illo respondente, mentiris, vir enim castus est. Illa mox subiunxit; Ego celerius faciam vox experiri veritatem. Statim accedens ad clericum, sub forma pœnitentis lachrymis perfusa, post fictam confessionem adiecit; Domine tam vehementer de persona vestra tentata sum, nisi mihi consentiendo, ignem à vobis succensum, extinguatis, viuere non potero. Ad quod verbum, cùm se vir iustus signasset, eamque illa hora verbis quibus poterat submouisset, sequēti die iterum venit, verba iam dicta repetiuit, hoc etiam adijciens; Si non feceritis quod postulo, ecce me ipsam interficio. Quo audito, cùm plurimum timeret, nec tamē aliquo modo libidini consentire proponeret, respondit; Ecce tali die, tali in loco, si volueris, tecum dormiam, dummodo te non interfeceris. Sic illa læto animo recedens, dominum suum mox adijt, & quia capellanus suus sibi talia, ac talia promisisset, pro-

* al Gervvicum.

ſet,procacibus verbis indicauit. Interim clericus ſcholari ſuo præcepit,vt in deſignato loco,lectum ex lignis planis componeret,ligna arida,cum ſtramine ſubijceret, deinde linteamen decenter ſuper extenderet:quod & factum eſt. Die verò ſtatuto, venit clericus,venit & mulier,ſed clericus,ſtipula prius ſuccenſa, lectum aſcendit, illam vt ſimul aſcenderet vocauit: quæ flammas ex omni parte cernens exurgere,retroceſſit, crebriuſque vocata, ad tam horrendos amplexus,venire recuſauit.Clericus verò Dei adiutus gratia,non aliter ſenſit illum ignem,quàm ventum roris flantem,nec eſt aduſtus capillus eius,neque veſtimenta eius in aliquo ſunt læſa. Quod vt miſera illa vidit, territa,& ad horam,de tam grandi miraculo compuncta, tam domino ſuo,quàm cæteris publicè confeſſa eſt, quod ſanctum virum ſine cauſa, ex ſolo rancore & inuidia,ob vindictam præmiſſæ accuſationis, infamaſſet. Ipſe verò vir venerabilis,non ingratus Deo, ad ordinem ſe tranſtulit Prædicatorum.

CAPVT XXXV.

REferre ſolet dominus Bernhardus de Lippia, quandoq; Abbas,nunc Epiſcopus in Liuonia, quoddam miraculum, iàm dicto miraculo prorſus contrarium. Noui inquit,piſcatorem in Epiſcopatu Traiectenſi, qui cum quadam fœmina,multo tempore fuerat fornicatus.Et quia eius peccatum nimis erat notorium, tempore quodam in ſynodo imminenti accuſari timens, dicebat intra ſe Quid nunc facies miſer? ſi hac in ſynodo de fornicatione accuſatus fueris & confeſſus, illam in matrimonio mox ducere cogeris;ſi autem negaueris,candenti ferro conuictus,amplius confunderis.Stati n que ad ſacerdotem veniés, magis, vt poſt patuit,timore pœnæ,quàm amore iuſtitiæ, peccatum

peccatum confeſſus eſt,conſilium quæſiuit,& inuenit;Si habes, inquit ſacerdos, firmum propoſitum nunquam peccandi cum illa, candens ferrum ſecurè poteris portare, ipſumque peccatum negare, ſpero autem quod virtus confeſſionis liberabit te. Quod ita factũ eſt,cunctis ſtupentibus, quibus fornicatio innotuerat. Ecce hic ignis Dei potentia,ſicut in ſuperioribus exemplis,contra naturam vim ſuam reſtrinxit; &, ſicut in ſubſequentibus audies, mirabilius aqua contra naturam incanduit. Quid plura? abſoluitur homo. Poſt dies plurimos,cum alio piſcatore officij ſui cauſa in flumine nauigãs, cùm domum prædictæ mulieris vidiſſent,ait alter alteri;Valdè miror,& multi mecum,quare te in ſynodo non inuſſerit ferrum, cum tam manifeſtum fuiſſet tuum peccatum. Ille de gratia ſibi collata indignè glorians, eò quod iam voluntatem fornicandi cum illa concepiſſet, manu aquam fluminis percuſſit, & ait;Ecce tãtum nocuit mihi ignis ille. Mira Dei iuſtitia, qui miſericorditer pœnitentem cuſtodiuit,iuſtè,& miraculosè nimis puniuit recidiuantem. Mox vt aquam tetigit,candens ei ferrũ aqua fuit, quam ſtatim cum clamore valido retrahens, pellem dimiſit in aqua; omnia circa ſe geſta ſocio referens,ſera ductus eſt pœnitentia.Non diſcordat ab hoc miraculo, quod monachus noſter Lambertus recitare ſolitus eſt.

CAPVT XXXVI.

RVſticus quidam contra alium habens inimicitias, cuidã maligno homini de ordine viatorum,quales multi ſunt,pecuniam dedit,vt domum illius incenderet; quam ſub ſpecie religionis intrauit, & tempore conuenienti ſuccendit; immemor miſerrimus hoſpitalitatis,poſtquã fuiſſet reædificata,accepto pretio, renouauit incẽdiũ. Tur-

Turbatus homo, repente omnes, de quibus suspicionem habuit, accusauit, qui per candens ferrum se expurgauerunt. Denuò domus incensa, reædificata est, & ferrum idem in angulum eius proiectũ est. Quid plura? venit rursum pseudouiator ille, antiqua corruptus auaritia, humanè satis susceptus, cùm ferrum iam dictum vidisset, & quis eius vsus esset interrogasset; respondit ille; Nescio quis domum hanc en altera vice succendit, & cum de quibusdam habuissem suspicionem, candens illud portauerunt, sed non sunt exusti. Tunc ille; Ad aliquos vsus posset conuerti. Quod cum nutu Dei leuasset, sic in manu adustus est, vt cum clamore illud iactaret. Quod vbi paterfamilias vidit, incendiariũ per vestem tenens, exclamauit; Verè tu reus es. Mox ad iudicem ductus, culpam vellet nollet confessus est, sicque pœna rotali damnatus. Multa huiusmodi miracula inuenies in distinctione confessionis. Vnde his omissis, videamus quid Deus miraculorum operatus est in aëre. Quod verò ipse Dei filius Iesus, visus sit in nubibus cœli, non tamen in maiestate, sed in humilitate, exemplis veris tibi potero demonstrare.

CAPVT XXXVII.

In aëre prodigia.

DVM Oliuerus Scholasticus, cuius verbis vtor, crucem prædicaret in Frisia, in diœcesi Monasteriensi, villa Bedian, mense Maio, feria sexta ante Pentecosten, sicut alibi me dixisse memini, triplex forma crucis apparuit in aëre, vna candida, versus aquilonem; alia versus meridiẽ eiusdem coloris, & schematis; tertia medio colore colorata, habens crucis patibulum, & formam hominis in ea suspensam, eleuatis brachijs & extẽsis, cum infixione in manibus & pedibus, & capite inclinato.

Hæc media fuit inter alias duas, in quibus non erat effigies humani corporis.

CAPVT XXXVIII.

ALia vice, & alio loco, in villa Frisiæ Sotersfusen, tempore prędictæ prędicationis crucis, apparuit, iuxta solem vna crucis cerulei coloris.

CAPVT XXXIX.

Dockum.

TErtia fuit apparitio in diœcesi Traiectensi, in villa Docheym, vbi sanctus Bonifacius coronatus fuit martyrio, vbi in die martyrij eiusdem, cùm multa millia accessissent ad indictã stationem, apparuit crux alba & magna, ac si trabs ex transuerso trabis artificialiter composita fuisset. Hoc signum vidimus omnes: (verba sunt prædicti Oliueri) mouebatur autem paulatim ab aquilone ad meridiem. Huic visioni interfuerunt dominus Henricus Abbas noster, & VVinandus monachus eius, qui & ipsi viderunt.

CAPVT XL.

REtulit mihi quædam fœmina religiosa hoc anno, quod modico tẽpore ante crucis prædicationem, in villa, quæ Hellendorp dicitur, non multum distans à Colonia, post solis occasum, duas cruces viderit in aëre, vnam maiorem, & alteram minorem, quæ paulatim ab occidente mouebantur ad orientem. Volens tanti miraculi habere testes, quosdam aduocauit, qui & ipsi viderunt. Similes visiones memini me dixisse superius in distinctio.8.cap.17. necnon 18.primò de duobus Conuersis, qui Dominum viderunt in aëre pendentem in cruce: deinde de Rudolpho Conuerso de Lucka, qui Christum vidit crucifixum in aëre, & quin-

& quindecim cum eo. Audi adhuc miraculum de aêre, factum terribile valde.

CAPVT XLI.

*Anno 1222 vt habes infra cap. 48. & 50.

HOC * anno in Saxonia, nubes integra de aêre cadens, inter duo montana, multis tam in corporibus, quàm in rebus, fuit dãnosa. Tantis enim aquis abundabat, vt monasterium in valle proxima situm, peruaderet, & omnem in eo animam viuentem, ab homine vsque ad pecus, extingueret: officinas euertit, supellectilem deuexit, sepes destruxit: quinque tantùm monachi in turrim fugientes, ex omnibus saluati sunt. Vocatur autem idem monasterium Vvinendenburg, & est de ordine nigrorum. Deinde idem torrens, intolerabili impetu suo ciuitatem vicinam inuadens, cuius vocabulum est * Islere, similia ibi operatus est mala; omnesque ecclesias, nec non & omnia ciuitatis habitacula, violenter intrauit, homines atq; iumenta submersit. Et quia Deo nõ est cura de bobus, sed de hominibus, magnum atque memoria dignũ, in suffocatis ostendere dignatus est miraculum. Nam omnes illi, qui transacto diluuio in ecclesijs, siue domibus reperti sunt, niueo candore nitebat; qui autem in theatris, siue in tabernis, extincti erant, carbonibus nigriores apparuerunt: tali enim charactere, Deus bonos distinguebat à malis. APOLLONIVS: Sicut in hac plaga considero, non casu, sed Dei iusto iudicio flagellamur. CAESARIVS: Hoc plenius notare poteris in diluuio Frisiæ, in quo amplius quam centum milia hominum simul extincta sunt, ac deinde anno tertio circa quadraginta milia. Tempus & causam eiusdem plagæ satis expressi in distinctione septima capite tertio. APOLLONIVS: Videntur mihi diluuia hæc particularia, celerem iudicis aduentum prænunciare.

* al. Islene.

CAESARIVS: Verum est, quia eodem tempore impletum pro parte est, quod ipse præmisit dicens; Erit in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore. Nam sicut mihi retulit Abbas Sancti Bernardi, timor tantus erat in Frisia, vt singuli singulis momentis mortem suam expectarent, & quasi arescerẽt præ expectatione. In qua tanta facta est pressura populorum, vt multi Frisonum prouincias peterent alienas. APOLLON. Ego ista tunc temporis intellexi. CAESARIVS: Ex quo loqui cœpi de aquis, ostendere tibi volo, quanta Deus miracula, etiam nostris temporibus, operatus est in illis.

Luc 21.

CAPVT XLII.

In Aquis: & primò de Baptismi virtute & circa corporis sanationem.

GOdefridus magister nouitiorũ nostrorum, ante conuersionem parœciam quandam regebat: hic cùm die quadam puerum baptizaret, de cuius latere pendebat caro miri horroris, mox vt infantẽ in nomine Sanctę Trinitatis tribus vicibus immersum extraxit, mõstrosum illud apostema; nusquam comparuit: quo viso, hi qui aderant glorificauerunt Deum, baptismi virtutem vbique prædicantes.

CAPVT XLIII.

QVando peccatis nostris exigentibus, in obsidione Damatiæ Christianus exercitus ex parte datus est in manus Saracenorum, Episcopus Beluacensis ductus est in Babylonem captiuus, & cum eo multi: cumq; satis humanè à Soldano tractarentur, fœmina quædam pagana, ciuis Babylonica, filium sic habebat infirmum, vt nulla spes vitæ esset in illo. Nocte quadam ostensum est ei in somnis, vt si prædictus Episcopus illum baptisa-

baptisaret, mox omnem corporis sospitatem recuperaret. Illa solicita de filio, manè cum familia, ac parentibus ad Episcopum venit, quid viderit exposuit, baptisari illum humiliter petiuit, & obtinuit; sicut retulit Henricus miles de Vlmene, qui præsens erat. Baptisterium pagani circumsteterunt, & riserunt, quorum risus, versus est in admirationem: nam adolescens, qui desperatus intrauit, baptisatus sanissimus exiuit. Spero quod hodie in fide CHRISTI perseueret, & fortè alij eius exemplo crediderunt. Sed quid baptismi virtutem in alijs commendo, cùm illam mirabiliter satis expertus sim in memetipso?

CAPVT XLIIII.

CVM adhuc scholatis paruulus, tempore quodam laborarem in acutis, & semel ac secundò post crisim recidiuassem, contigit vt puella quædam pagana, quam matertera mea pecunia comparauerat, baptisaretur: habebat enim circa decem annos ætatis. Suasum est matri meæ, vt eodem linteamine, quo illa de baptismo exierat, adhuc madido, me inuolueret, & sciret gratiam sanitatis celerius secuturam. Quòd cùm factum fuisset, attactu illius aquæ sacratissimæ, mox in sudorem erupi, & conualui. Licèt enim baptismus medicina sit animæ, multi tamen virtute illius sanitatem corporum consecuti sunt, sicut legitur de Tranquillino & Chromatio vrbis præfecto. APOLLONIVS: Vellem aliquod audire miraculũ in aquis simplicibus factum, quibus nec consecratio, nec sacri chrismatis infusio, tribuit virtutem. CAESARIVS: Prius tibi adhuc vnum referam de baptismo, cuius virtutem amplius etiam in re aduersa cognosces.

In actis S. Sebastiani.

CAPVT XLV.

TEMPORE quodam, quidam scholares, sacerdotum morem imitantes, in quodam flumine canem, sub inuocatione trini nominis baptisauerunt: canis verò virtutem tanti nominis sustinere non valens, mox illis videntibus versus est in rabiem: pueris verò, eò quod genus illud insanissimum sit, pepercit, sciens non malitia, sed ex stultitia sacramento factam iniuriam. De aquis verò simplicibus, habes exemplum superius ca. 35. de piscatore, quem aqua exussit. Habes etiam exemplum aliud in distinctione tertia; de homine peccatore, ob cuius vitia mare intumuit, & post confessionem tranquillum factum est: Simile tibi nũc recitabo, de quo satis miraberis.

In aquis communibus.

CAPVT XLVI.

IN primã expeditione Ierosolymitana, Richardus Rex Anglorum, cum multitudine peregrinorum, copijsque maximis transfretauit. Die quadam, circa crupusculum orta est in mari tempestas validissima; ita vt naues procellis concussæ, & vi ventorum impulsæ, mortem omnibus intentarent. Rex verò sicut & cæteri, mortem ante ocuros habens, tota illa nocte clamauit; O quando erit tempus, in quo grisei monachi surgere solent ad laudandum Deum? tanta enim bona illis feci, et non dubitem, quin mox vt cœperint prò me orare, Dominus nos respicere debeat. Mira fides regis; Dominus verò qui dicit; Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti, transi hinc illuc, & transibit, euidenti miraculo fidem iam dicti Regis remunerauit. Nam circa octauam horã noctis tempore matutinali, monachorum surgentium Dominus orationibus excitatus, & ipse per

Matth. 17.

potentiam consurgens, imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna, ita vt omnes de tã subita maris immutatione mirarentur. Reuersus verò idem Rex, gratia eiusdem miraculi, amplius ordinem honorauit, quasdum domus eleëmosynis ditando, de nouo alias extruendo. Hæc de miraculis aquarum dicta sufficiant, quia ad miracula terræ festino.

CAPVT XLVII.

In terra edita prodigia. Luc. 21.

Videtur nostris temporibus impletum, quod Dominus in Euangelio dicit; Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnũ, & terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ & fames, terroresque de cœlo, & signa magna. Licèt de his aliqua dixerim exempla, superaddam nunc plura. Nostris temporibus gens Saracenorum, duce Saladino Rege Syriæ, surrexit contra gentem Christianorum, à quo capta est Ierusalem, cum terra sancta. Contra quam gentem perfidam, tres vidimus expeditiones maximas fidelium; prima fuit sub Frederico Imperatore; secunda sub Henrico filio eius; tertia sub Frederico, qui hodie imperat. Nostris inquam temporibus gens Latinorum surrexit contra Græcos, illorum perfidia prouocata, cœpitque Constantinopolim, & magnam partem Græciæ. Circa eadem tempora manifestari cœperunt hæreses Albiensium: vnde zelo fidei conturbatæ sunt gentes catholicorum, & inclinata sunt regna, vtpote Franciæ & Hispaniæ, ad illius destructionem, sed nõdum est finis. Vt enim taceam de regnis gentium infidelium, quanta fuerint bella inter regna fidelia, vti regna Francorum aduersum regnum Anglorum, inter regnum Alemaniæ contra Gallorum regnum, nouimus omnes. Quædam etiam gens anno præterito intrauit regna

Psal. 45.

regna Reutenorum, & totam ibidem gentem vnã deleuit: de qua nobis non constat, quæ sit, vnde veniat, vel quo tendat. De pestilentijs, & fame, legimus satis, non in libris, sed in pressuris nostris: post mortem prædicti Henrici Imperatoris, tanta fames erat, vt maldrum filiginis in Alemannia, marca Coloniensium, & in quibusdam prouincijs, decem & octo solidis venderetur, & ex magnitudine famis, populus innumerabilis extingueretur. De terræmotibus per loca, noua, & magna tibi referam miracula.

CAPVT XLVIII.

IN anno præsenti, qui est millesimus ducentesimus vicesimus secundus ab incarnatione Domini, sicut narrant quidam de eisdem partibus venientes, duæ ciuitates in Cypro à terræmotu corruerunt. In vna verò illarum, dum Episcopus in altari staret, Missamque celebraret, ecclesia tremefacta cecidit, & tam ipsum quam reliquum populum extinxit.

CAPVT XLIX.

IN Aduentu Domini, hæretici Mediolanenses, hæreticis qui erant in Brixa, multa plaustra cũ victualibus transmiserunt: in ipsa verò die natiuitatis Domini, dum conuiuarentur, Dominus terram concussit, & cadentibus ædificijs, plus quã duodecim milia hominum extinxit. Alij fugientes in campum, cùm audirent clamores morientium, non fuerunt ausi redire in ciuitatem, ad illorum succursum. Mediolanenses verò, ciuitatem suam deserentes, plus quàm per octo dies, in tentorijs habitabant, timore eiusdem terræmotus. In Pergamo, in Cumis, in Venetia, in Cypro, in Papho, & in alijs multis prouincijs, atq; ciuitatibus, eodem tempore multos terruerũt terræmotus. Nec mirũ;

tot turres, tot ædificia corruerunt, vt nihil aliud, nisi finis mundi videretur instare: quod à seculo est inauditum, sicut in capite ieiunij magister Oliuerus prædicauit Coloniæ, duo montes in Papho, habentes inter se stagnum, coierunt ita, vt efficerentur mons vnus; dominus verò terræ, dum per montem aquæ viam præpararet, cum tanta vi erupit, vt obuiantia quæque deleret.

CAPVT L.

PAruo interuallo post iam dictum terræ motũ id est, tertio idus Ianuarij, factus est Coloniæ & circa, nouus terræmotus, tam validus, vt parietes ædificiorum concussi, ruinam minarentur. Eadem hora Abbas noster in Monte Sancti VValburgis erat, qui ante ortum solis Missam celebrãs, sic concussus est, vt ex eodem motu ecclesiam lapsuram, & altare, cui astabat, à terra deglutiendum esse formidaret. Deinde circa tẽpus duarum hebdomadarum Aquenses alium terræmotũ senserũt. Venti etiam tam validissimi his temporibus, vt nosti, fuerunt, vt non modicum nobis timorem incuterent. In hoc eodem anno, de quo nũc loquimur, contigerunt duo miracula supradicta, scilicet cõflagratio theatri, & casus nubis, & habes capitulo vicesimo octauo & capitulo quadragesimo primo.

CAPVT LI.

IN hac septimana, vigiles cuiusdam castri, Comitis de Monte, sicut veraciter audiui, contra cœlum respicientes, viderunt cœlum aperiri, ignemq; de ipso exire, qui ad aërem inferiorẽ descendens, ad diuersa loca terribiliter satis, ac mirabiliter mouebatur, alicuius magnæ rei se portentum ostendẽs. APOLLONIVS: Satis me terret horum oratio. CAESARIVS: Adhuc habeo, quod tibi dicam de miraculis terræ.

CAPVT

CAPVT LII.

IN diœcesi Treuerensi villa est, cuius nomen est VVanẽbach: iuxta ecclesiam eiusdem villæ duo homines in argẽtifodina laborabãt, vnus inferius, alter verò superius in margine fossæ: interim lateribus fossæ collapsis, homo, qui in fundo erat, molibus terræ, atque petrarum obruitur; superior verò, cum illis cadens, sic contritus est, vt tertia die moreretur. Vxor autem obruti, putans eum defunctum, Missam pro eius anima celebrari fecit: & quia paupercula erat, nec sufficere potuit ad celebrationes missarum, singulis diebus in ecclesia coram altari, pro remedio animæ eius thus incendit, tribus tantùm diebus neglectis. Quod cùm fecisset per annum integrum, homines lucri causa purgare cœperunt fodinam, cumque instrumẽtis suis obruto propinquassent, clamauit ille; Parcite, parcite; massam sic competenter reijcite, vt non obruatis me. Illi primùm putates fantasma esse, cùm vocem eius cognouissent, fecerunt vt postulauerat. Nudatus autem, cùm interrogatus fuisset, quomodo in tanto tempore viuere potuisset, respondit; Singulis diebus, tali hora diei, quodam odore aromatico ita sufficienter refectus sum, vt tota illa die, vsque ad eandem horam, neque manducare, neq; bibere delectarer. In hoc toto anno per tres tantum dies eodem carui, & tunc fame penè mortuus fui. Non tamen exprimere potuit virtutem, vel causam eiusdẽ odoris. Vxor eius de hoc requisita, mox intellexit, quod pro anima eius fecerat, vt prædictum est, omnibus exposuit. APOLLON. Si spiritualia animabus impensa, sic prosunt corporibus; puto quod illis in pœnis positis, multum possint prodesse. CAESARIVS: De hoc satis audies in sequentibus. Quantum enim prodest humilibus in sa-

in sacramentis ecclesiæ fides & deuotio, tantùm stultis ac superbis, eorundem sacramentorum obest irrisio.

CAPVT LIII.

RETulit mihi Theodericus noster monachus, quondam Comes in VVieda, rem satis mirabilem. Noui, inquit, in Confluentia carnificem quendam, hominem in officio suo probum satis, nomen illius exprimens. Hic cùm tempore quodam, tertia feria ante cineres, totam penè noctem in commessationibus expendisset, manè, quasi ad abluendas carnes, cum quodam suo collega tabernam intrauit, cumq; ad officium Missæ pulsaretur, & fideles ad ecclesiam confluerent, nec non ex eadem taberna, iamq; soli hi duo illic remanentes potarent, ait alter carnifici; Certè modò diu nimis expectamus, eamus ergo ad ecclesiam propter sacros cineres. Cui ille, mysterium cinerum irridẽdo, respondit; Sede, ego tibi dabo cineres, & tu mihi. Tollensq; cineres de lare, iactauit super caput eius. Et ecce, mox pœna irrisionis subsecuta est: nã statim circa caput, & faciem, tantum sensit puluerem, ac si follibus ei insufflaretur: cumq; territus exclamaret, tantum ore cineris hausit, vt penè suffocatus fuisset. Accurrerunt multi, plagam tam mirabilem videntes, ductus est in proximam insulã, in qua non puluis, sed gramẽ erat, sed nihil ei profuit. In Rheno, in pomerio, in solario, neq; in aliquo loco à turbine cinerum se defendere potuit; à quibus tãdem suffocatus, pœnam irrisionis soluit. Ecce homo, de quo supradictũ est deuotionis gratia, etiam sub terra viuere potuit; hunc in aẽre, iã dicta culpa suffocauit. Duo nunc subijciam miracula; primum meruit virtus humilitatis, sequens virtus castitatis.

CAPVT

CAPVT LIIII.

LIfardus, cuius memini in dist. 4. ca. 4. Conuersus fuit in Hemmenrode: hic, cùm esset homo bene natus, vt per humilitatem amplius mereretur, porcos monasterij pascere nõ despexit, imò precibus idem officium obtinuit. Die quadam, cũ iuxta nemus gregem porcorum pauisset, vidit ibi duas arbores, quæ de vno trunco processerant: cui cùm vna placuisset, dixissetq; in corde suo, Deus quam idonea esset hęc arbor, ad alueos porcorum, mox cecidit, ac si securi succisa fuisset. Ecce, non oranti, sed cogitanti, lignum obediuit. Hæc de humilitate: audi aliud miraculum de castitate.

Miraculum obtentum humilitate.

CAPVT LV.

ALardus nouitius noster, sicut ipse mihi retulit, habuit materteram, nomine Iuttam, quæ ante conuersionem, licet corpore fuisset casta, gestibus tamen nimis ostendebatur leuis, ac lasciua: erat enim nubilis. Hæc cùm die quadam cum sororibus luderet, germanus eius, magnę grauitatis clericus adfuit: qui dolens de sororis leuitate, silicem solidissimum de flumine tulit, & ait; Prius scindetur lapis iste in manu mea, quàm soror mea Iutta, stabilis fiat, ac monialis. Deus verò, vt ostenderet hominem non esse iudicandum secundum faciem, mox silicem in manu eius scidit: ꝗ vbi illa comperit, tum verbo fratris, tũ miraculo lapidis, compuncta, nuptijs ac seculo valedixit, & in claustro sanctimonialium, cuius vocabulum est Bethbuer, religionis habitum suscepit, eundem lapidem, vsque hodie, in testimonium castitatis atque conuersionis suæ reseruans. Hæc dicta sunt de elementis. Placet nunc audire aliquid miraculosũ de his

Aliud, castitate.

de his, quæ in illis mouentur, auibus scilicet piscibus, animalibus, ac reptilibus? APOLLO. Placet. CAESARIVS: Quod dicturus sum, vtrum scriptũ sit an non, ignoro: ego enim illud non didici ex lectione, sed ex cuiusdam viri religiosi relatione.

CAPVT LVI.

Miraculum de animalibus, & primò de auibus.

MAtrona quędam beatum Thomam Cantuariensem plurimum diligens, assiduis infirmitatibus laborabat, & cum doloribus angeretur, eundem martyrem his verbis inuocabat; Sancte, inquit, Thoma, adiuua me. Habebat autem nescio cuius generis auiculam, quæ ex assiduitate audiendi, eandem absolutè satis proferre didicerat orationem. Die quadam, miluus extra domunculam eam videns, rapuit, & auolauit: in ipso raptu, dum vnguibus illius auis premeretur, cunctis qui aderant audientibus, clamauit de aëre; Sancte Thoma adiuua me. Vt autem mirabilis Deus, martyris sui merita gloriosa demonstraret, miluo, vt auiculam dimitteret, præcepit: quæ statim cum multa alacritate redijt ad dominam, & ille rapinæ suæ pœnam luens, mortuus cecidit in terram. APOLLONIVS: Quid est quod sanctus succurrit periclitanti auiculæ, & non ægrotanti famulæ? CAESARIVS: Quia illa aliam vitam non habebat, quam ista expectabat. Voluit etiam ei ostendere, quod dilatio curationis eius, non foret ex impotentia, sed ex prouidentia; quia virtus in infirmitate perficitur, Audi aliud miraculum.

2. Cor 12.

CAPVT LVII.

MIles quidam, Anselmus nomine, de villa Lisere, colũbas plurimas nutrire solebat: dictum est ei, quia grauiter nutriẽdo illas peccaret, eò quod sata, & granaria, læderẽt proximorum.

morum. Die quadam, eis ad comedendum annonam proijcieus, cùm omnes essent in vnum coram eo congregatæ, clara voce, cunctis qui aderant audientibus, dicebat; Vos columbæ, si Dei voluntas est vt penes me habitetis, manete; sin autem, præcipio vobis in eius nomine, vt statim recedatis, Ad quod verbum mox omnes columbæ simul se leuantes, simul auolauerunt, neque vltra reuersæ sunt ad illa domicilia. APOLLONIVS: Quomodo ibi manere potuerunt contra voluntatem Diuinam? CAESARI. Non fuit Dei voluntas, vt miles easdẽ columbas nutriret, non tamen contra Dei voluntatem ibi esse poterant; Voluntas Dei potẽtia eius est, vnde in Psalmo; Omnia quæcunq; voluit Dominus fecit, in cœlo & in terra &c. Putas Deo placere cùm Nisi, Accipitres, Grues, & cæteræ huiusmodi aues, ad leuitates nutriuntur? Absit: possunt tamen aliquæ, vt puta ciconiæ, ad necessitates à religiosis nutriri, siue hospitari, de quibus propter occasionem miraculum tibi recitabo.

Psalm. 113.

CAPVT LVIII.

APVD Cistercium, vbi caput est ordinis nostri, plurimæ nidificant ciconiæ: quod ideo à fratribus religiosis permittitur, quia per illas, non solum monasterium, sed omnia in circuitu loca, ab immundis vermibus mundantur: hyeme appropinquante recedunt, & tempore certo redeunt. Die quadam, cùm acies suas ordinassent ad peregrinandum, ne hospitalitatis concessæ immemores esse viderentur, conuentum, qui eadem hora in agro laborabat petentes, eumq; crebrius grutillando circumuolantes, omnes in admirationem verterunt, ignorantes quid peterent. Ad quos Prior; Puto quod licentiam petant recedendi, elevansque manum benedixit eis: Mox, mirum in

modum cum multa alacritate simul auolantes, monachis exeuntibus in viam, qui regularem benedictionem accipere, siue expectare paruipendunt, magnam verecundiam incusserunt. APOLLONIVS: Quid dicturi sunt homines rationales Dei dono ingrati, cùm audierint columbas obedire, ciconias regratiari? CAESARIVS: Hoc est quod Dominus per Ieremiam Prophetam populo suo Israël improperat dicens; Turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini. APOLLONIVS: Vbi habitant aues istæ in hyeme? CAESARIVS: In locis vtiq; calidis.

Ierem 8.

CAPVT LIX.

SIcut mihi retulit quidam sacerdos, pater alicuis familias plurimos habens nidos hirundinum in domo sua, & hoc ipsum, de quo tu quæris, discere desiderans, vnam ex eis cepit, chartulamque verba hæc continentem; O hirundo, vbi habitas in hyeme, pedi eius alligans abire permisit; sciebat enim experimento, quia semper loca, nection & habitacula solita repeterent. Illa cum cæteris in Asiam veniens, in domo cuiusdam Petri nidificauit: in cuius pede, cùm propter egressus vel ingressus quotidianos prædictam chartulam contemplaretur, scire volens quid essent, auem cepit, chartulam legit & amouit, alteramque annectens tali modi interrogationi respondit: In Asia in domo Petri. Quod cùm supradictus paterfamilias in reuersione hirundinis suæ didicisset, historiam hanc pro miraculo multis recitauit. De ciconijs verò multa admiratione digna recitare tibi possem, si non ad vtiliora festinarem: Masculi suas fœminas valdè zelant, adulteria grauissimè vindicant. Habent tamen fœminæ vnum remedium

dium satis miraculosum, si ante aduentum sui comparis, aquis se immergere potuerit, culpam adulterij ille minimè cognoscit, sicque pœnam mortis euadit.

CAPVT LX.

IN curia cuiusdam militis, sicut à quodam religioso viro veraciter audiui, nidus erat ciconiarum, maris scilicet & fœminæ: illa, absente masculo, adulterium admittens, frequenter paludi, quæ domui proxima erat se immersit. Quod cùm miles notasset, causam scire volens, fossam sepibus operiri præcepit. Quid plura? cùm illa admisso scelere solitam aquam peteret, nec ei ingressus pateret, interim mas venit, crimen agnouit, adulteram rostro impetiuit: ad cuius interfectionem, cùm solus non sufficeret, cum furore auolans, & post horam rediens, multis sibi ciconijs associatis, in oculis omnium, qui in curia aderant, miseram interfecit. APOLLONIVS: Puto istam zelotypiam aliquid in se continere sacramenti. CAESARIVS: Bene puras; sæpe enim in scripturis Deus auibus se comparat, cuius sponsa anima fidelis est, adulterium verò, omne peccatũ mortale, quod ab illo separat, & diabolo coniungit; aqua baptismus est, & pœnitentia, quæ semper reiteratur, & culpam abluit, ne Deus illam videat, vel cognoscat ad vindictam. His dictis pro exemplo, etiam de piscibus, qui de eodem elemento, id est, aqua facti sunt, aliquid tibi miraculosi recitabo.

CAPVT LXI.

CONradus Præpositus Sancti Seuerini in Colonia, etiam Præpositus erat Xantensis: hic cùm tempore quodã ad idem oppidũ naui-

De Piscibus.

gare, &

ret. & manus extra nauim in flumine lauaret, annulus aureus, bonus valdè, ex eius digito labens, cecidit in Rhenum. Anno verò sequenti, cùm ad iam dictum oppidum iterum iret nauigio, circa eundē locum, in quo annullum perdiderat, piscatores obuios habuit, à quibus si aliquos haberent pisces captos, inquiri præcepit. Réspondérunt illi; Habemus * esotum vnum, qui Præposito Xantensi debetur, quem vendere non audemus. Quibus cùm dicerent; Ecce Præpositus præsens est, piscem ei obtulerunt. Quem cùm cocus exenterasset, annulus præfatus in eius visceribus est repertus: quem cùm celare non posset, nec vellet, Præposito eum ostendit, quem ille mox agnouit, & non absque magno miraculo recepit.

* al Esotem forte Esocem.

CAPVT LXII.

SAcerdos quidam & monachus de ordine nigrorum, anno præterito retulit mihi de aquis & piscibus, rem valdè miraculosam. In prouincia, inquit, nostra, sicut hodie multi sunt testes, tempore quodam omnes plaudes & fluenta, in sanguinem versa sunt, quorum amaritudinem cū pisces sustinere non possent, relictis aquis, aridam petiuerunt; anguillæ verò sepes ascendentes, illisque inhærentes, sic sunt inuentæ: multitudo autem piscium in aquis mortua est, ad instar vnius plagæ Aegypti. Aliquid nunc subijciam de animalibus & bestijs quæ in terris gradiuntur, quod miraculosum sit.

CAPVT LXIII.

De quadrupedibus.

DVm VVilhelmus nouicius noster ex prima expeditione Ierosolymitana rediret Romam, casum ibi tunc recentem audiuit, vnde multi mirabantur; Bubulcus quidam bubalos iuxta

iuxta vrbem pauerat viginti annis & amplius; die quadā, cùm non procul à pascentibus in agro dormiret, quatuor ex eis conuenientes, frontes quasi ad colloquium coniungebant, & post horam, ad suum custodem currentes, tum pedibus calcando, tū cornibus ventilando, eum in frusta diuidentes interfecerunt.

CAPVT LXIIII.

REtulit nobis Abbas Daniel de lupa, rem satis mirabilem: In * Carpania, inquit, vbi scholasticus eram, scholaribus die quadam licentiatum fuerat ire ad syluas; qui in nemore lupę antrum reperientes, catulos omnes eiecerunt, quorū pedes vnus bipenni sua amputauit: quibus recedētibus, lupa redijt, & vt catulorum pedes præcisos vidit, recedentes insecuta, solummodo eum, qui hoc egerat, nimium furens impetiuit. Ille verò timens, arborem ascendit; quem cùm insequi non posset, cœpit vnguibus circa radices fodere; & cū sic non proficeret, alios lupos aduocauit. Interim nunciantibus scholaribus, homines de villa cum gladijs, cuspidibus, & baculis ei in auxilium venientes, lupos abegerunt, in medio sui illum ducentes: Lupis inuitatis ad horam sequentibus, & redeuntibus, illa sola perseuerauit vindicare se tentans multis conatibus: & cùm essent proximi villæ, lupa se periculo dans in vltionem catulorum, armatorum custodias irrupit, & scholaris gulæ insiliēs, protinùs extinxit; quæ statim occisa est. APOLLONIVS: Satis miror quod scholarem illum præ cæteris cognoscere potuit. CAESARIVS: Multa huiusmodi fiunt Dei iudicio, ex quibus est quod sequitur.

* For Kerpen vide. cap. 67. infra.

CA-

CAPVT LXV.

HOmo quidam iuxta Aquisgrani tres habuit liberos; Eo verò tempore, quo Philippus ibidem coronatus est, multi in prouincia lupi videbantur: ex quibus vnus iam dicti hominis infantem extra domum reperiens, rapuit, quem collo suo inijciens, syluas petuit. Miles quidam, casu per viam equitans, misertus infantis, post lupum cursitauit, eumque viuum & incolumem, ex dentibus eius excussit. Non multo post, idem puer, nescio quo Dei iudicio, à lupo rapitur, præfocatur, & comeditur. Habebat idem infans, sororem maiorem se, quæ cùm die quadam missa fuisset in agrum ad hauriendum aquam de fonte, lupus, multis videntibus, ad illam cucurrit, & antequam homines subuenire possent, puellam extinxerat, intestina eius deuorans. Sic homo ille duobus liberis priuatus, cùm tempore quodam guerræ, vxorem cùm supellectile sua in ciuitatem transtulisset, tertium puerum ad custodiam domus suæ, quoad vsq; reuerteretur, dimisit: quem reuersus non inuenit, nec postea vidit; & veri simile est, quod à lupo, sicut cæteri, fuerit raptus atque suffocatus. Ex quo loquimur de lupis, referam tibi de lupo, quod nuper audiui, vnde satis mirabar.

CAPVT LXVI.

IVxta villam, cuius nomen excidit, lupus puellam adultam inuasit, dentibus brachium illius tenens: quam cum secum traheret, quotiens illa clamare cœpit, clamantem durius pressit, & tacenti pepercit. Quid plura? ducta est ab eo in syluam ad alium lupum, cuius gutturi os fuerat infixum; qui cùm nimis torqueretur, per os alterius lupi manus puellæ in guttur hiantis mittitur, à qua os, quod inhæserat, extrahitur: sanatus verò, mox cum

tum suo collega puellam ad villam propriam reduxit. APOLLONIVS: Ego quendam iuuenem vidi, qui in infantia à lupis fuerat raptus, & vsque ad adolescentiam educatus, ita vt more luporum supra manus & pedes currere sciret, atque vlulare. CAESARIVS: Hæc de bestijs dicta sint. Nunc verò de vermibus aliqua subiungam, sicq; distinctionem concludam.

CAPVT LXVII.

IN villa Carpania diœcesis Coloniensis, cuius superius * memini, homo quidam fuerat, de quo mihi non constat vtrum adhuc viuat, religiosus, sed cæcus, Theodericus nomine, cognomẽto Cancer. Hic tempore quodam iuuentutis suæ, dum in agro tribulos aridos leuasset, bufonem sub eis magnum offendit. Qui cùm se contra eum in pedes suos posteriores, quasi ad pugnam erexisset, ille iratus, arrepto ligno vermem occidit. Mirabile dictu; cùm Theodoricus nihil minus suspicaretur, vidit bufonem extinctum sua insequi vestigia: quem cùm denuò transfodisset, & multotiens concremando incinerasset, non tamen profecit. Non fuit locus adeò mundus, adeò remotus, qui ei ad dormiendum esset tuus. Noctibus per clypeum timore illius ad trabem suspendebatur. Cum tempore quodam equitaret cum quodam venatore socio suo, eique tanta mirabilia conquerendo recitaret, ecce vermem eundem ille vidit, caudæ equi eius inhærentem, celeriusque ad eum scandentem: qui mox exclamauit; Caue, caue, en diabolus equũ tuũ ascendit. Mox ille desilens, occidit illũ. Alio itidẽ tẽpore, sedente eo cũ socijs suis, conspicatur sæpedictum vermem in poste proximi parietis; Ecce, inquit, vbi diabolus ille; nunquã ab eo liberabor nisi

De bufonibus.
* cap. 64.

nisi se vindicauerit. Moxque nudata coxa, sinebat vermem accedere, quem cùm momordisset, mordentem manu iactauit, ipsumque morsum, celerius rasorio, ad hoc præparato abscindens, longius proiecit. Mox mirum in modum ipsa præscisura ob infectionem veneni, ad instar pugni intumuit & crepuit; sicq; liberatus est à verme illo immundissimo. Postea idem Theodoricus, à quodam milite innocenter exoculatus, tantæ effectus est religiositatis, vt semper nudipes incederet, & sic limina Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, necnon & sancti Iacobi apud Compostellam, multis vicibus frequentaret. APOLLONIVS: Nunquam audiui talia. CAESARIVS: Sæpè per huiusmodi mõstra Deus peccatores punit, vt nouerint quãta sit in futuro, vbi vermis non morietur, & ignis non extinguet, vanis, gulosis, necnon & luxuriosis, atque immundis, pœna præparata. De vanis, vt sunt venatores, iam dictum est. De luxuriosis, exemplum habes in vita sancti Malachiæ, vbi homo luxuriosus, per bufonem fugatus est à fœmina religiosa. De gulosis memini me dixisse in distinctione quarta cap. 76. vbi intestina gallinæ versa sunt in bufonem. Referam tibi de hoc etiam recens exemplum.

Isaiæ. 66.

CAPVT LXVIII.

IN Berge, villa diœcesis Coloniensis, sacerdos quidam celebrat, homo satis mirabilis, & gulæ totus deditus: nolo eum nominare, spero quod adhuc vitam suam debeat emendare. Huic consuetudo est tempore æstiuo, propter incitamenta gulæ, tantùm in phialis bibere, id est, in cyphis vitreis. Die quadam, phialam suam vino repletam tollens, cùm nescio cui ad potandũ illam porrigeret, bufo

bufo magnus fundo insedit. de qua visione valdè territi, mirabantur, quomodo corpus tam grande intrare potuisset, cùm eidem vasi, quod inferius diffundebatur, esset collum longum, & exile nimis. Cumque sacerdos non posset vermem eijcere, neque vas vellet frangere, in locum vnde illum tulerat reposuit, & post horam reuersus, nihil in eo reperit. Nimirum, liquor ille miraculosè conuersus fuerat in vermem horridum, vt eius exemplo sacerdos abhorreret ebrietatem.

CAPVT LXIX.

NON est diu, quod per huiusmodi vermem Deus Iudæos, qui corpore, & cultu omninò immundi sunt, miraculosè satis confudit. In villa proxima, quæ Vvintere nominatur, tempore quodam Iudæi illic commorantes, in domo cuiusdam militis, quam conduxerant, quasdam solennitates celebrabant: cumque altare pannis mul tis ac mundis operuissent, tempore sacrificij vespertini simul intrantes, sacerdos ad altare accedẽs postquam pannos reuoluit, sub eis circa medium altaris maximum bufonem inuenit: qui cùm ex nimio horrore clamasset, accurrêre Iudæi, accurrerũt & Christiani, nec potuit latere visio tam monstruosa; plures enim milites, & eorum vxores ad spectaculum confluxerant, qui in risum resoluti, Iudæorum confusionem augmentauerunt: per quos etiam recitatum est tunc temporis domino Gerardo Abbati nostro, à quo ego audiui. APOLLONIVS: Satis delector in huiusmodi miraculis, quæ sunt destructiua erroris, atq; vitiorum, & quædam incentiua fidei atq; virtutum. CAESARIVS: Noueris etiam vermes venenatos aliquas habere virtutes naturales.

CAPVT LXX.

De Serpentibus.

RETULIT nobis Henricus de Foresto, miles honestus & verax, rem de serpente satis mirabilem; Satelles, inquit, quidam iuxta nos anno præterito vulneratus in latere, & malè sanatus, erumpente sanie torquebatur. Die quadam, cùm nudato latere super truncum succisæ arboris se reclinasset, vt sanies effflueret, obdormiuit. Interim serpens aduenit, & vulnus suxit; expergefactus ille, serpentem excussit. Et licèt territus fuisset propter venenum, magnum tamen mox sensit remedium. Suasum est ei, vt denuò in eodem loco prædicto modo, colubro copiam fugendi daret, fortè sanitatem omnino reciperet: quod ita factum est. Sanissimus verò effectus, in tantum à serpente cœpit diligi, vt in aliquo loco dormire non posset, quin ad eius lectum veniret: cuius consortium homo abhorrens, prouinciam mutat, interimque per annum fere dimidium illum nõ vidit, Reuersum, denuò serpens sequitur, & cùm non posset intrare vbi ille cubabat, manè ante hostium repertus est. Suasum est ei vt monstrum occideret; respondente illo, Curatorem meum non occidam. Tandem importunitate serpentis exasperatus, occidit illũ, sicque ab eo liberatus est. APOLLONIVS: Melior erat serpens iste, illo serpente, de quo dictum est in distinctione sexta capitulo: 2. CAESARIVS: Ille peccatum maximum puniuit, ad hoc enim creatus fuerat. Quantum serpentes hominibus parcant, duobus tibi pandam miraculis.

CAPVT LXXI.

MAtrona quædam in Flandria, sicut nuper audiui à VVigero monacho Vilariensi, cùm infantem perperisset, circa illius corpusculum serpens maximus se complicauerat: de quo cũ disputatum fuisset, quomodo foret sine periculo infantis abstrahendus, consilio cuiusdam, gladius super eum positus est, ad cuius frigiditatem colubber territus, se erexit, & ab infante cecidit, qui baptisatus, paucos superuixit dies. In orbita eundem serpentem matrona fertur bibisse.

CAPVT LXXII.

SIMILE penè contigit in diœcesi Traiectensi, in villa Dulre. Nutrix Alardi nouicij nostri, sicut ipse mihi retulit, cùm quadam die iuxta alueola apum dormiret, ingens serpens per os ventrem illius intrauit: aduenente eius marito, vt dormientem excitaret, vidit caudam, ad mensuram digiti, eiusdem serpentis adhuc in ore superesse: quẽ cùm retrahere non posset, illa euigilauit dicens; Valdè incommodè soporata sum, & noluit ei maritus indicare quod acciderat, ne ex ipso timore moreretur: erat enim vicina partui. Cui à matre, consilio viri, lac, & dulcia quæque ministrabantur, vt serpens eisdem potatus quiesceret: in hora verò partus, mulier cum infante serpentem effudit: quem cùm vir extracto gladio expectasset, & ille, sicut est naturaliter prudens, ad fœminam redirer, præoccupatis eius itineribus, occisus est. adhuc eadem mulier viuit. Si omnia recitare vellem, quæ meis temporibus miraculosè quasi, contra solitum cursum naturæ facta sunt, ante me tempus deficeret, quàm copia dicendorum. Interim ista teneas, in his delecteris, quia ad ea, quæ magis vtiliora sunt, festino. Quia scriptum est de Deo; Mementote mirabilium eius quæ fecit, horum quæ dicta sunt recordemur, dicentes cum Propheta; Tu es Deus qui facis mirabilia solus: Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Nomen patris Christus est, per quem

Psal. 104. Psal. 70. 135. 113.

facta sunt omnia. Cui cum eodem Patre & Spiritu sancto honor sit, & imperium per omnia sæcula sæculorum Amen.

FINIS LIBRI decimi.

CAPITA LIBRI vndecimi.

QVID sit mors, & vnde dicatur, & de quatuor generibus morientium cap. primum.
De morte Meineri sacerdotis de Claustro cap. 2.
De morte Isenbardi sacristæ eiusdem cœnobij cap. 3.
De morte Sigeri monachi cap. 4.
De morte adolescentis laici, cum quo angeli, cùm moreretur, loquebantur cap. 5.
De Oberto Conuerso, qui moriens cœlestem audiuit harmoniam cap. 6.
De Conuerso coco, qui audiuit angelos officia exequiarum complere cap. 7.
De morte fratris Hildebrandi, cuius animam in specie pueri speciosi conuentus candidatorum deferebat cap. 8.
De Conuerso mortuo, circa cuius corpus frater Vvernerus candelas stare vidit cap. 9.
De morte Hervvici Prioris cap. 10.
De morte Mengozi Conuersi, qui ad mandatum Gisilberti Abbatis reuixit cap. 11
De morte Gozberti Conuersi, qui reuiuiscens visarecitauit cap. 12.
De finali contritione sacerdotis, quandoq; nigri monachi existentis cap. 13.

De

De Rudingero monacho, cui beatus Dauid finem suum prædixit cap. 14.
De morte Gerundi Conuersi, quem homines nigri, & vultures, morientem obseruabant cap. 15.
De morte Conuersi, super quem residebant corui cum agonizaret, qui à columba expulsi sunt cap. 16.
De morte Cunonis de Malburch monachi in Claustro cap. 17.
De morte Ludolphi monachi de porta cap. 18.
De morte Alardi monachi de Lucka, cui Christus cum matre & sanctis morienti apparuit cap. 19.
De milite occiso, qui ad inuocationem diuini nominis saluatus est cap. 20.
De Frisone, qui sine sacramentis obijt, satis à filio monitus cap. 21.
De Frisone occiso, qui ante mortem omnia sacramenta suscepit cap. 22.
De Vvigero milite, qui à Saracenis occisus est cap. 23.
De Theoderico de Rulant, qui orans ad sepulchrum Domini, vt moreretur precibus obtinuit cap. 24.
De morte monachi de Orsburg, qui viuere recusauit propter Abbatem inordinatum cap. 25.
De Abbate, qui in Baioaria incendio suffocatus, post mortem miracula fecit cap. 26.
De morte inclusi de S. Maximino in Colonia cap. 27.
De morte Clementiæ sanctimonialis Niuellia, circa cuius corpus inuenti sunt nouem circuli ferrei cap. 28.
De Osilia Leodiensi, quæ circulis ferreis se ligauerat cap. 29.
De morte Gerbrandi Abbatis Claricampi cap. 30.
De morte * Vdelledis sanctimonialis cap. 31.
De morte Conradi cellerarij nostri cap. 32.

* al. Vdevvoldis, Vdelloldis.

De

De morte monachi nostri, quem Richvvinus vocauit cap. 33.
De morte Gregorij Armeni, quem mater defuncta vocauit cap. 34.
De Conuerso de Cynna, qui propter obulum reuersus est ad corpus cap. 35.
De monacho, qui propter cucullam, quam moriens exuerat, prohibitus est intrare paradisum cap. 36.
De ciue Strasburgensi, cuius anima ad corpus rediit cap. 37.
De magistro Thoma Theologo qui diabolum vidit in morte cap. 38.
De vsurario Metensi, cui mortuo crumena cum denarijs consepulta est cap. 39.
De vsuraria in Frechene, quæ mortua denarios numerantes imitabatur cap. 40.
De vsuraria de Bachem, cuius anima à dæmonibus, in specie coruorum euulsa est cap. 41.
De Theodorico vsurario, qui moriens denarios masticauit cap. 42.
De morte VValteri clerici dispensatoris Lutharij Præpositi Bonnensis cap. 43.
De morte Godefridi Canonici sancti Andreæ in Colonia cap. 44.
De morte Hermãni secundi Decani in Colonia ca. 45.
De morte legistæ in Saxonia, cui morienti lingua diuinitus subtracta est cap. 46.
De Henrico rustico, qui moriens vidit capiti suo lapidem ignitum imminere, per quem agros alienos proximo subtraxerat cap. 47.
De rustico, cui diabolus palum igneum mittere in os morienti minabatur, ob eandem culpam cap. 48.
De clerico mortuo, qui rediens se iudicatum, & in manus

manus impiorum traditum exclamauit cap. 49.
De clerico moriente, qui se tubam infernalem audiuisse testabatur cap. 50.
De morte Comitis Fulkensis hæretici, ob blasphemiam occisi cap. 51.
De morte Ioannis Dani, qui diabolum vidit in morte cap. 52.
De quodam seruo, quem duo canes, cùm se Episcopum simularet, lacerauerunt cap. 53.
De morte Bernardi Monasteriensis, qui sororium suum occidit cap. 54.
De latronibus Coloniæ in in rotis positis cap. 55.
De rusticis, qui post mortem in sepulchro contendebant cap. 56.
De subita morte cuiusdam Conuersi conspiratoris cap. 57.
De morte canonici, qui velatam sanctimonialem stuprauerat cap. 58.
De morte puellæ, in cuius sepulcro canes se inuicem mordebant cap. 59.
De muliere maga, quam dæmones transferebant cap. 60.
De hospitalario, qui se ipsum in aquis suffocauit ca. 61.
De matrona agonizante, quam mors deserens, clericum iuxta astantem inuasit cap. 62.
De monstro, quod in specie fœminæ interfecit familiam duarum curiarum, cum in eas respiceret cap. 63.
De monstro, quod Bonnæ de vno sepulcro exiuit, & aliud intrauit cap. 64.
De monacho, qui in Alna cadens, expirauit dum legeretur Euangelium; Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit cap. 65.

DE MORIENTIBVS LIBRI VNDECIMI

CAPVT PRIMVM.

CAESARIVS:

De morte in genere.

VNDECIMA hora diei, ſolem trahit ad occaſum: hæc eſt ætas decrepita, quæ morti vicina eſt. Non ſine myſterio in diſtinctione vndecima de morientibus tractandum ſuſpicor, quia vndenarius, eò quod denarium, in quo præcepta legis diuinæ conſiſtunt, primus tranſcendat, tranſgreſsionem deſignat: per tranſgreſsionem enim protoplaſtorum, mors introiuit in orbem terrarum. Vnde mors, à morſu nomen ſuũ accepit: mox vt homo pomum vetitæ arboris momordit, mortem incurrit, & tam ſe, quàm totam ſuam poſteritatem, neceſsitati illius ſubiecit. Dicitur etiam mors, ab amaritudine, quia, vt dicitur, nulla pœna in hac vita amarior eſt ſeparatione corporis & animæ. Sunt autem tria genera mortis, vt dicit Iſidorus, acerba, immatura, naturalis; acerba infantũ; immatura iuuenũ; id eſt, naturalis, ſenum. Et quia de morientibus loqui proponimus, noueris quatuor eſſe genera hominum morientium. Quidam bene viuunt, & bene moriũtur: alij & malè viuunt, & malè moriuntur: alij malè quidem vixerunt, ſed Dei gratia bene moriuntur; & ſunt, qui quidem bene vixerunt, ſed iuſto Dei iudicio malè moriuntur. Hanc diuerſitatẽ per Ezechielẽ Dominus expreſſit ſa-

Mortis & morientium genera.

ſit ſatis: De bene autem viuentibus, & bene morientibus, dicit: Vir ſi fuerit iuſtus, & fecerit iudiciũ & iuſtitiam; poſt enumerationem multorum operum bonorum, ita concludit; Hic iuſtus eſt, vita viuet, ſcilicet æterna, ait Dominꝰ Deus. De malè moriente, mox ſubiungit dicens; Quod ſi genuerit filium latronem effundentem ſanguinem; enumeratis multis operibus iniuſtitiæ, in fine ſic dicit; Nunquid viuet? non viuet. cùm vniuerſa hæc deteſtanda fecerit, morte morietur, ſcilicet æterna, ſanguis eius in ipſo erit. De eo autem, qui malè vixit, & finaliter pœnitet, ſic ait; Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam; vita viuet, & non morietur. omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor: in iuſtitia ſua, quam operatus eſt, viuet. APOLLONIVS: Magna cõſolatio. CAESARIVS: Non minus terribile eſt quod ſequitur; Si autem auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum omnes abominationes ſuas, quas operari ſolet impius, nũquid viuet? Omnes iuſtitiæ eius quas fecerat, non recordabũtur: in peccato ſuo quod peccauit, morietur. Petrus bene vixit & bene finiuit: Simon Magus econtrario, malè vixit & male finiuit: Latro in cruce malè quidem vixerat, ſed bene conſummauit: Nicolaus aduena creditur prius bene vixiſſe, ſed non bono fine concluſit. APOLLONIVS: Quare boni bene, & male moriantur, quæſtio mihi nulla eſt: quare autem diu bene viuentes non perſeuerent, & diu malè viuentes bono fine decedant, noſſe vellem. CAESARIVS: Non ſum Chuſai conſiliarius Dauid: Quis enim nouit ſenſum Domini, aut quis cõſiliarius eius fuit? APOLLONIVS: Quæ eſt mors bona, & quæ eſt mors mala? CAESARIVS: Qui in chari-

Ezech. 18.

2. Reg. 15. 17.

Rom. 11.

charitate decedit, per lumen eius videbit lumen æternum. Hinc est quod foris morientes, lumẽ ardens tenent in manibus. Qui verò sine charitate moritur, mittetur in tenebras exteriores: vna enim sententia omnis hæc diuersitas concluditur: Qualem, inquit, te inuenero, talem te iudicabo. APOLLONIVS: Satisfactum mihi fateor per sententias, nunc precor vt exempla subiungas. CAESARIVS: Faciam quod hortatis, & hoc secundùm ordinem prædictum. Quàm pretiosa sit in conspectu Domini mors sanctorum eius, & mors peccatorum pessima, subiecta declarabunt exempla.

Psal. 115.
Psal. 33.

CAPVT II.

Mors bona illorum qui bene vixerunt.

EO tẽpore, quo beatissimus Dauid monachus Claustrensis ab hac luce migrauit, facta est in eadem domo, quæ alio nomine Hemmenrode vocatur, mortalitas magna, Domino eligente sibi eos quos vita commendabat sanctior, ad similitudinem columbæ, quæ melioribus granis pascitur. Erat ibi sacerdos quidam nomine Meinerus, quandoque Ecclesiæ sancti Simeonis in Treueri Canonicus, & salutari admonitione sancti Bernardi Abbatis ad ordinem conuersus, amplius quàm 30. annos in ordine fecerat, & per plurimos labores ad sublime sanctitatis culmen peruenerat. Cumque in eadem domo ob suam probitatem ad diuersa electus fuisset officia, Prioratus scilicet, cellerariæ, grangiariæ, magisterij nouitiorum, gradatim tamen omnibus irreprehensibiliter administratis, grauiter infirmatus, mortem adesse dolor vehemens indicauit: cuius dolores Abbas cõsiderans, in domum secretiorem eum poni fecit, quatuor ad ministerium eius deputatis. Ille verò, licèt gauderet de solitudine, tristabatur tamen de exhibito honore, dicens Abbati; Fratres isti vigilando atq; laborando

laborando sunt lassi, neq; mihi sunt necessarij; grata est mihi solitudo, neq; minus solus ero, cum solus ero: non enim solus est, cui præsul & custos Dominus adest: si careo hominum obsequio, credo quod non deerit præsidium de cœlo. Abbate recedente & ad sermones eius minus attendente, ipse fratres abire compulit, lucernamq; extinguere. Media nocte, Priore iubente, in eandem domum ad dicẽdas horas minuti conueniunt, & ignis accẽsus est, quia hyems erat. Dictis matutinis, visitauit eum Prior, fratribus lectum eius circumstantibus; quibus ait; Tota nocte solennisabam, si centum linguas haberem, internæ iocunditatis gaudium explicare non possem: vidi deificum lumen, audiui cęlestem harmoniam, interfui choris psallentium in cælo. Ach quàm ordinatè, quàm distinctè, quàm reuerenter psallebant: voces quidem erant multæ & diuersæ, sed quemadmodum in cytharia varietas chordarum vniformem reddit concentum, ita concors illa diuersitas, in vnam conueniebat melodiam, supra humanum sensum delectabilem: grauibus succinentibus, puellares voces ascendebant, facientes diapason: cuius organi suauitatem, humana infirmitas æstimare non potest. Admiranti mihi super his, astitit quidam in habitu venerabili, dicens; Quid miraris? hæc est laus verbi Dei. Et cùm hæc dixisset, psallentibus adiunctus est, & tota virtute psallebat. Interea gratum occurrit spectaculum. Videbam scalam speciosam super me directam, iter è terris in cœlum præbentem: vnus ex nostris subitò de medio factus hanc egressus superna regna petebat, lætabundus & laudans, angelorum vallatus copijs, nullumque passus omnino discrimen, cœlo receptus est. Verùntamen frater ille, non est mihi designatus ex nomine. Quidam autem calũniabatur fratres nostros, duo,

duo obijciens, ſcilicet quod defunctis fratribus debitam penſionem negligenter ſoluerent, & veteres tunicas, cùm nouas reciperent, non ſtatim redderent. In altero me reprehenſibilem doleo, propter vrgẽtes enim cauſas, miſſas nondum perſolui quas debeo, ſed quàm plura pſalteria dixi. Deo enim gratias ago, labia mea nunquam otioſa fuerunt à laude Dei. Hæc proſecutus eſt, & conſequenter ab hac luce ſubtractus, fidem fecit dictis. Aiunt de eo, quod in exterioribus agens, ſæpe per diem duo pſalteria dicere ſolitus eſſet. Perſpicuũ eſt, quod frater ille, qui ſubitò de medio factus, cũ honore cœleſti deduci viſus eſt, ipſum Meinerum ſatis eleganter expreſſit; euidenti declarans indicio, quod velocius morte ſubueniente, ſine omni diſcrimine, tranſiturus eſſet de preſſuris ad gloriã, de morte ad vitam, de mundo ad Chriſtum, cui eſt honor & imperium in ſæcula ſæculorum amen.

CAPVT III.

AEgrotabat in eodem cœnobio ſcilicet Hemenrode ſacerdos, Iſenbardus nomine, cuſtos eccleſiæ, plus quam triceſimum annum agens in ordine, & ad extrema perductus eſt. Media nocte, cùm ſuper eum miniſtrorum vigilaret diligentia, audiuerunt eum leui ſuſurro verba ſonare: timenteſque, ne morti proximus, aliena loqueretur, ori loquentis auri adhibita, intellexerũt verba ſublimia, ædificationis plena de gloria cœleſtium, & inenarrabili lætitia ſanctorum. Dignũ ergo iudicantes teſtem his idoneum adhiberi, nũciauerunt hæc Abbati, qui & ipſe graui laborabat infirmitate. Vocatus Abbas adfuit. Interim cecidit horologium, & occaſione ſumpta, ſic fari cœpit; Ach quam ſuauem noctem exegi, quàm delectabili horo-

horologio temperãdo operam dedi, quàm dulces, & quàm ſuaues concentus audiui, choris in cœlo pſallentium interfui: ach quàm concorditer, quã delectabiliter pſallebant. In noſtro cantu, ſolet eſſe diſſonantia, tædium, laſſitudo; ibi longè aliter eſt: in vnam omnes conueniunt melodiam, ſuper omne quod delectat, dulciorem. Infatigabiles laudare non ceſſant, & quantò plus laudant, tãtò plus creſcit amor laudandi, & mirabili, ac ineffabili modo hoc prouenit in vſum gratiſſimæ quietis, quod nunquam vacant à laude creatoris. Ibi vidi homines noſtri ordinis, ſuper homines alios eminere, claritate, & dignitate, & gratia præcellere. Qui enim magis hic humiliati ſunt, mediocribus pro Chriſto contenti, eò glorioſius ibi exultant, abundantiorem accipientes conſolationem, facie ſplendidiſſimi, ſtatura celſi, veſte glorioſi: cum his familiariter conuerſatus ſum, & amico refectus colloquio. Apparuerũt etiam mihi fratres noſtri, dominus VVernerus Prior, & dominus Michaël, & dominus Arnoldus, & dominus Cuno, & dominus Dauid honore celſior, candidiſſimis induti cucullis, quorum nitor oculis meis tam erat impenetrabilis, quàm radius fulguris coruſcantis. Tanta gloria veſtium delectatus, ſolicitè quærebam, ſi talem ego habiturus eſſem: & dixerunt; Qui viuit irreprehenſibiliter, talem veſtem ſperare poteſt: ſi verò vitium latuerit in conuerſatione, macula apparebit in veſte: culpa enim vitæ, maculam facit in veſte: immaculatam ergo merebitur habere veſtem, qui ſe à maculis ſeruat immunẽ. Et dixi: Quæ ſunt maculæ? & ille, Murmuratio, detractio, inuidia, negligentia, & quicquid ſinceritatem cordis maculat, & confundit: qui talia agunt, in gloria veſtis maculam ponunt. Tu verò pro multis laboribus, & vitæ honeſtate, ſimilẽ ſortieris veſtem.

His

His dictis faucibus arefactis, viribusque exhauſtis, defecit loquens. Poſt modicum, inſtillata refocillatus aqua, reſumptoque ſpiritu, ad loquendum ſe parans, ſpem fecit auditoribus, & ait; Vtinam differret me Dominus, vſque dum completo opere Dei, dominis noſtris loqui poſſem. Ach quàm læti nuntij baiulus eſſem, quàm læta, quàm ſtupenda narrarem, quæ vidi, quæ audiui, & ſenſi, quæ parata ſunt diligentibus Deum, & in laude eius vigilantibus. Et Abbas; Frater quomodo hæc vidiſti? Et ille; Quater hac nocte raptus ſum ante Deũ, pectus meum apertum eſt, & anima mea educta eſt, & ſtatim fui inter choros angelorum, & vidi Dominam noſtram in immenſa claritate cum ſuis ſacris virginibus, quæ ſe mihi promiſit in neceſſitate adfuturam, & Sanctum Michaëlem cum multo exercitu angelorum præparatum in auxilium mihi. Nã altari, & memoriæ ſuæ, honorem ſolebam ſemper impendere, & innumerabilem multitudinem ſanctorum, & quos antea non videram, ſtatim agnoui. Rurſum ſpiritu & viribus deficiens, loqui ceſſauit. Compulſus itaque de ſorbitiuncula pauxillũ accepit, & guſtans ait; O quam dulcis eſt Dominus guſtantibus ſe; O quanta eſt ſuauitatis eius abundantia, quàm larga, quàm indeficiens, & omnium deliciarum copijs affluens, qua me in hac nocte reficere dignatus eſt. O dulcedo illa, dulcedo gratiſſima, optabilis, & præſtantiſſima; O quàm ſingularis, quã excellens, & ineffabilis. Intus enim in corde vtcunque teneo, verbis autem explicare non valeo, quam ſentire potui, non poſſum effari, rei nimietate victus. Tam felici refectione paſtus, hãc ſuperaddere ſuperfluum duco: hęc breue & modicum nutrimentum præſtat; illa in perpetuum reficit & ſaginat. O quam beati ſunt qui illa ſine fine fruituri ſunt. Iubente Abbate, vocati ſunt quidam

nouicij,

nouicij, viri quondam in ſeculo clari, virtute militari inſignes, quos ita conſolatus eſt; Verè felices eſtis, & terq; quaterq; beati, qui de vana veſtra cõuerſatione, atque mundana vanitate per diuinam miſericordiam vocati eſtis, patrem in cœlis cum iuſtis habituri: conſtat enim de ſalute veſtra, ſi tamen perſeueraueritis: Nam dominus Dauid indeſinenter pro vobis preces ad Dominũ fundit, quatenus quod ſalubriter inchoaſtis, feliciter compleatis. Vnum autem eorum nomine exprimens, de eo dicebat, niſi portas Clauſtri ingreſſus fuiſſet, mortis æternæ portas non euaſiſſet. Aderant & hoſpites conuertendi gratia de ſedibus ſuis euocati, ſed nimio adhuc rerum temporalium amore detenti, rem arduam aggredi dubitabant. Qui fiducialiter accedentes ad virum Dei, mentiſque fluctuationem confeſſi, quod videlicet velle adiaceret eis, perficere autem bonum non inuenirent, ſupplicabant vt orationibus eius adiuti mererentur in bono ſtabiliri. Et ille; Quàm diu mente adhæretis ſeculo, non poteſtis perfectè placere Deo, nec firmari in bono, habentes voluntatem fixam in malo: quapropter, recedite omninò ab his quæ inutiliter amatis, & non deerit vobis gratia Saluatoris. Si vidiſſetis quæ ego vidi, omnem gloriam mundi vilem reputaretis. Deinde multa quærebant; ille de parte, ille de fratre, ille de ſuo ſtatu futuro, ille de præſenti. Sed vir Dei ita de ſingulis reſponſum temperauit, vt ſecretorum reuelator, & cõſcientiarum inſpector eſſe probaretur. Mox vocante Domino ſancta illa anima carne ſoluta eſt, ad dolores corporis vltra non reditura, ſed, vt credimus, immortalitatis luce veſtienda & perenni gaudiorum ſuauitate reficienda. Duo hæc capitula, ſicut quinque reliqua quæ ſequuntur, à quodã reperi notata, qui ſe ea, quę dicta ſũt, vidiſſe

& au-

& audiuisse commemorat, quæ perire non sunt passus: habent præterea plures testes, qui adhuc supersunt. APOLLONIVS: Prosequere obsecro residua, quia tanto sunt audientibus gratiora, quanto tuo testimonio recenter gesta, scripto sunt mandata.

CAPVT IIII.

CAESARIVS:

FVit in eadem domo monachus sacerdos, nomine Sigerus, ætate iuuenis, & amator ordinis, sui corporis seuerus castigator, qui inter cætera virtutum opera, sanctam Dei genetricem ardenter diligebat, & quibus poterat modis, alios ad amorem eius accendebat. Cùm autem accersionis suæ hora imminebat, eò quod infirmaretur, & languor esset fortissimus, quidam Conuersus, magna Dei gratia præditus, quem Dominus secretis consolationibus suis frequenter consolari dignatur, huiusmodi visionem vidit. Visa est ei tabula defunctorum pulsari, & ire cœpit ad muniendum fratris exitum: & fortè transitum habens per palatiũ operis mirifici, inuenit residentem in eo matronã reuerendæ dignitatis, cuius facies angelicam præferebat gratiam, & niueum indumenta candorem. Hærebat igitur defixis in eam luminibus, certus tam desiderabili personæ diuinum numen inesse: denique tantæ diuinitatis præsentia ausum præbente, proprius accidit, non metuens offensæ periculum, & familiariter verba conserit dicens; Amãtissima domina, quid cautæ habes ingredi ad nos, cùm hoc non sit licitum matronis? Et illa: Speciali, inquit, iure fungor in domo ista, & venio visitare familiares & domesticos meos. Et ille, piam pro fratribus gerens solicitudinem, ait; Ecce fratres nostri

nostri viritim decedunt, iuuenes, & senes, & mediocres, & non est personarum acceptio: quid inde nobis faciendum est? Et illa; Debetis decantare, Te Deum laudamus. Cum plura responderet, hæc tantum verba retinuit, vir simplex & sine litteris. Interim verò pulsata est tabula, & cessauit visio figuratiua. Credimus piam Dei genetricem, vtpote matrem misericordiæ, fideli suo in morte non defuisse, & tale iudicium aduentus sui dedisse.

CAPVT V.

EA tempestate, venit ad conuersionem adolescens laicus, mundi corruptelam incorruptus euadens, carnis integritate seruata; quod est magnum diuinæ miserationis beneficium. Hic cũ se capitulo præsentasset, consequenter languore correptus inunctus est: quo inuncto, alius defunctus est; cuius exequijs cùm vniuersi interessent, infirmis interim sine custode relictis, audiuit adolescens ille choros angelorum, obsequia funeris agentium, & suauitate psallentium magnificè delectatus est. Insuper quidam ex ipsis præsentialiter astiterunt ei, & allocuti sunt dicentes; Amice, tu quid dicis? Placet ne tibi hac vice venire ad nos? Et ille; vehemẽter cupio dissolui, & esse cum Christo. Et angeli; Esto paratus, expletis præsentibus exequijs, statim nobiscum ibis. Ille promissi haud dubius superni, futurorum gaudiorum primitias iam corde præsentiens, lætus & hilaris, redeunti infirmario rem pandit per ordinẽ, & adiecit; Sternite mattam, & pulsate tabulam, & quæ præparanda sunt parate celerius, iam enim iturus sum ad Dominum. Quod ita factum est. Porrò quidam infirmus proximus iacebat ei, & quasi contiguus, tenui tantùm pariete diuisus ab ipso, qui audiuit angelos cum eo loquentes, qui adhuc superest

Philip. i.

testis fidelis, cuius testimonio fidem facit vita laudabilis.

CAPVT VI.

ERat in eadem domo, Claustro scilicet, laicus Conuersus, nomine Obertus, vir moribus ornatus, & actione circumspectus, à primis adolescentiæ annis deseruiens in ordine, ad omne iubentis imperium hilaris, & promptus. Hic annnis circiter triginta, cùm fratribus infirmis tã deuotum, quàm sedulum exhibuisset obsequium, ipse quoque diuersa corporis inæqualitate correptus est, & in magnis laboribus superueniẽs, annis quasi viginti, longum trahebat martyrium. Verumtamen, licet corpore inualidus, animi prouidentia non deerat fratrum necessitatibus, prudenter disponens omnia. Tandem obortæ mortalitatis vrgente procella, & languore inualescente, diem suum functus, vita simul & doloribus ereptus est. Nocte beati Stephani, quæ proxima est natali Domini, pulsata est tabula defunctorũ pro eo, & surgentes festinanter, aduenerunt fratres, orationibus munientes fratris exitum. Iacebat autem, vt moris est, positus supra mattam, extremum trahẽs spiritum. Dicta letania cùm adhuc aliquid spirameti superesse videretur, incepti sunt septem Psalmi: inter dicendum; tanquam de leui somno excitatus, reuixit, circum ferens oculos, & iubente Abbate repositus est in lectum suum, & reuersi sumus. Quidam autẽ rei nouitate perculsi, manserũt circa eũ, expectantes donec conualesceret spiritus eius, cupientes audire ab eo quid hoc esset miraculi. Postquã autẽ sibi redditus est, ita dicere exorsus est; Hic ego q̃d facio; certe hic esse nolo: modò erã inter Angelos, cœlestis harmonię suauitate demulcebar, deputatus eram beato protomartyri, gloriæ ipsius

ipsius consors, & collega futurus. Hic ergo quid facio? certè redire volo. Post modicum, iterũ tabula pulsata est, & feliciter obdormiens in Domino, vt credimus, non est fraudatus à desiderio suo, partem habiturus in sorte sanctorum. Quod autem præostensa sibi gloria reuersus ad horam caruit, in hoc pusillanimitati nostræ consultum esse non ambigimus, videlicet vt minus solicitos, deuotos faceret, & proficientes, studijs melioribus accenderet. Psal. 77.

CAPVT VII.

IN eadem domo cœcus quidam Conuersus fuit, cui Deus interioris hominis lumen contulit, damnum corporis cœlesti munere commutãs: dedit enim ei diuinas videre visiones, aliquando gloriam sanctorum, frequenter pœnas malorum, assidue ipsum dæmonem, flammiuomos ignium globos eructuantem. Mira sunt hæc, & munera Dei. Frequenter autem patitur dæmonum incursus & congressus, ita vt ipsi impingant in eum, & ipse vel pugno, vel baculo affligat eos. Hos assultus pati solet in quolibet loco, magis in ecclesia, maximè cùm pro defunctis orat. Ea tempestate, cœpit iste in exequijs defunctorum audire choros angelorum psallentium, modò cum monachis, modò diuisim. Cùm autem efferebantur corpora precedente conuentu, manebant angeli in choro, exequiarum officia complentes. Inter, Sãctus, autem, & Pater noster, ineffabiles solebat audire iubilos, & suprã humanam estimationem dulces. Hæc cœlestis modulatio, post depositionem domini Dauid dulcior & magis intelligibilis audiebatur. Cõtigit aliquando, dominum Abbatem ædificationis causa venire ad hunc cœcum, qui inter cætera, acceptæ gratiæ beneficium confessus est, & hic

diligenter ante præmonitus est ab Abbate, vt diuinæ gratiæ gratus existens, omnem humanam gloriam excluderet, diuinũ apud se munus occultans, ne sanctum daret canibus. Et respondit, se tantùm hoc vnico fratri suo carnali dixisse. Et intellexit Abbas lapsum hominis. Post dies aliquot, reuerso Abbate humiliatus coram eo, cœlesti se carere beneficio lachrymosè confessus est. Et inflicta ei graui pœnitentia, quæ superbienti subtracta fuit, pœnitenti restituta est gratia.

CAPVT VIII.

DVM in extremis ageret frater Hildebrãdus, tabula pulsata, conuentus accurrit: quo morientem circumstante, & exequias ex more celebrante, stetit frater quidam inter alios, cui talem visionem Dominus reuelare dignatus est. Vidit, & ecce alius conuentus superuenit hominum albatorum, qui in loco, quo moriens iacebat, speciosum valde puerum accipiens, cum gaudio magno & canticis abijt. Itaq; gemina felicis huius fratris substantia, à gemino conuentu delata, atq; deducta est, anima scilicet, à conuentu albatorum ad beatam requiem; corpus verò à conuentu albandorum ad ecclesiam: vtroque sanè pro eo quod deferebant, in Dei laudem, quanquam differenter, cõcrepante. APOLLONIVS: Quid est quod in quorũdam iustorum morte tam mirifica videntur, & in aliorum, quæ eis in merito pares sunt, vel fortè maiores, nulla ostenduntur? CAESARIVS: Vna causa est, vt latens sanctitas morientium viuentibus manifestetur: alia, vt eorum virtutes, quibus hoc meruerunt, imitentur: tertia est, vt iustorum innocentia, si malè fuerint (vt sæpe fit) infamati, demõstretur. Verbi causa.

CAPVT

CAPVT IX.

IN eodem cœnobio quodam fratre fautore nomine VVernero, Conuersum aliquem, quidam ex fratribus calumniati sunt sine causa, ita vt eijceretur ab illis. Contigit post hæc, vt frater idem moreretur, & iam dictus VVernerus interesset cõmendationi eius. Moris autem tunc erat, vt aliquo super mattam posito, fratres sicut sine processione occurrerunt, ita sine ordine circa morientem starent, vbi cuique prior occursus, aut deuotio locũ dedit, laicis fratribus hincinde circa monachos stantibus. Corpore igitur mortui loto & allato, vidit idem VVernerus multas candelas in circuitu feretri statutas, & omnes ardentes: in parte autem, qua ipse stabat, omnes candelæ pariter extinctæ sunt. Vnde miratus simul & territus, cum corpus in ecclesiam delatum fuisset, ipse dominum Sifridum traxit in partem, & confessionem fecit, extinctionem candelarum suis peccatis imputans, & innocentiæ fratris manifestandæ. Reuersus in ecclesiam, easdem candelas inuenit, & omnes ex omni parte ardentes vidit.

CAPVT X.

ANNO præterito defunctus est ibidem dominus Hertvvicus Prior, vt quidem grandeuus, & circa disciplinam feruentissimus: qui cùm sero putaretur esse moriturus, multis, qui conuenerant, clara voce dicebat; Non modò moriar, sed crastina die hora nona ero ante summum iudicem, de omnibus operibus meis ibidem redditurus rationem: eadem siquidem hora expirauit. In cuius transitu, quidam confessi sunt se angelos audiuisse. Simile habes de Vlrico monacho Vilariensi in distinct. 9. ca. 31. APOLLONIVS: Quid est

 quod

quod ille prædixit se iturum esse ad nuptias, iste ad iudicium? CAESARIVS: Ille, vtpote in adolescentia conuersus, piè præsumebat de custodita innocẽtia; istum terruerunt peccata multo tempore commissa: senex enim venerat ad conuersionẽ. APOLLONIVS: Beati mortui qui sic in domino moriuntur. CAESARIVS: Quanta sit in Domino morientium beatitudo, subiecta declarabunt exempla.

Apoc. 14.

CAPVT XI.

IN sæpedicto Claustro, Conuersus quidam fuit nomine Mengosus, vir simplex, & religiosus, in coquina conuentus seruiẽs. Accidit, vt die quadam cum iuuene quodam monacho hebdomodario coquinæ, lignum incideret: qui cùm minus cautè pedem ad scindendum seruaret, monachus eũdem pedem diuisit. Deportatus in infirmatoriũ, cùm nimis torqueretur inunctus est. Instante tempore eundi ad capitulum generale, dixit ei bonæ memoriæ dominus Gisilbertus Abbas; Frater Mẽgoze, non debes mori, sed expectabis me. Respondente illo: Si in me fuerit, faciam. subiunxit Abbas; Ego præcipio tibi. Iuit ergo ad capitulum, & moratus est diutius. Reuerso eo, & veniẽte ad portam, pulsata est tabula & campana. Interrogauit Abbas cui pulsaretur: dicente portario, quia fratri Mengozo. Respondit Abbas, Ego deberem ei adhuc loqui: festinansque ad orationem, cùm venisset in infirmatorium, ille expirauerat. Et cùm se inclinasset ad mortuum, altâ voce dicebat; Frater Mengoze, & non erat ibi vox, neque spiritus: cumque secundò idem nomen repetisset, respondit Prior; Nolite vos fatigare, expirauit enim. Tunc Abbas se ad illius aurem magis inclinans, clamauit dicens; Ego tibi præceperam, ne morereris donec venirem: ego tibi iterum præcipio, vt respondeas

deas mihi. Ad quod verbum ille quasi de graui somno excitatus, oculos aperuit, & ingemuit; Och pater, inquit, quid fecisti? Bene eram, vt quid me reuocasti? Vbi, inquit, eras? Respondit Conuersus; In paradiso posita erat mihi sedes aurea, secus pedes Dominæ nostræ, & cùm me reuocares, aduenit Dominus Isenbardus Sacrista noster trahensq; de sede eadem, dicebat, Non hic sedebis, inobedienter huc venisti, reuertere ad Abbatem tuum: sicque reuersus sum: attamen promissum est mihi, quod eadem sedes mihi foret reseruanda. Vidi eundem Isenbardum in multa gloria, in cuius pede apparuit macula, eò quod nobiscum existens, inuitus iret ad labores. APOLLONIVS: Cùm sancti sine macula sint ante thronum Dei, quid est quod in gloria ciuis cœlestis visa est macula? CAESARIVS: Propter viuentes visio eadem ostensa est, vt gloria monachis viuentibus esset ad consolationem, macula verò negligentibus ad correptionem: licet enim inuitus iret cum fratribus ad laborem manuum, valdè tamen solicitus fuerat circa diuinum seruitium, libenter maturè matutinas pulsabat, libenter altê cantabat. APOLLONIVS: Placet quod dicis. CAESARIVS: Testatus est idem Mengozus, se dominum Dauid ibidem vidisse, & alios multos, qui nuper fuerant defuncti. Dicebat etiam, infra triginta dies, aliquos de purgatorio esse liberandos. Cumque hæc & his similia recitare cœpisset, aduocati sunt nouicij, viri in seculo nominati, Gerardus videlicet, * Marcinãnus, & Carolus, postea Abbas, de cuius etiam manu comedit, in signum veræ resuscitationis. Posthæc, cùm postulasset licentiam redeundi, respõdit Abbas; Modò vadas in pace, & benedixit ei. Ad quod verbum mox oculos clausit, & expirauit. Hæc mihi recitata sunt à senioribus nostris, & à iã dicto * Marcinãno, qui

* al. Marcinano.

* al. Marcinano.

qui tanto miraculo interfuerat. Cumque præfatus Isenbardus esset mortuus, & Gerardus cognomẽto Vvashart ad pedes illius resideret, prophetico spiritu ad stabilitatem illum hortatus est dicens; O Gerarde, vide ne exeas ordinem, quia multa millia dæmonum ante portam expectant te. Quid postea de eodem Gerardo actum sit, nouimus omnes.

CAPVT XII.

SImile miraculum contigit in eadem domo. Cùm esset ibidem nouitius dominus Hermannus, nunc Abbas loci Sanctæ Mariæ, sicut ipse mihi retulit, venit ad eum die quadam aliquis de senioribus dicens; Venite mecum, ego faciam vos audire in continenti, quæ libenter audietis. Et duxit eum ad quendam Conuersum Gosbertum nomine, qui mortuus fuerat, & reuixit: quem Cõuersi, nescio quot, sunt secuti, sperantes quod noui aliquid essent audituri. Ad quos ille; Vos domini numeratis annos conuersionis vestræ, alius quadraginta, alius triginta, alius decem: Ego vobis dico quod beatus est monachus ille, sine Conuersus, qui bene vno anno, vel mense, vel quod minus est, vna hebdomada in ordine conuersatus est. Quibus cũ amplius dicere nollet, recesserunt. Ad quem nouitius: Rogo vos bone frater, vt aliquid mihi referatis, quod me ædificet. Respondit ille; Ego cùm nuper infirmarer, essemque in doloribus maximis, venit ad lectum meum nescio quid; cumq; primò tetigisset pedes meos, gradatim ascendẽdo, tetigit ventrem meum, ac deinde pectus, nec tamen ex eodem tactu aliquid mali sensi: tacto verò capite meo, mox expiraui, ductusque sum in locum amœnissimum, & nimis delitiosum, in quo diuersi generis arbores, ac multi coloris flores aspexi: occur-

occurerũt mihi & iuuenes speciosissimi, à quibus officiosissimè sum salutatus, & ante Dominam nostram cœli reginam, cum multa alacritate deductus. Posita est mihi sedes secus pedes eiº, in qua cũ sederem cum multa cordis mei iocunditate, iussus sum redire ad corpus, de quo cùm plurimum dolerem, consolati sunt me dicẽtes; Nec tristeris, quia sedes hæc tibi reseruabitur, & post dies paucos redibis ad eam. Quos cùm iturus interrogassem de statu futuro nostræ domus, responderunt: Bonus est status eius præsens sub Abbate hoc Gisilberto, neque plus ab eis obtinere potui. Circa tertiũ verò diem rursum expirauit idem Gosbertus. APOLLONIVS: Cùm in primo cap. huius distinct. dictum sit, nullam pœnam in hac vita morte esse amariorem, quid est quod neuter istorum Conuersorum de illius amaritudine conqueritur? CAESARIVS: Puto tantùm de illis esse intelligendũ, quorum anima separatur à corpore non reuersura nisi ad diem iudicij. Lege Lazarum, cum adolescẽte, ac puella suscitatos, Tibitham etiam & Maternum, nec non & multos alios, quorum nullus de hac re aliquid conqueritur. Quosdam etiam tam placidè videmus mori, ac si in somnum resoluantur: vnde de hac quæstione, nihil certè diffinire possum. APOLLONIVS: Si qua sunt residua de morientibus prædictæ domus, precor vt mihi edisseras: CAESARIVS: Hoc vt fiat, oportet me ordinem propositum mutare, ita vt interscalari modo loquar, nunc de bene viuentibus & bene morientibus, nunc de malè viuentibus & benè morientibus, nunc reuertendo ad illos. APOLLONIVS: Dummodo loquaris ædificatoria, de ordine modica mihi cura est. CAESARIVS: Audi ergo quanta sit misericordia Dei.

Ioan. 11.
Lucæ. 7. 8.
Actor. 9.

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT XIII.

Qui post malam vitam, bene sunt mortui.

ANte aliquot annos in Claustro sacerdos quidam defunctus est, cuius vita talis erat: In ordine quidem nigro factus fuerat monachus, & sacerdos, in quo tãtum profecerat, vt Prioratus officium adipisceretur. Sed faciente inuidia diaboli, & propria temeritate, desertis castitatis & innocentiæ castris, in regionẽ abijt dissimilitudinis pactum facere cum delectationibus suis: aliquando aũt pœnitentia ductus, Præmonstratensis ordinis regularis effectus est. Rursumque circũuentus à sathana, in pristinos cecidit errores. Dehinc ad nostrum ordinem se contulit: iterumque factus apostata, voluptatibus frena laxauit, non erubescens domesticam vxoris cohabitationem. Nouissimò diebus istis respectus à Deo patre luminum, seculum cum concupiscentijs deseruit, venienque Hemmenrode, ingressum petiuit, & obtinuit. Mox ad arma pœnitentiæ cõuolans, confessionibus, assiduis lachrymis, oratione, & ieiunijs, omnibus ferè pœnitendi formam præbuit, & decurso breui tempore, anno scilicet necdum dimidiato, tactus molestia carnis, lecto decubuit, nõ tamen indulgentiùs se agens, cœptũ viriliter consummabat agonem, modò psallens, modò orans, modò sanctam Dei genetricem salutans: habebat aũt quasdam ipsius salutationes, sine quib. nec vigilans, nec dormiens inueniri poterat, quas ante horã exitus sui, collo suo ipse circumligauerat, in testimoniũ fiduciæ, & bonæ spei suæ. Rogabat aũt Dominum Abbatem sibi assistere cum paucis fratribus, quibus sic prolocutus est; Reuerende pater & domini, peccator ego & pœnitẽs, testes vos mihi apud Deũ esse cupio sinceræ cõfessionis, & veræ pœnitentiæ: paratus enim sum ad omnem satisfactionem, quælibet torméta, quoslibet labores subire, si Deus mihi vitam donauerit. Nihil durum, nihil difficilè, nihil impossibile amanti, & verè pœnitenti. Sic verè compunctus, & verè pœnitens, benedictiones, & gratiarum actiones, adhuc in ore habens, Deo felicem reddidit spiritum. In cuius transitu cuidam monacho talis visio reuelata est. Videbat angelos in infirmatorio, epulis, & gaudijs multis lætantes, medium aũt sedere Salomonẽ, tam solennis lętitiæ participé, dicebatur. n. Salomon: superuenerũt & alij angeli, secum adducentes sex de fratribus nostris, qui eo tempore decesserant, sacerdotes in albis personis pretiosis, luce clariùs fulgentes, qui & dixerunt; His sex dimissa sunt peccata sua, & huic septimo, digito demonstrantes Salomonem. Interim pulsante tabula frater, qui hæc viderat, euigilauit, & veniens inuenit eum in eodem loco exhalantem spiritum, quo viderat eum participasse conuiuijs angelorum.

Iacob 1.

APOLLONIVS: Puto quod hi, qui sunt in fruitione Dei, sæpè pro suis fratribus adhuc peregrinantibus Deum exorent. CAESARIVS: Hoc sermo sequens declarat.

CAPVT XIV.

FVit in eodem Claustro monachus quidem Rudingerus nomine secundum nomen suum satis rudis in conuersatione: in ordine siquidem minùs ordinatè vixerat, &, quod deterius erat, sæpiùs apostatando, tempus pœnitentiæ sibi concessæ, inutiliter cõsumpserat. Circa finem vitę suę repersus, & receptus, hydropisi morbo percussus est: qui dum die quadã ante lectum suũ sederet, & orationes aliquas diceret, beatus Dauid, ante annos decem defunctus, in effigie nota ingrediens, cum duobus æquè defunctis, ait; Frater Rudingere quid

Universidad de Deusto Biblioteca

quid agis, aut quomodo habes? Respondit ille, sicut homo pauper, &, infirmus; Corpus per tumorem distenditur, & quod me plus angit, multorum criminum mole conscientia grauatur. Quem sanctus consolans dixit; Diu quidem malè vixisti, sed hodie scias te moriturum: ego Dominam nostram sanctam Dei genitricem, & reliquos sanctos pro te rogaui, & duros eos inueni, & nisi exauditus fuero, totum cœlestem exercitum pro te mouebo. sicque disparuit. Quod cùm ille domino Hermanno Abbati, quandoque sanctorum Apostolorum Decano, & tunc in Claustro Priori, recitasset, respondit ille; Bone domine Rudingere, vos estis vir prouectæ ætatis, & infirmus, & citò moriemini, nolite dicere nisi veritatem. bene nouerat vitam eius. respondit infirmus; Si non fuero mortuus hodie, hora nona diei, falsa sunt quæ dixi. Quid plura? Hora prædicta monachus moritur, & de visione Prior certificatur. APOLLONIVS: Puto dæmones multum fremere, cùm tales eis subtrahuntur. CAESARIVS: Sicut sancti angeli morientium animas deducere nituntur in cœlum; sic angeli mali, eas detrudere conantur in infernum.

CAPVT XV.

Dæmones morientibus insidiantur.

MOrtuus est in eadem domo quidam Conuersus, nomine Gerungus: iste ante cõuersionem, quorundam Episcoporum Treuerensium, successiuè tamen, fuerat dispensator & durus pauperum exactor. tandem quorundam admonitione persuasus, Hemmenrode venit, vbi in habitu seculari tempore aliquanto de proprio vixit. Tactus graui infirmitate, magis timore gehennæ, quàm amore patriæ, habitum induens, in infirmatorium Conuersorum deportatus est. Qui cùm ad

ad extrema deuenisset, & in lecto suo solus iaceret, aspiciente quodam Conuerso, nomine Ludone, vultures aduolantes, in pertica lecti eius resederunt, cum quibus homines tetri, magni, atque deformes intrantes, eundem circumsteterunt. Iam dictus Ludo, de visione primùm admirans, & post paululum, quod dæmones essent, qui morientium animas quasi escam præstolentur recogitans, alta voce clamauit; Quid statis ibi vos domini? Egredimini. Qui cùm minimè obedirent, secundò clamauit; Ego vobis præcipio in nomine Domini vt exeatis. Ad quod verbum, mox viri egredientes, & vultures auolantes, nusquam comparuerunt. Iacebat autem idem Ludo infirmus in lecto opposito, vir senex & religiosus, corpore virgo. Visio hæc, sicut & subsequentes, relata est mihi à domino Hermanno Abbate, tunc ibidem Priore. Quantum verò agonizantibus fratrum præsentium oratio prosit, eadem visione declarabitur.

CAPVT XVI.

CIrca idem tempus, alius quidam Conuersus illic moriebatur, homo quidem ponderosus, & tardus, & ideò cæteris despectus: qui cùm positus fuisset super mattam, finisque eius adesset, duo corui aduolantes inopinatè, girauerunt circa illum, tandem in trabe, quæ capiti eius imminebat residentes: quos vt vidit frater Henricus, cuius sæpè in superioribus mentio facta est, dæmones illos esse suspicans, quidnam facturi essent expectauit, Interim pulsata est tabula, & accurrit conuentus, cumque crux introferretur, columba niuea illam præcedens, ostium infirmatorij prior intrauit, & super iam dictam trabem volitans, inter eosdem coruos media resedit: cùmque cum illis decertaret,

ret, hinc inde alis eos verberans, tandem adepta victoria, & de domo eliminatis, ipsa in loco coruorum tamdiu erat residens, donec Conuersus expirasset, & donec lotus, & feretro impositus, eodem loco restitutus fuisset: quem cùm in oratoriũ fratres deportarent, columba eadem auolans, crucẽ præcedebat, sicq; nusquam comparuit. APOLLONIVS: Quid videtur tibi fuisse columba illa? CAESARIVS: Angelica aliqua persona, quæ fratrum orationib. adiuta, pro anima morientis cum dæmonibus dimicauit, atque triumphauit. Quantus illic sit dæmonum cõcursus, vbi hi moriuntur qui eis seruierunt, sermo sequens ostendit.

CAPVT XVII.

CVno magnus dominus castri de Malburg, vir potens & diues in seculo, tam valens in militia, ne dicam in malitia, quàm vigens in prudentia seculari, ante finem vitæ in sæpe fato Claustro habitum suscepit regularem: & quia temporis longinquitate non poterat, morum probitate dies suos dimidiare satagebat. vbi adeò profecit, quod cõsummatus in breui, expleuit tẽpora multa: placita enim erat Deo anima illius. Vnde & qui vocauerat eum ad suum seruitiũ, non solùm præstitit ei veniam delictorum, sed & in tali ordine, præcognitum ei fecit finem suum. Habebat conuentus dextrarium pulcherrimum, quem equaricię suo propter fœtum nobilem deputauerat: quem cùm vir nobilis Henricus de Isenburg concupiscereret, neque precio habere posset, hoc actum est, vt absconse subtractus ei trãsmitteretur: quem cùm minimè redderet, missus est prędictus Cuno, qui eidẽ Henrico fuerat in seculo amicissimus: & cùm nihil proficeret, videns hominem obstinatum irruente in se, vt post patuit, spiritu Dei, ad diuinum eum iudicium

Sapient. 4.

dicium appellauit, diem ei præfigens. Quid plura? Henricus appellationem contempsit, & Cuno domum rediens, omnibus modis quibus potuit, ad eundem diem se præparauit: dicebat igitur Abbati; Domine sexta feria crucem accepi, sexta feria transfretaui, feria sexta in capella mea me vobis tradidi, sexta feria habitũ indui regularem, Deus sexta feria laborum meorum mihi restituet mercedem. Expletis verò iam tribus annis in sancta conuersatione, febre correptus est; visitatus ab amicis, se dixit tertia die moriturum. Illi autem recedere volebãt, eò quod leuis esset eius infirmitas, & nulla adhuc signa mortis apparerent, sed ipse rogabat, ne solennitati suæ deessent. Et factum est vt moreretur die tertio, hoc est, in vigilia Sancti Iacobi, sicut ipse prædixerat. Eo sanè tempore erat mulier obsessa in villa Meyne, quæ hora mortis eiusdem Cunonis liberata est, & venit ad sacerdotem suum dicens dæmonem exisse: post paululum verò rediens diabolus grauius vexare miseram cœpit: adducta est igitur ad sacerdotem, qui quasi concionando cum diabolo, cœpit interrogare eum & dicere; Miser tu exieras? Ita est, inquit. Et vbi, ait, fuisti infelix? Ad quod diabolus? Cuno ibi super mattam iacebat, & debebat mori, ad cuius transitũ festinantes, penè quindecim milia sociorum meorum cum maximo tripudio hic transibant; & videbar mihi nunquam gaudium aliquod habiturus, nisi iuissem cum eis. Sciens autem vas istud mihi traditum, me amittere non posse, reliqui illud ad tempus, & iui cum eis. Dixitque sacerdos; Quid actum est ibi? Respondit diabolus: Superuenerunt maledicti tonsurati illi, & circumstantes cadauer, ita validè populare cœperunt, quod nullus nostrum propius accedere ausus fuit. Dixit iterum sacerdos; Et vbi deuenit anima? Respondit diabolus;

bolus; Ad pedes altissimi: & videte boni homines, quanta nobis iniuria sit illata; homo iste nobis seruierat plus quàm quadraginta annis, ad omnem voluntatem nostram nocte ac die paratissimus, & modò tribus annis tantùm alteri seruiuit domino, & ille nobis abstulit eum. Cùm igitur nobis anima auferretur, furore commoti, in inuicem tota debacchatione grassati sumus, & ego modò non habeo vbi me vindicem, nisi in hoc vasculo, quod mihi traditum est. Transactis autem paucis diebus, postquam res præmissa comperta est in Claustro, Hervvicus quidã monachus, per partes illas transitum habebat, qui sciens quia diabolus mendax est & pater mendacij, experiri voluit huius rei veritatem. Diuertens igitur ad obsessam mulierem indicium quo credi posset quæsiuit à dæmone. At ille primò noluit confiteri, sed à monacho iuramentis constrictus, dixit; Quia Abbatulus tuus manũ morientis in manu sua tenuit: cuius rei monachus ille conscius; alijs eius verbis credi posse consensit. Henricus verò de Isenburch, audiens eũ præfixo die defunctum, pelli suæ valdè pertimuit, & cum multa festinatione ad Claustrum veniens, dextrarium superbè retentum, nudis pedibus, manu propria, ad defuncti sepulchrum adduxit, pœnitentiam agens apud illum. Hæc mihi de obitu monachorũ Claustrẽsium comperta sunt. APOLLONIVS: Si dæmones electis in morte sic sunt importuni, quid fit de reprobis, quorum peccata, sanctorum Angelorum impediunt præsidia? CAESARIVS: De hoc satis dicturus sum in sequentibus. Mors Cunonis, aliorum militum obitus ad memoriam mihi reuocat, qui malè quidem vixerunt, sed felici fine decesserunt.

Ioan 8.

CAP-

CAPVT XVIII.

ERat quidam miles in Saxonia, Ludolphus nomine, sed tyrannus actione: hic cùm die quadam vestibus nouis, atque scarlatis indutus in via equitaret, rusticum cum curru obuium habuit; cuius cùm vestimenta ex rotarum impulsu luto aspergerentur, ipse, vtpote miles superbus, commotus valdè, extracto gladio homini pedem amputauit; qui postea, Deo miserante, de peccatis suis dolens, in domo ordinis nostri, quæ Porta vocatur, factus est monachus. Non multo post, in grauem infirmitatem incidens, cùm quotidie à se mala cõmissa deplangeret, & maximè abscisionem iam dicti pedis, infirmario se consolanti respondit; Non potero consolari, nisi videro signa Iob in corpore meo. Et ecce, post dies paucos cicatricem, instar fili coccinei, contemplatus est circa talum suum, in eodem pede, & in eodem loco, vbi rustico pedem truncauerat, qui paulatim cœpit computrescere, ita vt vermes de eo scaturirent. Tunc repletus gaudio ait; Modò de venia spero, quia video signa Iob in corpore meo: sicque in multa cordis contritione, atque gratiarum actione, inualescente morbo, spiritum reddidit. Hæc mihi relata sunt ab Abbate Liuoniæ, qui filius est domus supradictæ.

CAPVT XIX.

ALterius cuiusdam militis mortem valdè pretiosam, retulit mihi Adam monachus de Lucka, cuius in superioribus memini. Erat, inquit, in Saxonia miles quidam Alardus nomine, qui vir fuerat tantæ probitatis, vt in primo torneamento, in quo miles factus est, manu propria quatuordecim dextrarios acquireret; qui, sicut vir

prudens,

prudens, eundem honorem temporalem, non suis viribus, sed Deo ascribens, omnia restituit, & sodalibus cum seculo valedicens, in Lucka monasterio, nostræ religionis habitum suscepit. Et quia electos suos probat Dominus, tanta illum infirmitate flagellauit, vt vermes de eius corpore indesinenter scutarirent; quorum fœtorem simul & horrorem, cùm ministri sustinere non possent, ait Abbas prædicto Adæ; Quid faciemus frater cum homine isto? Respondit ille; Dentur mihi quatuor linteamina, & ego pro Christi nomine curã illius suscipiam. Quod cùm factum fuisset, assidua pannorum mutatione, fœtorem temperauit, tam sibi quàm ægroto. Cumque dies adesset remunerationis tantæ patientiæ, ait Adæ; Sternite mihi mattam, & pulsate tabulam, quia Dominus vocat me: & fecit sic. Veniente conuentu, post dictam letaniam, cùm omnes penè ad lachrymas verbis valdè compunctiuis mouisset, subiũxit; Modò ite domini mei dilectissimi, & dicite missas vestras, quia Saluator mundi, & gloriosa eius genitrix, cum angelis, & multitudine sanctorum illuc venturi sunt, post reuertimini cum eis, quia animam meã suscipient. Interim dum Missas dicerent, sicut mihi retulit sæpè dictus Adam, Alardus spiritu prophetico, omnia quæ in oratorio agebantur, indicauit dicens; Tales Missæ, à talibus sacerdotibus, ad talia altaria celebrantur. Et miratus est valdè de homine laico. Reuertente conuentu, ille vultu iucundo, sic ait; Ecce Christus cum matre, & sanctis suis præsens est, habentes manus sub mento meo, & iam suscipient animam meam, nec mihi credatis, si in instãti mortuus non fuero. Ad quod verbum mox expirauit, morte verba confirmans. De cuius corpore statim tantus odor exiuit, vt omnes illius suauitate reficerentur circumstantes. APOL. Valde me recreat horum oratio. CAESARIVS: Ex quo sermo est de militibus, referam vnde amplius ædificeris, iterumque reuertar ad personas religiosas.

CAPVT XX.

MIles quidam sceleratissimus, ab inimicis suis captus est, & occisus, qui cùm morerẽtur, hæc ei verba vltima fuerunt; Domine, miserere mei. In cuius morte obsessus liberatus est, quem cum post dies paucos atrocius vexaret, sicut supra dictum est de Cunone, capitulo 17. interrogatus de hoc respondit; Multi cõgregati fuimus in morte militis illius, sed quia nihil ibi obtinuimus, amplius in hoc modico vasculo me vindico. Requisitus de causa subiecit; Tria tantum heu verba moriens protulit, propter quæ potestatem nostram euasit. Ecce huic prædoni, ob inuocationem diuini nominis, sicut latroni in cruce, tormẽtum versum est in martyrium. APOLLONIVS: In hoc exemplo satis considero, quod pœnitentia vera nunquam sit sera. CAESARIVS: Duo subiungã exempla, per quæ cognosces, quod extrema contritio sit ex multa misericordia Dei.

CAPVT XXI.

IN Frisia nuper homo quidam diues infirmatus est; habebat autem filium monachum & sacerdotem in Clarocãpo, domo ordinis nostri, pro quo cũ misisset, quasi pro salute animæ suæ, nescio quo Dei iudicio, sine confessione, sine viatico, & sine inunctione mortuus est.

CAPVT XXII.

CIRCA idem tempus in eadem prouincia alius quidã Friso, hostibus suis occurrens, vulneratus ad mortẽ, & occisi sunt duo filij eius, cumq;

cumque patrem occisores æstimarent mortuum, abierunt. Comperto tanto scelere, magister grangiæ in Bethvverde, adducto plaustro, occisos super posuit, & cùm patrem adhuc spirare vidisset, clamauit; Viuitis adhuc domine? cumque ille minimè responderet, timens hostes esse, subiecit Conuersus; Ego sum, ne timeatis. Tunc ille; Ego enim adhuc viuo. Mox leuatus in vehiculo, deportatus est ad grangiam, peccata sua confessus est, communicauit, inunctus est, sicque spiritum reddidit. Ecce prior cùm tempus haberet pœnitendi, & filius eũ de salute quotidiè moneret, omnia neglexit, moriens impœnitens: alter verò semimortuus, oleo misericordiæ, & vino pœnitentiæ, veri Samaritani confotus, de stabulo transiuit ad palatium. Et est in his impletum quod scriptura dicit: Cui vult miseretur, gratiam infundendo, & quem vult indurat, gratiam non apponendo.

CAPVT XXIII.

IN diœcesi Traiectensi, miles quidam extitit nomine VVigerus in actibus militiæ nominatissimus, in prima expeditione, Dei munere cõpunctus, cruce signatus mare transiuit, tam fortiter, & tam instãter Saracenos impugnans, vt tum Regi Ierosolymitano, quàm cæteris Christianis dilectus esset & acceptus, & inimicis Christi nimis odiosus. Qui cùm per annum integrum Saluatori ibidem strenuè, vt dictum est, militasset, & repatriare cogitasset, die quadam in oculis eius in conflictu seruus eius occisus est, cuius animam in specie columbæ cœlos videns penetrare, compũctus de visione, dicebat intra se; Quid agere proponis ô miser? si reuersus fueris, vitia repetes dimissa, & erunt nouissima tua peiora prioribus. Ex tũc fortius

fortius agens solito, die quadam conflictum intrauit, & occubuit, cuius caput Saraceni præcidẽtes, cum multa gloria circumtulerunt, Christiani verò, corpus rapientes atque sepelientes, Ecclesiam super ipsum fabricauerunt.

CAPVT XXIIII.

CIrca illa tempora Theodericus de Rulant, vir potens & diues, deuotionis gratia profectus est Ierosolymam. Prostratus ante sepulchrum Dominicum huiusmodi fudit orationem; Domine Iesu Christe, qui omnia nosti, si non habeo me emendare à vitijs pristinis, nõ me permittas redire in terram meam, sed vt hic mihi mori liceat concede. Audiuit hãc orationem alius miles, compater eius, & ait; Orastis ne bene hodie compater? Etiam, inquit: dicente illo; Et cui vultis dimittere vxorem & liberos vestros? Respõdit Theodericus; Melius est vt illos deseram, quàm animam meam perdam. Quid plura? Exaudita est oratio religiosi militis, & post dies paucos defunctus, coniunctus est ciuibus Ierusalem cœlestis. Quàm propè sit Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, mors alterius cuiusdam demonstrat. *Psal. 144.*

CAPVT XXV.

IN Ostburg monasterio Traiectensis diœcesis, monachus quidam fuit tenax iustitiæ, zelum habens disciplinæ: cumque mortuo illius temporis Abbate, is, qui hoc anno defunctus est, ei per electionem substitueretur, ille sciens eum virum secularem, atq; incontinentem, ingemuit dicens; Heu modò disciplina domus huius peribit: est enim de ordine nigro monasterium, aliquando diues satis, & ait; Domine Iesu Christe, peto ne finas me diutius viuere, ne videam desolationem huius

monasterij. Cumque induci non posset vt eundem eligeret, siue professionem faceret, ait ad eum mēte tranquilla; Deus nouit, quia diligam vos, sed scio quod religio domus huius destruetur per vos. Manè, dicta Missa, ab eodem Abbate se inungi petiuit, & vix obtinuit, contradicente Abbate, eò quod suauissimus videretur, respondit; Hodie oportet me morì. Deinde strata matta, se in ea reposuit, & per tabulam cōuentum aduocari fecit. Dictis orationibus, cū minimè moreretur, surrexit, stolamque in qua Missas dicere consueuerat collo imponens, coram altari, more agonizantium se reposuit, hanc orationem fundens; Domina sancta virgo Maria, si vnquam per hāc stolam Missam celebraui tibi placentem, suscipe animam meam in hac hora. Exauditus est iustus, & expirauit, & secūdum prophetiam eius, domus illa, tam in spiritualibus, quàm in corporalibus, valdè defecit. Hæc mihi relata sunt à quodam Abbate ordinis nostri, necnon ab Euerhardo monacho & sacerdote eiusdem cœnobij. APOLLONIVS: Non miror si Deus quandoq; iustos tollit, ne peccata dimissa repetāt, vel ne mala imminentia videant, vt Iosiam, sed hoc me terret, quod iusti aliquando subitò rapiuntur; vel, quod horribilius est, igne, aquis, vel præcipitio pereunt. CAESARIVS: Iusti quacunque morte præoccupati fuerint, in refrigerio erunt: multis enim cāusis omissis, quæ assignari possent, quare id Dominus permittat, vna est, vt virtutes eorum occultæ patefiant.

4. Reg. 25.

Sap. 4.

CAPVT XXVI.

Iustos interdum violenta morte inire.

ANTE hoc quinquennium, qui nunc est dux Baioariæ, vnum ex Abbatibus ordinis nostri ad se vocauit, nescio quid cum eo tractaturus: nocte præparatus est ei lectus in horreo, qui cùm

cum dicto completorio isset cubitum, lumē, quod à Conuerso posti fuerat infixum, in stramen cecidit, & in flammas profecit: à quibus Abbas excitatus, cùm ostium exire non posset, in modum crucis se in terram prosternens, exitum suum Domino commendauit. Comperto incendio, dux cum militibus, & omnibus qui aderant accurrit, reiectisq; lignis ac stipulis, Abbatem semiustum, atque extinctum extraxerunt: & ecce circa pectus eius apparuit capsella cum reliquijs, ventrem verò eius catena ferrea stringebat; quibus visis, dux cōpunctus dicebat; Videte quod sancto isti viro, vestimentorum asperitas sufficere non potuit, nisi etiam catenam superadderet. Sepultusq; est Ratisbonæ in Ecclesia maiori. Post dies paucos, cùm duo milites in eodem loco Missam audirēt, vnus sepulcrum eius ascendit. Vt autem Deus ostenderet, qualis esset meriti illic tumulatus, miles tam vehementer in pedibus ardere cœpit, vt desiliens clamaret: quo comperto, alter respondit; Sepulchrum est illius combusti Abbatis. Ex illa die, habitus est in eadem Ecclesia in magna veneratione.

CAPVT XXVII.

Mors bona eorum, quē aliquando malè vixerant.

IN ecclesia Sancti Maximini in Colonia temporibus meis, quidam fuit inclusus cœnobij eiusdem initiator: est enim illic congregatio sanctimonialium. Hic ante conuersionem concubinā habuerat, & quia simul peccauerant, similem susceperunt pœnitentiam adeò duram, vt vterq; circulo ferreo ventrem suū ligaret. Ipse verò in prædicto loco se includens, Missas suas celebrando, Domino vacabat, cui illa foris in habitu religioso ministrabat necessaria. Aduenente tempore vocationis eius, dominum Enfridum Decanum Sancti Andreæ, cuius vitam in distinctione sexta ca. 5. descripsi,

descripsi, vocauit, confessionem fecit, vitam reuelauit: cui ille in virtute sanctæ obedientiæ præcepit, vt circulum sineret deponi, quod & fecit, sicq; eo defuncto, mulier post paucos dies cœpit infirmari: & quia timuit quod sacerdoti acciderat, secretum suum prodere noluit, cuius virtutem Deus non sinebat esse occultam. In hora verò qua expirauit, vinculum eius dirupit; cumque fines ligaturæ illius ferreæ, tunicam in qua moriebatur, ex vtroque latere suspenderent, multæ matronæ, fœminæ sanctæ exitum prestolantes, postquam rem cognouerunt, de tanto miraculo Deum glorificauerunt. Hæc mihi relata sunt à filia sororis prædicti sacerdotis. Vincula ista reuocant mihi ad memoriam, mortem cuiusdam sanctimonialis pretiosam.

CAPVT XXVIII.

IN Brabantia apud Niuelliam monasteriũ Sanctæ Gertrudis virginis, puella quædam nobilis extitit, Clementia nomine: hæc cùm suadente diabolo lapsum carnis incurrisset, tunicam innocentiæ quam polluerat, quotidianis lachrymis mũdare satagebat: sic dedita erat operibus misericordiæ, vt omnes suos redditus pauperibus erogãdo, nihil penè sibi retineret. Tempore quodam circa hyemis principium, cùm fere nuda esset, nimisque egeret, sedens iuxta altare Sanctæ Gertrudis, sic orauit; O dulcissima domina, quomodo tibi seruiam in hyeme hac, cùm nihil habeam? Eadem hora superueniens quidam peregrinus, cùm ad memoriam iam dictæ virginis orasset, quinque solidos in sinum Clementiæ iactauit, & abijt. Hoc quasi pro miraculo ipsa VVigero monacho Vilariensi retulit, & ipse mihi. Cùm autem moreretur, inuenti sunt circa corpus eius nouem circuli ferrei.

APOL-

APOLLONIVS: Mirabilia operatur Deus in sexu fragili. CAESARIVS: Licèt propositi mei sit in hac distinctione tantum tractare de morientibus, referam tibi tamen, per occasionẽ huius sanctimonialis, fortem pœnitentiam alterius cuiusdam mulieris.

CAPVT XXIX.

NON est diu quod virgo quædam Leodiensis, Osilia nomine, ciui cuidam nupserat Metensi, quo mortuo, quia pulchra erat valdè, canonicus quidam Leodiensis illam duxit, in tantum eam amans, vt per clausuram ab humanis aspectibus eam remoueret. Post cuius mortem, illa de peccatis suis dolens, iuxta ecclesiam Sancti Seuerini se reclusit, vbi ex nimia cõtritione, sæpè lachrymas sanguineas profudit: insuper & vinculis ferreis se ligari fecit, cum quibus cùm stetisset in oratione, omnia dirupta sunt. Timens verò eadẽ vincula Deo non esse accepta, secundò ligata est: quod cùm confessa fuisset Abbati Sancti Lamberti, dolentem consolans ait; Qui dixit Mariæ Magdalenæ *Lucæ 7.* Dimissa sunt tibi peccata tua, ipse vincula dirupit tua, sicque consolata est. APOLLONIVS: Si qua residua sunt de morte iustorum, vt explicentur oro. CAESARIVS: Quædam tibi adhuc de his referam, in quibus consoleris simul & terrearis.

CAPVT XXX.

ANte hoc quadriennium Gerbrandus Abbas Claricampi in Frisia, cum Abbate nostro de capitulo rediens generali, in via infirmari cœpit, ita vt cum maximo labore Foniacum perueniret: ibique diem clausit extremum. In ipsa die mortis eius, sanctimonialis quædam de Sion, quæ

domus est ordinis nostri pertinens ad Clarum campum, facta in mentis excessu, vidit animam eius ab angelis in cœlum deferri: expressit etiam domum & locum sepulturæ eius, necnon & habitum, in quo sepultus est. Vidit insuper successori eius Iuoni, duos dari baculos, scilicet virgas pastorales, ex quibus primam abiecit, alteram retinuit. Idem Iuo Prior fuerat in Clarocampo, de quo assumptus est in Abbatem Sancti Bernardi: deinde post breue tempus mortuo prædicto Gerbrando, qui fuerat grandæuus, & iustus, & disciplinatus, idem Iuo, Abbate meo præsente, nec non & me, factus est Abbas Claricampi; sicq; secundum quod de illo præostensum fuit, primum baculum abiecit, alterum adhuc retinens.

CAPVT XXXI.

IN monte Sanctæ VValburgis, sanctimonialis quædam fuit * Vdevvolt nomine, fœmina bona, & satis feruens in religione; hæc cum iam agonizaret, sicut audiui à sororibus, quæ præsentes erant, manum extendit contra ostium dicens; Ecce nuncius Dei foris stat expectans animam meam, sicque post modicum reddidit spiritum, ab eodem angelo deducenda in paradisum. Hoc etiam scias, quod sæpe à mortuis viui vocantur. Verba causa.

* al. Vdel-lalt.

CAPVT XXXII.

ANte paucos annos Heidenricus sacerdos, & cellerarius noster maior, in somnis apparens successori suo Conrado, tunicam propriam ei tradidit induendam; quàm cùm ille induisset, infirmitate præuentus, post dies paucos defunctus est.

Viui à mortuis vocantur.

CAPVT XXXIII.

NOndum annus elapsus est, quod Lambertus monachus noster, nocte dominica in choro obdormiens, Richvvinum nostrum Cellerarium ante aliquot annos defunctum, chorum intrantem conspexit: & cum annueret ei manu, dicens; Frater Lamberte, veni simul ibimus, ad Rhenum. Ille sciens eum mortuum, renuit & ait; Credite mihi, non ibo vobiscum. A quo cùm repulsam pateretur, ad oppositum chorum se vertens, quendam senem monachum Conradum nomine, qui circa quinquaginta annos militauerat in ordine, simili signo, ac verbo vocauit: quem ille mox secutus est, caputio capiti imposito. Eadem die post cœnam, cùm Prior quosdam ex nobis vocasset, & idem Conradus præsens esset, ait ei, me audiente, iam dictus Lambertus; Verè domine Conrade, vos citò moriemini: in hac enim cuculla vidi vos hac nocte Richvvinum sequentem, referens ei visionem per ordinem: cui ille respondit; Non curo, modò vellem esse mortuus. Sequēti die, si bene memini, infirmari cœpit, & post breue tempus defunctus, in eadem cuculla sepultus est.

CAPVT XXXIIII.

FOemina quædam religiosa de Armenia, cum filio & filia veniens Coloniam, in ecclesia maiori ieiunijs, & orationibus Deo seruiebant: vocabatur autem filius Gregorius homo simplex & sacerdos; nomen autem sororis Maria. Anno autem præterito, matre defuncta, infra tricenarium etiam Gregorius ad extrema deductus est, cumque soror coram illo sedens lachrymaretur valdè, ille consolans eam ait; Noli flere, quia mater nostra vocat me. Et illa; Vbi est? Respondit; Ecce coram me stat, sicque anima illa sancta, carne soluta est: corpus verò eius, cum multo honore, inter canonicos eiusdem ecclesiæ sepultū est. APOLLONIVS: Valdè mihi videntur esse profecti, quorum animæ carne

carne resolutæ, mox ascendunt ad requiem. CAESARIVS: Verum dicis, neque hoc te lateat, quod valdè parua sunt iudicio hominum, quę perfectos, maximè claustrales, ab introitu gloriæ quandoque retardant.

CAPVT XXXV.

Peccata minuta religiosos sæpè impedire, ne recta hinc in cœlum euolent.

** al. Tinna.*

CONuersus quidam de *Cynna, quæ domus est ordinis nostri, cùm die quadã missus ab Abbate suo, nauigio transiret per fluuiũ Albim, qui fluit per Saxoniam, nauta ab eo naulum requisiuit; qui cùm diceret, nihil se ad manum habere de pecunia, respondit ille; Date mihi pro pignore cingulum, vel cultellum vestrum. Non possum, inquit, carere his, & adiecit; Ego promitto vobis cum ordine meo, quod dimidum denarium vobis remittam, & dimisit eum nauta. Recedens ab eo Conuersus, eò quod res modica videretur, promissum paruipendit, nihil remittens. Non multò post infirmatus, cùm omnibus qui aderant mortuus videretur, anima egressa, cùm ad requiem ascendere vellet, prædictum dimidium denarium, cuius in confessione nõ meminit, ante oculos habebat, qui adeò creuit, vt mundo maior videretur: cumque sursum nitenti semper obsisteret, neque aliud esse, quod impediret, ad angelorum petitionem permissa est redire ad corpus. Mirantibus cunctis, visionem retulit, & missus est ab Abbate nautæ integer denarius, sub omni celeritate; quem, vt ille recepit, eadem hora secundum consideratione Conuersus expirauit. Hęc mihi narrauit Abbas Liuoniæ, asserens sibi recitata à prędicto Abbate. Vt de religiosi, quanto secularibus maius præmium sperant, tanto esse debent soliciti, ne morientes aliquid pulueris secum trahant.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

ANte annos paucos in regno Frãcorum, quadam domo ordinis Cistercienſis, monachus quidam bonæ vitæ laborabat in acutis: qui dum duplici calore torqueretur, infirmitatis scilicet & aëris, rogauit infirmarium, quatenus sibi liceret cucullam exuere, & induere scapulare: quod ille concessit, compassus infirmo. Qui cùm abiret, reuersus, infirmum repperit expirasse: non modicum ex hoc turbatus, domum clausit, scapulare extraxit, reinduit ei cucullam, sicque in matta illum ponens, tabulam pulsauit. Deportatus in oratoriũ, proxima nocte, cùm monachi secundum consuetudinem circa corpus Psalmos legerent, ille in feretro se erigens, & circumspiciens, monachos aduocauit: qui cùm territi fugerent omnes in dormitorium, excepto Suppriore, qui constantior erat, ait illi; Nolite timere, & ego sum ille frater vester, qui mortuus fui, & reuixi, vocate mihi Abbatem. Interim signantibus monachis, qui fugerant, quia surrexisset mortuus, factus est in dormitorio magnus motus, atque concursus. Accedente Abbate ad feretrum, ait ille; Domine cõfiteor vobis, quod sic, atque sic mortuus sum; ductus verò ab angelis ad paradisum, cùm putarem me liberè posse intrare, accessit ad ostium Sãctus Benedictus, & ait; Quis enim es tu? Respondente me; Ego sum monachus ordinis Cistercienſis: subiecit sanctus; Nequaquã, si monachus es, vbi est habitus tuus? Iste locus est quietis, & tu vis intrare cum habitu laboris? Qui cùm circumgyrassem muros eiusdem felicissimæ mansionis, & per fenestras seniores quosdam magnæ reuerentiæ illic conspexissem, vni illorũ, qui cæteris benignior videbatur, vt pro me intercederet, supplicaui; cuius interuentu, permissus sum

ad

ad corpus redire, vt sic habitu à te recepto, merear ad prædictam beatitudinem introire. Quo audito Abbas cucullam, in qua iacebat, ei extraxit, cucullam, quam in infirmitate exuerat, ei reinduens: sicque accepta benedictione, rursum expirauit. Vocatur autem domus, in qua contigerunt, * Szere: Abbas de Relashusen, per nos transiens, nobis retulit hoc miraculum, dicens se audiuisse à Priore & conuentu iam dictæ domus.

* al. Szete.

CAPVT XXXVII.

SImile ex parte contigit hoc anno apud Strasburg. Cùm quidam ciuis ibi defunctus fuisset, & in feretro positus, anima ad corpus reuersa est; & cùm clamaret, Quomodo veni huc? quomodo veni huc? Vocata est vxor eius: ad quam ille; Dei misericordia reductus sum, & hoc tibi dico, nisi omnia quæ habemus relinquamus, non poterimus saluari. Sicque omnibus, prout poterat, salubriter dispositis, infra triduum mortuus est: fuerat eorum substantia de malo acquisita. APOLLONIVS: Quid est quod maximè morientibus possit subuenire? CAESARIVS: Confessio pura, atque contritio. Ecce exemplum.

CAPVT XXXVIII.

MAgister Thomas theologus, cùm in præsenti expeditione in castro peregrinorum in camera quadam lecto decumbens esset moriturus, vidit diabolum in angulo stantem: quem cùm cognouisset, voce Martini allocutus est eum dicens; Quid hic astas cruenta bestia? Dic mihi, quid est quod maximè vobis noceat? Cumque ille nihil responderet, scholasticus subiunxit; Adiuro te per Deum viuum, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & seculum per ignem, vt dicas mihi huius in-

Sulpit. in epistola ad Bassulam.

ius interrogationis veritatem. Ad quod dæmon respondit; Nihil est in ecclesia, quod tantum nobis noceat, quod sic virtutes nostras eneruet, quàm frequens confessio: quando enim homo in peccatis est, peccatis dico mortalibus, omnia eius membra ligata sunt, & non potest se mouere: cùm verò peccata eadem confitetur, statim liber est, & mobilis ad omne bonum. Quo audito doctor ille bonus, & crucis Christi fidelis prædicator, lætus expirauit. APOLLONIVS: De confessione non dubito quin valde sit bona, secundum quod tertiæ distinctionis plurima probant exempla. CAESARIVS: De morte iustorum hæc dicta sufficiant, de quibus etiam in superioribus multa exempla redundant, quæ recapitulare supersedeo, quia ad mortes malorum festino. Quàm miserè, quàm horribiliter moriantur vsurarij, auari, pecuniosi, dolosi, superbi, prædones, homicidæ, contentiosi, luxuriosi, vicijsque similibus subiecti, quæ Apostolus appellat opera carnis, quibusdam tibi pandam exemplis. Gal. 5.

CAPVT XXXIX.

De morte malorum, & primò vsurariorum.

IN ciuitate Metensi, sicut mihi narrauit Abbas quidam ordinis nostri, vsurarius quidã defunctus est, auarus nimis: qui cùm moriturus esset, supplicauit vxori suæ, vt crumenam denarijs refertam iuxta se poneret in sepulchrum. Quod cùm illa fecisset, quanto secretius potuisset, tamen latere non potuit. Accedentes aliqui, sepulchrum latenter aperuerunt, & ecce duos ibi conspicantur bufones, vnum ex ore crumenæ, alterum in pectore: ille denarios ore de crumena extrahebat, iste suscipiens extractos, cordi eius immittebat, ac si diceret; Nos pecunia satiabimus cor tuũ insatiabile. Quib⁹ visis, illi timore perculsit, terrã reijciẽtes fugerũt. Quid putas animã huius pati in inferno à ver-

vermibus immortalibus, si tam horrenda in eius corpore demonstrata sunt in sepulchro? Non minùs horrendum est quod sequitur.

CAPVT XL.

IN villa Frechene, quæ ad vnum miliare distat à Colonia, matrona quædam morabatur Iutta nomine, moribus quidem satis composita, sed vsuraria: de quo vitio cum sæpiùs argueretur à Suppriore nostro Gerlaco, qui tunc temporis ecclesiam iam dictæ villæ regebat, emendationé quidem promisit, sed non seruauit. Tandem in peccatis suis mortua est: & propter tumorem corporis, ne fœteret, posita est super terram. Et ecce, diabolus manus eius & brachia mouit, ad instar numerantis pecuniam: missum est pro Gerlaco, vt diabolum à vexatione corporis exorcismis cohiberet: quod cùm fecisset, corpus quieuit; & cùm adiurare cessaret, illud non cessauit, nunc crura, nunc manus mouendo. Tunc tollens aristas, aquæ benedictæ intinxit, & ori eius immisit, quas illa auidissimè masticare cœpit: tandem tollens stolam, cum exorcismo collo eius circumligauit, sicque dęmones ab eius corpore compescuit. Erat ibi tempore eodem rusticus quidam, qui dicebat sacerdoti; Sciatis domine, quod diabolus in hac nocte stupenda operabitur in hoc corpore. Referam enim vobis simile, quod temporibus contigit pueritiæ meæ.

CAPVT XLI.

FVerat in Bacheim villa proxima, famosa quædam vsuraria: hæc cùm moritura esset, campũ totum coruis, ac cornicibus vidit repletum, & clamauit fortiter; Ecce modò appropinquant foris ad me. Et adiecit; ô wi, ô wi, modò sunt in tecto, modò in domo, modò pectus meum laniant, modò animam meam extrahunt; sicque cum vlulatu efflauit spiritum, à dæmonibus ad inferos deducendum: qui eadem nocte corpus de feretro, multis, qui aderant, videntibus tollentes, vsque ad tectum leuauerunt, & cum trabi impingerent, iuxta limen ostij illud cadere sinentes, confregerunt. Extincta sunt luminaria, fugerunt homines, manè in iam dicto loco corpus reperientes, quod bestiali sepulturæ tradiderunt.

CAPVT XLII.

IN diœcesi Coloniensi ante paucos annos, miles quidam defunctus est, nomine Theodericus, vsurarius admodum nominatus: hic tandem infirmatus, materia ascendente in cerebrum, factus est phreneticus: qui cum quotidie dentes & os moueret, dixerunt ei ministri sui; Quid comeditis domine? Respondit ille; Denarios ego masticò. Visum ei fuerat quod denarios ori eius dęmones infunderent; Non possum, inquit, sustinere dæmones istos, portate me ad monasterium Rode, boni illic homines sunt, fortè auxilio illorum ab his diabolis liberabor. Quò cùm delatus fuisset, clamauit; Reportate me; plures enim hic dæmones video, quàm in domo mea: erat enim de villa VVurme. Sic miser relatus, & à dæmonibus agitatus, expirauit, quàm execrabile vitium sit vsura, in suis tormentis multis ostendens. Quidam dixerunt, se in ore, & in gutture eius denarios vidisse. APOLLONIVS: Bene Apostolus auaritiam idolorum appellat seruitutem, cui sic dæmones famulantur. CAESARIVS: Auaritia heu, non solum in secularibus, sed etiam in personis ecclesiasticis regnat, eisque famulatur. Coloss. 3

CAPVT XLIII.

De Auaris. LVtharius Præpositus Bonnensis, clericum habebat nimis auarum, Monasteriensis ecclesiæ canonicum: & quia ex eius consilio idem Præpositus pendebat, multam pecuniã VValterus congregauerat: qui cùm moreretur, nec vnum quidem denarium pro anima sua legauit. In ipsa hora mortis eius, Godefridus ecclesiæ Sancti Andreæ in Colonia canonicus, coram domino suo Adolpho, tunc maioris ecclesiæ Decano, & postea Archiepiscopo, in porta clericorum dormiuit, cui talis visio ostensa est. Visum est, quod prædictus VValterus pecuniam de magno cumulo in tabula numeraret, & quod dæmon ex altera parte in æthiopis effigie residens, illius computationem diligentissimè consideraret: in ipsa computatione, VValterus frequenter ex ipsa pecunia aliquid furtiuè vesti propriæ submisit, qua numerata, dæmon in hæc verba prorupit; Computat argentum VValterus subtrahit illud. Deinde manibus complosis, cũ multo cachinno, subiecit; Plus quàm ducentas subtraxit VValtero marcas (sic enim ex quadam superbia vocari solebat) Excitans dominum suum Godefridus, quid viderit recitauit. Et compertum est, quod eadem hora expirauit. Præpositus verò, omnẽ illius pecuniam tulit, asserens illam suam fuisse.

CAPVT XLIIII.

GOdefridus verò non minus miserè defunctus est: erat siquidem auarus valdè, & magnam in curia pecuniam collegerat. Die quadam tempore Philippi Regis Romani, magnum in domo sua debitoribus domini sui fecerat conuiuium, ex pecunijs eiusdem Philippi, quas Adolpho pro coronatione dederat, illis accommodata resti-

tuere proponens: ante enim quàm de eodem conuiuio gustasset, apoplexia tactus obmutuit, & sine confessione, atque sacra communione, spiritum exhalauit. Post cuius mortem, cuidam sacerdoti talis de eo visio ostensa est: Vidit eum Coloniæ ante monetam incudi impositum, quem Iacobus Iudæus, imò Iudæorum episcopus, cui fuerat familiaris, malleo extẽdit vsque ad denarij tenuitatem. Et bene concordabat pœna culpæ; fuerat enim magister monetæ, & monetariorum socius, & quia multam ibi congregauerat pecuniam, luere ibidem visus est auaritiæ pœnam. Quæ de morte Hermanni, secundi Decani in Coloniã, percepi non tacebo.

CAPVT XLV.

ERat idem Hermannus homo multum auarus, & amator pecuniæ: accidit ante hoc bienniũ, vt canonicus quidam Bonnensis, VVynricus nomine, cognomento Stempel moreretur: qui statim post mortem Ervvino maioris in Colonia ecclesiæ canonico, in somnis apparens ait; Rogo te, vt ad diem meum venias, ante capellam Sancti Nicolai. Quod cùm Ervvinus renueret, sciens eum mortuum, subiecit ille; Peto vt hoc ipsum dicas secundo Decano; quia dies erit octauo die. Ille euigilans, & de visione satis admirans, quid viderit, vel quid VVinricus mandauerit, manè Decano recitauit. Qui statim visum intelligens, respondit; Ego satis timeo, quod diem eius cito obseruare debeam, quia homo senex sum, & debilis. Statim eadem die peius cœpit habere, ita vt prædicto die moreretur. Quod vbi comperit Ervvinus, timens quia & ipse moriturus esset; cœpit se per confessionem, atque sacram com-

munionem ad mortem præparare. Ad quem maior Præpositus; Cras in conuentu dicite ei missam solennem,& sepelite, sicque satisfecistis petitioni eius.Quod ita factum est, atq; iuxta capellam prædicti confessoris ab eo sepultus. Adhuc idem Erwinus viuit,à cuius ore audiui, quæ dicta sunt. Inter auaros pœnas soluent etiam aduocati, qui modò solaria pinguia recipiunt, & causas subuertunt.

CAPVT XLVI.

De Aduocatis malis.

NArrauit mihi ante paucos menses aliquis sacerdos de Saxonia, dicens; Nuper in terra nostra quidam decretista nominatus mortuus est;qui cùm hiaret,lingua in ore defuncti non est inuenta. Et meritò linguam perdidit moriens,qui illam sæpe vendiderat viuens. APOLLONIVS: Simile dixisse te recolo de Henrico Ratione in distinct. 6. capitu.28. CAESARIVS: Recordor nunc cuiusdam verbi, de huiusmodi aduocatis ironicè dicti. Eodem tempore, quo iam dictus Henricus obijt,mortuus est & magister * Falco Treuerensis, mortui sunt & plures nobiles terræ;Rectè,inquit quidam canonicus, faciunt nobiles isti, quod morientes secum ducunt aduocatos istos, erunt enim eis necessarij. APOLLONIVS: Non ibi valebit Saxo neque Ratio, quia sine lingua,siue clauso ore,verba minimè formatur.CAESARIVS: In illo diuino examine, vbi aperti erunt libri, & Ierusalem scrutabitur in lucernis, nullus aduocatorum neque pro se, neque pro alijs, assignare poterit aliqua falsa loca ex legibus, siue decretis. Et hæc dicta sint de auaris. De dolosis verò,cui coniuncta est auaritia, nunc aliqua subiungam exempla.

** al. Folco.*

Sopho. 1.

CAP.

CAPVT XLVII.

De Dolosis.

IN diœcesi Coloniensi, villa Bude, rusticus quidam fuit Henricus nomine:hic cùm morti proximus esset,lapidem grandem & ignitum supra se in aëre pendere conspexit. Ex cuius ardore cùm æger nimis æstuaret,voce clamauit horribili;En lapis capiti meo imminens totum me incendit. Vocatus est sacerdos,confitetur,sed nihil profuit illi; Recogita, inquit, si aliquem lapide isto defraudauerit. Ad quod verbum ille in se reuersus, ait; Recordor me eundem, vt agros meos ampliarem, in alienos terminos transtulisse. Respondente sacerdote;Hæc est causa: ille culpam confitetur,satisfactionem pollicetur, sicque à terribili illa visione liberatur.

CAPVT XLVIII.

SImile contigit in villa cui * Recheym vocabulum est.Cùm rusticus quidam ibidem moriturus esset,diabolus assistens, palum igneum oris eius immittere minabatur: ille culpam non ignorans, quocunque se vertebat, semper diabolum cum palo præsentem habebat. Palum siquidem eiusdem quantitatis & formæ,de agro suo,in agrum cuiusdam honesti militis eiusdem villæ, Godefridi nomine,transtulerat,sibi addendo,quod illi subtraxerat. Ad quem, cogente iam dicta necessitate, suos misit, ablata restituere promisit, per quos vt reo ignosceret,supplicauit. Quibus respondit miles;Non ignoscam,finite filium mulieris bene torqueri. Iterum terretur vt prius, iterum nuncios mittit,sed veniam non cõsequitur. Tertiò eis cum lachrymis venientibus, & dicentibus; Rogamus vos domine intuitu Dei,vt vestra recipiatis,& misero

** al. Recheim.*

ſero culpam remittatis, quia mori non poteſt neque viuere licet. Reſpondit: Modò bene vindicatus ſum, modo remittâ. Ab illa hora, terror omnis diabolicus ceſſauit. Ex his exemplis ſatis colligitur quod ſecundum qualitatem culpæ, etiam Deus formet qualitatem pœnæ. Audi nunc, quod te, tibiq́ue ſimiles conſoletur, de diuitibus atque ſuperbis.

CAPVT XLIX.

De diuitibus atque ſuperbis.

FVit in regno Francorum clericus quidam, nobilis & diues, quæ duo ſæpè hominem extollunt, multisq́ue vitijs ſubijciunt: qui cùm mortuus fuiſſet, & in feretro poſitus, multitudine populi circumſidente, tam ex clericis, quàm ex laicis, ipſe ſe erexit, cunctis audientibus, in hæc verba prorumpens; Iuſtus iudex iudicauit, iudicatum condemnauit, condemnatum tradidit in manus impiorum. quibus dictis, ſe reclinans iterum, non obdormiuit, ſed de requie tranſiuit ad laborem, de delicijs ad miſeriam.

CAPVT L.

IN eodem regno alius quidam clericus fuit, & ipſe vitioſus valdè, ſicut & ſuperior: qui cùm admonitus fuiſſet ab amicis de confeſſione, eſſetq́ue ei allatum corpus Domini à ſacerdote, accipere noluit, vertensq́ue ſe ad parietem, ſic ait; Tuba canit apud inferos, eamus hinc: ſicq́ue expirás, tubam ſecutus eſt infernalem. APOLLONIVS: Si ſic Deus execratur diuitias atque ſuperbiam, puto quòd valdè puniat blaſphemiam. CAESARIVS: Valdè Deus punit quandoque illud vitium, etiam in infidelibus, ſicut nuper didici ex relatione cuiuſdam monachi Vilarienſis, qui circa hæreticos Albienſes, cum domino Conrado Cardinali ſatis laborauit.

CAP.

CAPVT LI.

De blaſphemiis.

COmes Fulkenſis hæreticus, & hæreticorum coadiutor, cum vltimum caſtrum ſuum rehaberet, in tantam erupit blaſphemiam, vt diceret; Velit nolit Deus, velit nolit eccleſia Romana, & omnes ſancti, ego terram meam rehabebo: moxq́ue de equo, cui inſidebat, ruens, horribiliter torquebatur, & cùm à militibus eſſet eleuatus, denuo ruit, pœnam ſoluens blaſphemiæ. Reductus verò in domum ſuum, primùm torqueri cœpit in pedibus, deinde in cruribus, poſtea in pectore, & cùm ei relictum fuiſſet officium linguæ, ſi fortè pœnitere vellet, ipſamq́ue confeſſionem prorſus contemneret, circa quatuor menſes, à die qua percuſſus eſt, impœnitens expirauit. Hæc de diuitijs, ſuperbia, atque blaſphemia dicta ſint. Quanta verò pœna prædonibus præparata ſit, finis vnius oſtendat.

CAPVT LII.

De Prædonibus.

CIrca illud tempus, quo Philippus rex inimicabatur Colonienſibus propter Ottonem, ſatelles quidam Ioannes nomine, cognomento Danus, prouinciam deprædatus eſt. Hic cùm poſt multa mala moriturus eſſet, diabolus morienti nimis importunus fuit: in cuius aſpectu pallens ac tremens, ad circumſtantes clamabat; Date mihi gladium, vt repellam à me hunc, qui infeſtat me virum nigerrimum. Dicentibus eis; Neminem hic videmus, inuoca Deum, miſer ille deſperatus, reſpondit. Quid mihi poſſet prodeſſe, ſi modò illum inuocarem? Multum, inquiunt. Tunc ille; Deus, ſi potes, adiuua me, ſicq́ue expirauit. Et ſatis timeo, quod modicum ei profuerit tam infirma, & tam extorta inuocatio.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT LIII.

EOdem tempore, seruus quidam, aliquando cursor Ottonis Archidiaconi Leodiensis, officium suum deserens, multitudini prædonum, quæ Rutta vulgò dicitur, se associauit: inter quos episcopum se nominans, & episcopum per insulam repræsentans, socijs facere consueuerat peccatorum absolutionem. Die quadam, duobus ex eis videntibus, duos canes dominus ei immisit, à quibus laceratus & extinctus, pœnam soluit deprædationis, atque irrisionis diuinorum sacramẽtorum. Quia prædam homicidia frequenter sequuntur, aliqua tibi proferam exempla de morte miserabili homicidarum.

CAPVT LIIII.

De homicidio.

VIX duo anni elapsi sunt, quod ciuis quidam Monasteriensis defunctus est. Hic cùm domum, & pecunias multas filio suo vnico dimisisset, ille luxuriosè viuendo cum meretricibus, & in tabernis, omnia sua mobilia consumpsit: domum verò sororio suo vendens, & abiens, pretium illius in breui dilapidauit. Necessitate compellente, ad eundem suum sororium rediens, ab eo, tum propter vxorem, tum propter venditam possessionem, detentus est. Quem cùm primùm honestè satis, ac deinde negligentius tractaret, ille ex indignatione eum deserens, domum venditam repetiuit, se circumuentum conquerens. A quo, cùm nihil per iustitiam, siue per minas, obtinere posset, bipenni illum in medio foro occidit. Mox in Ecclesiam sancti Pauli fugiens, clericis cantantibus clamare cœpit; Vos domini, defendite libertatem vestram; quod & fecerunt. Venientes ad eum viri honesti, in fide sua eũ educere voluerunt,

luerunt, volentes inter ipsum & occisum, seu occisi amicos, componere, miserti illius. Quod cùm primùm acceptasset, mox habito secum consilio respondit; Non egrediar, nisi absoluti sitis à pollicito iuramento. Quem post paululum, vnus ex sodalibus vocans ait; Exi Bernarde, exi, vinum optimum in tali venditur taberna: quos secutus, post modicum proditus est, & captus. Requisitus cur exisset de Ecclesia respondit; Ita mihi ardere videbatur pauimentum sub pedibus meis, vt sustinere non possem. Posito eo in rota, cùm manè scholares ad eum venissent, & dicerent; Bernarde, viuis adhuc? fuerat enim literatus. Respondit; Adhuc viuo, moxq; subiecit; in nocte transacta campum istum plenum vidi dæmonibus. Nullum tamen signum, vel verbum pœnitudinis ab eo audire, vel videre potuerunt.

CAPVT LV.

DVM tempore quodam tres latrones iuxta Coloniam rotali pœna plexi fuissent, ego altera die cũ cæteris scholaribus accurrens, quæ ab vno illorum, qui adhuc viuebat, dicebantur audiui. Requisitus, qua hora mortui fuisset socij sui, respondit; Hac nocte, quando mortuus est iste, qui iuxta me sedet, totus campus coruis fuerat replet°. quos dęmones intelleximus in specie coruorum animam egressam expectantium. Et cùm hæc miser ille vidisset, nec vna quidem vice nobis audientibus DEVM inuocauit, nihil habens contritionis. Ex quo colligitur quod hi, qui malè viuunt, sæpissimè malè finiunt, indigni misericordia tam in præsenti, quàm in futuro. Quàm crudele peccatum sit sanguinem fundere, & dissensiones fouere, præsens est exemplum.

CAPVT LVI.

Discordiam fouentes.

IN episcopatu Coloniensi, duę generationes rusticorum inimicitias mortales exercebant: Habebant autem duo capita, duos videlicet rusticos magnanimos ac superbos, qui semper noua bella suscitabant, suscitata fouebant, nullam fieri pacem permittentes. Diuino igitur nutu factum est, vt ambo vno die morerentur; & quia de vna erant paræcia nomine Nueenkirchen, quia sic Domino placuit, qui per illos dissensionis malũ ostẽdere voluit, in vna fossa corpora eorum sunt posita. Mira res, & inaudita, cunctis qui aderant vidẽtibus, corpora eadem dorsa verterunt ad inuicem, capitibus, calcibus, ipsisque dorsis tam impetuosè collidentibus, vt caballos indomitos putares. Mox vnum extrahentes, remotius in alio sepulchro tumulauerunt, & facta est rixa eorundem mortuorum, causa pacis & concordię viuorum. APOLLONIVS: Puto animas eorum, magnam habuisse in inferno rixam. CAESARIVS: De hoc quæstio nulla est. APOLLONIVS: Si Deus sic discordias, rixas, & iras punit in secularibus, puto quod eadem vitia plurimũ abhorreat in personis claustralibus. CAESARIVS: Hoc vno tibi ostendam exemplo.

CAPVT LVII.

NON est diu, quod in quadam domo ordinis nostri, ædificium quoddam ad vsus monachorum factum est: quod quidam Conuersorum videns, & inuidens, diabolo cor eius inflammante, aliquos ad deiectionem eiusdem operis incitauit. Qui cùm venissẽt cum instrumentis suis ante refectorium monachorum, auctor tantę conspirationis corruit, & expirauit. Quo viso, cæteri valdè timentes, cum multa festinatione, & humilitate,

litate, venerunt ad pedes Abbatis, peccatum suum confitentes, à quo pœnitentiam susceperunt; corpus verò conspiratoris, in campo sepultum est. Postea ad petitionem Conuersorum, sicut nobis retulit Abbas noster, qui audiuit, prędictus Abbas petiuit veniam in capitulo generali, vt liceret ei corpus proiectum ponere in cœmiterio; sed non recordor, vtrum fuerit ei concessum vel negatum. Referam tibi nunc aliqua exempla de vitio luxuriæ, quæ luxuriosos satis queant terrere.

CAPVT LVIII.

De luxuriosis.

APud Traiectum inferius ante annos paucos, sicut mihi retulit eius concanonicus, clericus quidam defunctus est, qui sanctimonialem velatam corruperat. Vt autem Christus ostenderet, quàm grauis sit culpa, ipsius sponsam violare, tale signũ in defuncti genitalibus posuit, quod cunctis, qui videre, vel audire poterant, esset terrori. Nolo autem illud exprimere, parcens verecundiæ fœminarum, quæ fortè lecturæ sunt quæ conferimus.

CAPVT LIX.

IN villa quædam diœcesis Coloniensis, quæ *Lucheym dicitur, puella quædam, cuiusdam honestæ matronæ ancilla, ante aliquos annos defuncta est; satis enim erat luxuriosa, satis vaga, & valdè secularis. Nocte quadam in somnis ante Christi tribunal rapta est, in cuius circuitu vidit angelos & Apostolos, martyres, & reliquorũ ordinum sanctos infinitos. Animabus in medium deductis, illæ ad gloriam, istæ ad supplicia iudicabãtur; cumque hæc ancilla videret & tremeret, accusante conscientia, manus suppliciter ad iudicem tendit: cuius ille misertus, ait; Quid me oras? da mihi

al. Luxenheim.

mihi minimum digitum tuũ, & ego dabo tibi manus meas. ac si diceret; Da mihi modicam fidem, quod te de tuis vitijs emendes, & ego tibi dabo gratiam meam, sicque euigilauit. Quæ cùm visum retulisset cuidã religiosæ matronæ, nomine Aleydi, quæ adhuc superest de villa Gynzennich, respondit illa; Misera, emenda vitam tuam, satis commonita es. Illa primum quidem timuit, sed timor idẽ citius cessauit: cumque vt prius vitijs pristinis subiaceret, admonitioni flagella adduntur. Nam cùm post acerrimas infirmitates expirasset, & nudata super aream, tecta tantum linteamine posita fuisset, duo canes ante domum in curia se momorderunt; superuenit tertius, & quartus, deinde omnes canes villæ, qui se inuicem mordendo, domum intrantes, linteamen superpositum abstrahentes, dẽtibus suis comminuerunt: qui vix à rusticis fustibus expulsi sunt. Cadauere verò sepulto, canes fugati redeuntes, super eius tumulum interrupta bella renouauerunt: timeo enim quod anima modicũ habuerit pacis, sicut interpretati sunt. Et quia huiusmodi mulieres sæpe magicis insistunt artibus, vt vehementius possint amari, cõtra idem vitium satis horrendum tibi proferam exemplum.

*al. Gurzennich.

CAPVT LX.

*al. Hosso.

IN * Hallo villa diœcesis Traiectensis, fœmina quædam misera, die quadam pedes suos pelui imponens, & extra illam retrorsum saltans, sic ait; Hic salto de potestate Dei, in potestatem diaboli: quam diabolus mox rapiens, & in aêra sustollẽs, multis qui aderant in villa, siue extra villam, videntibus, vltra altitudines nemorum transtulit, ita vt vsque in hodiernnm diem nusquam compareret. Hæc mihi de malè viuentibus & malè morientibus comperta sunt. De his verò qui bene videbantur

bantur vixisse, nec tamen bene consummati sunt, vnum tibi referã exemplum, quod nuper audiui.

CAPVT LXI.

De eo qui bene vixit, nec tamen bene cõsummauit.

HOC anno, cùm Abbas noster iret ad capitulum generale, iuxta Vitriacum à quodam hospitalario, tam ipse, quàm Abbas de Stymenu, charitatiuè satis suscepti sunt. Comedentibus eis, idem hospitalarius (erat enim hospitalis magister) sedebat ad latus Henrici cellerarij nostri, qui post prandium dicebat iam dicto Abbati; Est vobis notus homo iste? Etiam, inquit, homo bonus est, & religiosus. Respondit Henricus; Credite mihi, in malo statu est, iam in mensa visum habuit infernalem. Manè verò cellerario dicẽte missam, Abbas, nescio quo instinctu, sicut ipse nobis referebat, nihil aliud per totam missam orabat, nisi hoc; Domine da mihi bonum finem. Eadem nocte, præfatus hospitalarius ad vicinum flumen solus vadens, vestes exuit, & de ripa in aquas saltauit: & cũ ibi mergi non posset, altius ascendit, locum profundiorem quærens. Vigiles de castro videtes hoc, clamabant; Bone homo non est tempestiuum tali hora balneari: erat enim nox natiuitatis dominæ nostræ. Quid plura? Miserrimus de littore se præcipitans, limo profundi infixus est, atque submersus. Et territi sunt valdè audientes hæc, scientes hominem plus quam triginta annis pauperibus seruiuisse. Simile contigit cuidam Conuerso in ordine nostro, qui pro sanctissimo viro ab omnibus habebatur. APOLLONIVS: Satis factum fateor interrogationi meæ; sed adhuc vnũ est, quod nosse vellem. Quidam putant mortem esse personam; quibus concordat, quod mors in specie hominis cum falce, in picturis repræsẽtatur. CAESARIVS: Huic fabulæ consentiunt Iudæi, qui dicunt vnum esse ange-

angelum, à quo interficitur omne genus humanũ. Trahunt autem autoritatem ab eo loco, vbi per angelum percussa sunt omnia primogenita AEgypti. Quid autem sit mors, satis dictum est in capitulo primo huius distinctionis: referam tibi tamen aliqua occasione tuæ interrogationis, vnde satis mireris.

Exod. 12.

CAPVT LXII.

Mors apparet.

SIcut veraciter audiui, matrona quædam nobilis in episcopatu Coloniensi, ante annos paucos infirmata est: quæ cùm in extremis agere videretur, multæque matronæ tam ex ordine nobilium, quàm ministerialium circumstarent, inũcta est. In vltima verò collecta, vocans ad se cognatam suam, cùm tamen vix loqui posset, ait; Ne timeas, non moriar modò, vidi enim mortem recedere à me, & inuadere clericum istum, digito eum demõstrans. Mirum in modum in ipsa hora fœmina desperata, cœpit meliorari, & clericus infirmari, adeò vt die octaua moreretur. APOLLONIVS: In qua forma vidit mortem? CAESARIVS: Nescio: si formam requiris, audi quod sequitur.

CAPVT LXIII.

IN Episcopatu Coloniensi villa cui vocabulum est Stamheym, duo milites habitabant, ex quibus vnus Gũtherus, alter Hugo vocabatur. Nocte quadam, cùm iam dictus Guntherus esset in partibus transmarinis, ancilla pueros eius, antequam irent cubitum, ad requisita naturæ in curiã ducebat: quæ cùm staret iuxta illos, ecce species quædam mulieris in veste niuea, & facie pallida, contra ipsos vltra sepem respexit. Quæ cùm nihil loqueretur, & ancilla in aspectu eius horreret, monstrum idem, possessionem Hugonis, quæ proxima

xima erat adiens, vltra sepem illius prædicto modo respexit; deinde ad cœmiterium, de quo venerat, rediens. Post paucos verò dies, infans Guntheri maior infirmatus, ait; Septimo die moriar: post alios dies septem, morietur Dirina soror mea; deinde post hebdomadã, morietur soror mea minor. Q ita factum est. Post mortẽ verò infantum, mater & ancilla, de qua supra dictum est, defunctæ sunt. Eodem tempore obijt Hugo miles, & filius eius. Horum testis fidelis est Gerlacus Supprior noster.

CAPVT LXIIII.

SImile contigit in Ecclesia Bonnensi. Tempore quodam, dictis vesperis, cùm scholares in ipso crepusculo ludos exercerent in claustro, viderunt de vno sepulchrorum, in quibus canonici solent sepeliri, speciem quandam humanæ formæ egredi, quæ super aliqua sepulchra deambulans, in quoddam sepulchrum se dimisit. Post breue tempus, mortuus est quidam canonicus, & in eodẽ tumulo, de quo fantasma illud egressum est, positus. Deinde, post paucos dies alter canonicus in eadẽ Ecclesia moritur, & in loco vbi ingressũ fuerat sepelitur. Christianus Bonnensis, monachus noster, eidẽ visioni interfuit. Huiusmodi visionibus quandoq; futura præsignantur. APOLLONIVS: Secundum hæc quæ dicta sunt, beati quos Dominus inuenerit vigilantes. CAESARIVS: Occasione huius verbi referam quod nuper audiui.

Luc. 12.

CAPVT LXV.

DVM in Alna, domo ordinis nostri, diaconus legisset Euangelium de confessoribus, scilicet, Vigilate, quia nescitis qua hora dominus vester venturus sit, eisdẽ cõpletis, quidã monachus in choro cecidit, & expirauit. Et timuerunt omnes

Vigilate. Matth. 24.

ver-

verborum Domini effectum considerantes. Vnde fratres, quia nescimus qua hora Dominus noster venturus sit, vigilemus fide, vigilemus & opere, vt cùm venerit, & per mortem pulsauerit, confestim, & læti aperiamus ei. Quod nobis præstare dignetur Dominus noster Iesus Christus, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

FINIS LIBRI vndecimi.

CAPITA LIBRI Duodecimi.

De pœnis & gloria mortuorum cap. primum
De pœna Ludovvici Lantgrauij cap. 2.
De pœna cuiusdam principis Alemanniæ cap. 3.
De clerico, cuius corpus diabolus loco animæ vegetabat cap. 4.
De pœna VVilhelmi comitis Iuliacensis cap. 5.
De pœna sacerdotis, cuius animam parochiani sui agitauerunt in puteum cap. 6.
De pœna sculteti de Kolmer, qui missus est in Vulcanum cap. 7.
De schulteto de Leggenich, qui in eundem montem missus est cap. 8.
De Brunone de Flitert, qui in eundem Vulcanum proiectus est cap. 9.
De pœna Brunonis filij eius, cui in inferno propinatum est cap. 10.
De Euerhardo milite, qui se erexit in feretro cap. 11.

De

De Decano * Palernensi, quem rex Arcturus inuitauit ad montem Gyber cap. 12.
De pœna Bertolfi ducis Zeringiæ, qui missus est in Vulcanum cap. 13.
De pœna Frederici militis de Kelle cap. 14.
De Henrico Nodo, qui post mortem multis visibiliter apparuit cap. 15.
De torneamento occisorum iuxta Montenacke cap. 16.
De VValtero de Milene cap. 17.
De milite mortuo, qui nocte serpentes & bufones loco piscium, ante portam filij suspendit cap. 18.
De Baioaro, qui post mortem vxori apparens, dixit sibi eleemosynas nihil profuisse cap. 19.
De pœna concubinæ cuiusdam sacerdotis, quam diabolus venabatur cap. 20.
De sanctimoniali, quæ infantem à se occisum ignitum circumferebat cap. 21.
De Iordano Cardinali cap. 22.
De Euervvico ad infernales pœnas deducto cap. 23.
De purgatorio cuiusdam vsurarij Leodiensis cap. 24.
De purgatorio cuiusdam Prioris de Claraualle ca. 25.
De purgatorio cuiusdam Mariæ in Frisia cap. 26.
De purgatorio cuiusdam matronæ propter artes magicas cap. 27.
De monacho, qui socio post mortem apparens dixit, Non putabam Dominum ita esse destrictum ca. 28.
De scholastico, qui post mortem in Pruli tabulam percussit & scidit cap. 29.
De Ioanne sacrista Vilariensi, qui apparuit Abbati cap. 30.
De purgatorio Abbatis, qui inuitus iuit ad laberem cap. 31.

* Panormitano.

De mortuo, qui eleemosynas præposuit orationibus cap. 32.
De mortuo, qui petiuit missas tres in ordine nostro cap. 33.
De purgatorio Christiani monachi vallis sancti Petri cap. 34.
De purgatorio sanctimonialis in Rindorp, cui sanctus Benedictus astitit cap. 35.
De purgatorio Margaretæ sanctimonialis de sancto Saluatore cap. 36.
De purgatorio VVilhelmi monachi cap. 37.
De purgatorio sancti Patricij cap. 38.
De monacho, qui idem purgatorium intrare voluit cap. 39.
De pœna Abbatis Corbeye cap. 40.
De pœna Rudingeri & potu eius cap. 41.
De pœna sacerdotis propter sclauiniam peregrini cap. 42.
De gloria Irmindrudis Abbatissæ in Ditkirgen cap. 43.
De gloria sanctimonialis, quæ Azelinæ apparuit in sphæra ignea, & de tunica sancti Dauid cap. 44.
De gloria monachi, qui ad instar sagittæ fuit ante Deum cap. 45.
De scholare, cuius anima in specie columbæ assumpta est cap. 46.
De manu scriptoris in Arnisburg cap. 47.
De odore magistri Petri Cantoris cap. 48.
De prædicatore ordinis Præmonstratensis cap. 49.
De ciue, in cuius cruribus scriptum erat, Aue Maria cap. 50.
De Conuerso, qui dixit pectus suum quasi lapide maximo premi, cùm moreretur cap. 51.

De morte Theoderici & Guntheri cap. 52.
De Conuerso, qui dixit Cisterciensem ordinem maximam habere gloriam in cœlo cap. 53.
De glorificatione pedum cuiusdam magistri cap. 54.
De Dauid monacho, qui oculos in solem defixit cap. 55.
De dotibus electorum post resurrectionem cap. 56.
De Eimolpho templario cap. 57.
De sancta Maria, quæ obtinuit ne angelus secundò buccinaret cap. 58.
De cœlesti Ierusalem, & gloria sanctorum cap. 59.

DE POENIS ET GLORIA MORTVORVM LIBRI DVODECIMI

CAPVT PRIMVM.

CAESARIVS:

SICVT hora vndecima diem ad occasum trahit, ita duodecima eundem concludit: bene autem in distinctione duodecima tractandum de præmijs mortuorum arbitror, quia die completo, laborantes in vinea remunerantur: vnicuique hominum dies suus est præsens vita; videat quomodo laboret in vinea, id est, in Ecclesia. Dies hæc quibusdam breuior, quibusdam longior, quibusdam clarior; quibusdam obscurior efficitur: dies hæc

De pœna & gloria mortuorum in genere.

Matth. 25.

alijs est hyemalis, his scilicet qui in infirmitate sunt,& in angustijs;alijs æstiualis,eis videlicet qui in gloria viuunt & delicijs: alijs verò vernalis,qui in flore sunt iuuentutis;nonnullis autumnalis, id est,eis qui ætate matura pondere defluunt senectutis.Duo sunt loca æternaliter à Deo præparata, in quibus labor diurnus remuneratur, cœlum scilicet & infernus:in cœlo,merces est iustorum:in inferno,merces reproborũ. De illo iudex in fine bonis & iustis dicturus est; Venite benedicti patris mei,percipite regnum, quod vobis præparatum est ab origene mundi:de isto verò; Ite maledicti in ignem æternum,qui paratus est diabolo,& angelis eius.Quanta sit merces iustorum,quàm ineffabilis quàm inenumerabilis, Isaias breui sermone comprehendit dicens; Oculus non vidit Deus absq; te, quæ præparasti diligentibus te.De pœnis inferni, quæ innumerabiles sunt,nouem specialius notantur,quæ sequenti versiculo comprehendũtur: Pix, nix,nox, vermis, flagra, vincula, pus, pudor, horror: Hæc tormenta nouem fine modoq; carent. Est adhuc tertius locus post hanc vitam,quibusdam electis ad purgandum deputatus,&à re,Purgatoriũ vocitatus, hic temporalis est, durans vsque ad diẽ iudicij. Quanta verò sit futura gloria bonorum, siue pœna malorum, quibus etiam suffragijs iuuari possint hi, qui in pœnis sunt purgatorijs, & si non plenè, quod prorsus est impossibile, ex his tamen quæ sequuntur exemplis, maiora poteris perpendere.APOLLONIVS: Primùm mihi ostendas tormenta reproborum, nouissimè gloriam & gaudium iustorum,vt sic nostra collatio cum lętitia finiatur.CAESARIVS:Quanta sint tormenta tyrannorum, exactorum, vsurariorum, adulatorum, superborum, siue aliorum qui grauiter Deum offenderunt,nec pęnituerunt,secundũ quod à religiosis didici

Matth.25.

Isaiæ 64.

didici personis,quibusdam tibi pandam exemplis.

CAPVT II.

LOdevvicus Lantgrauius maximus tyrannus fuit, de quo suprà dictum est in distinctione prima capitulo tricesimoquarto:hic cùm moriturus esset, præcepit amicis suis dicens; Mox vt mortuus fuero, cucullam ordinis Cysterciẽsis mihi induite,& ne hoc fiat me viuente diligentissimè cauete. Obedierunt illi,mortuus est, & cucullatus Quod vbi miles quidam vidit, commilitones ironicè allocutus est dicens; Verè non est similis domino meo in omni virtute,quando miles erat,non habuit parem in actibus militiæ; factus verò monachus, omnibus factus est forma disciplinæ, videte quàm diligenter custodit silentium suum,nec vnum quidem verbum loquitur. Anima verò eius cùm educta fuisset de corpore, principi dæmoniorum præsentata est, sicuti cuidam manifestissimè reuelatum est: sedente eodẽ tartarico super puteũ, & scyphum manu tenente, huiusmodi verbis Lãtgrauium salutauit; Bene veniat dilectus amicus noster,ostendite illi triclinia nostra,apothecas nostras,cellaria nostra, sicque eum huc reducite.Deducto misero ad loca pœnarum, in quibus nihil aliud erat, nisi planctus, fletus, & stridor dentium, & reducto, sic princeps principem affatur; Bibe amice de scypho meo:illo valdè reluctante, cùm nihil proficeret, imò coactus biberet, flamma sulfurea de oculis naribusq; eius erupit. Post hoc sic infit;Modò cõsiderabis puteum meum, cuius profunditas sine fundo est, amotoq; operimento,eum in illum misit, & remouit. Ecce iste est puteus,in quo eum clericus vidit, sicut prædictum est in distinctione prima capitulo tricesimoquarto.

Tyrãnorum pœna.

CAPVT III.

NON est diu, quod alter quidam princeps Alemanniæ mortuus est, post cuius obitum, cùm quidam sacerdos, cui multa bona fecerat, die noctuque lachrymis & gemitu Deo pro illius anima supplicaret, nescio quis sanctorum ei in oratione assistens, ait; Quare tantum laboras pro homine hoc danato? Nihil enim illi prodest, imò magis obest, eò quod anima eius in profundũ inferni dimersa sit. Respondente sacerdote: Domine, multa bona fecit mihi, multũ enim illi teneor: Sanctus subiunxit; Cessa pro eo orare quia anno integro, antequam sepeliretur, mortuus est, cuius corpus malignus spiritus loco animæ vegetabat. Fuerat idem princeps tyrannus maximus, vir magnanimus, modicum habens timoris Domini. APOLLONIVS: Non putaui corpus humanum sine anima posse comedere, bibere, vel dormire. CAESARIVS: Simile legitur in vita Sancti Patricij Hibernensis Episcopi, de quodam homine, qui aurigam eius occidit, in cuius corpore diabolus multis annis pro anima habitans, cùm ad nutum sancti exisset, corpus corruit, & in puluerem redactum est. Item simile audiui à manacho nostro Gerardo quondam Bonnensi scholastico.

CAPVT IIII.

CLericus quidam tam egregiam, & tam dulcẽ vocem habebat, vt audire illam deliciæ reputarentur. Die quadam religiosus vir quidam superueniens, & citharę illius dulcedinẽ aure percipiens, ait; Vox ista hominis non est, sed diaboli. Cunctis verò admirantibus, dæmonẽ adiurauit, & exiuit, cadauere mox corruente, ac fœtente: & intellexerunt oẽs, idem corpus à dæmone diu fuisse ludi-

ludificatum. APOLLON. Non dubito, quin dæmones valde illorum animas torqueant, quorum corpora in præsenti sic ludificant. CAESARIVS: Verum dicis. Nunc reuertamur ad tormenta tyrannorum, quia hæc per occasionem dicta sunt.

CAPVT V.

IN villa Endenig, quæ in territorio Bonnensi est sita, miles quidam nobilis VValterus nomine habitans, erat tam domui nostræ, quam ordini, satis obsequiosus. Hic cùm tempore quodam grauiter infirmaretur, soluśque iaceret, diabolus illi ad pedes lectuli visibiliter apparuit: erat autem, sicut ipse nobis retulit, facies eius ad instar simeæ disposita, cornua habens caprina: in cuius aspectu cùm terreretur, postea confortatus ait; Quis, vel quid es, vnde venis, vel quid quæris? Respondit monstrum; Diabolus sum, animam tuam tollere veni. Dicente milite: Recede leccator, certè animam meam non tolles, Christo me commendo. Subiunxit ille; VValtere, si mihi consenseris, homagiumque feceris, non solùm incolumitati te restituam, quinetiam super omnem tuam progeniem te ditabo. Respondit miles; Satis habeo, de diuitijs tuis fallacibus non curo: vnde ergo tibi thesauri? Infra terminos, inquit, curiæ tuæ, infiniti occultãtur. Cum quo cùm miles iam loqui delectaretur ait; Dic mihi vbi est anima domini mei VVilhelmi comitis Iuliacensis nuper defuncti? Respondit diabolus; Nosti castra vicina VVolkenburg & Drachenfels? Noui inquit. Et ille; Per fidem meam tibi dico, si ferrea essent, tam castra, quàm eorum montana, & in illum locum mitterentur, vbi anima VVilhelmi est, antequam supercilium superius inferiori iungi posset, liquefierent. Quo dicto, mox cachinnando subiunxit; Ardor iste,

balneum lacteum ei est, in futuro, quando corpus suum anima resumet, tunc primùm pœnam debitam recipiet. Requisitus de anima Henrici comitis Seynensis, respondit; Certè nos illam habemus; de pęna tamen illius nihil expressit. Adiecit etiam interrogare illum de patre suo: ad quod respondit ille; Viginti annis & vno illum habuimus, sed monocula illa, & caluus ille, atque pediculosus, qui in solario iacet, nobis eum abstulerunt. monoculam vocauit vxorem eius, quæ pro anima eius iugiter lachrymando, oculum vnum perdiderat: caluum dixit filium eius Theodericum monachum nostrum, qui ad videndum germãum eodem tempore aduenerat. Interrogatus verò de prædicta matrona, respondit; Verè nunquam potestati nostræ addicta est, eò quod mulier bona esset ac sancta: Fratrem autem tuum Lambertum sic sellauimus, vt nostrum ius euadere non possit. Qui ante paucos annos defunctus est, vir auarus, & pecuniosus. Dicente iterum milite; Dic mihi, de quo loco venisti nunc ad me? Respondit dæmon; Ego, & socij mei eramus in exequijs cuiusdam Abbatissæ nigri ordinis, egressum animæ eius præstolantes. Tunc miles; Quot eratis ibi? Respondit dæmõ; Nosti nemus in Cottinforst? Optimè, inquit, noui. Et ille; Non sunt tot folia in arboribus, quot illic fuimus congregati. Non est tam grãdis sylua in prouincia nostra. Et quid, ait, obtinuistis ibi? Respondit; Heu nihil, fœmina fuit religiosa, sed & Michaël Archangelus superueniens cum fuste ferreo, sic nos cæcidit, & cædendo fugauit, vt dispergeremur, quemadmodum puluis qui à turbine impellitur. APOLLONIVS: Si tot dæmones congregati sunt in egressu vnius animæ, constat innumeros esse, quia per latitudinem mundi quotidie multi moriuntur. CAESARIVS: Licet maligni

gni spiritus ita sint in vno loco, quod non sint in alio, attamen tam agilis sunt naturę, vt vno momẽto, diuersa transeant spatia terrarum. Vel dici potest: quod cum fortiori numero insistant iustis morientibus, quàm malis, de quibus certi sunt. APOLLONIVS: Placet quod dicis. CAESARIVS: Requisitus etiam si esset in obitu domini Geuardi Abbatis nostri, tunc reconter mortui; Respondit; Non est tantum arenæ in littore maris, quot ibi fuimus; sed modicum ibi obtinuimus, quia pediculosi illi, more porcorum in humo iacendo grunnientes, non sinebant propius nos accedere: habent præterea domum quandam susurrij (capitulum notãs) in qua omnia nobis, quæ delinquunt, subtrahuntur. Et dixit miles; Quomodo stultissime ausus fuisti ad obitum viri tam iusti venire? Ausus, inquit; Ego præsens fui, vbi Dei Filius expirauit, sedens super brachium crucis. Hoc verbum à dæmone prolatum, & à laico recitatum, maximè mihi fidem fecit dictorum, eò quod in glosa legatur super Thobiam. Dicente VValtero: Quæ fuit portio vestra in Christi morte? Respondit; Nulla, malo nostro illic venimus, quia virtute morientis turbati, & agitati, detrusi sumus in infernum. Multa alia cum dæmone, quotiens solus erat, conferebat, quæ postquã conualuit multis recitauit. Vis nunc audire, qualis prædicti comitis finis fuerit & pœna? APOLLONIVS: Etiam. CAESARIVS: Infirmatus verò in castro suo Niedecke, pro quadam contumelia sibi illata venit Coloniam: qui cùm rediret, in via defectum cordis incurrit, & ait; Och nunquam de cætero videbo Coloniam. Cui in terram deposito, cum medicus diceret, mortẽ esse in ianuis, subiecit; Consulo tibi, vt vxorem tuam recipias. Respondente illo; Non faciam. Supplicauit ei pro quodam milite, quem diu incarcerauerat; Nequa-

Glosa. ordi. in cap. 6. Tobiæ.

quam, inquit, egredietur me viuente. Tunc medicus; Ergo ante diem crastinum egredietur. Quod ita factum est. Cùm verò moriturus esset, in sinu cuiusdam matronæ, quam viro proprio tulerat, iacebat: cui cùm illa diceret; Domine, quid faciam post mortem vestram? Iuueni, inquit, nubere debes militi. Hæc ei verba vltima fuêre. Eadem nocte, sicut mihi retulit Abbas quidam ordinis nostri, sanctimonialis quędam Sancti Mauritij in Colonia, in loca pœnarum transposita est, in quibus puteum magni horroris, igneo tectum operculo, inter flammas vidit sulphureas: de quo cùm suum ductorem interrogasset, respōdit ille; Duæ tantùm animæ in illo sunt, anima scilicet Maxentij Imperatoris, & anima VVilhelmi comitis Iuliacensis. Manê visum recitans, cùm eadem die rumor insonuisset Coloniæ de morte eiusdem comitis, visionem fuisse verā intellexit. APOLLONIVS: Miror, qua de causa sociatus fuerit Maxentio in pœnis, tot annis interpositis, & tot tyrannis ante ipsum defunctis? CAESARIVS: Propter similem culpam: iustum fuit, vt qui partes erant in culpa, conformes fierent in pœna. Vtriusq; vitam noui, Maxentij ex lectione, VVilhelmi ex multorum relatione: vterq; tyrannus, vterq; supra modum luxuriosus. Sicut legitur in chronicis, nulla fuit in vrbe Romana, siue extra vrbē, matrona tam nobilis, tā pudica, dum modo oculis Maxentij placeret, quin de domo mariti sublatam corrumperet: similia faciebat de virginibus & viduis. Viderūt ista viri, & ingemuerunt; parentes, & tacuerunt: tanta erat illius crudelitas, vt cùm nimio dolore cordis afficerētur, tristitiam tamen dissimularētur. Tanta eius extitit tyrannis, vt passim Senatores, ciues, milites occideret, de quibus aliqua habebatur suspicio.

Euseb. lib. 8. hist. cap 26. & li 1. vitæ Constan. cap. 27.

VVil-

VVilhelmus verò, non dissimilia operabatur his, etsi non pari potestate, non tamen impari voluntate: sicut audiui, ita deditus erat luxuriæ, & incestui, vt vix aliquem haberet ministerialium, cuius vxorem, aut filiam non attentaret violare, nullam habens differentiam inter matrem & filiam, inter legitimam & absolutam. Quantæ fuerit circa subiectos, siue prouinciales crudelitatis, omnis nouit episcopatus Coloniensis. Maxentius vxorem propriam occidit, iste inclusit: ille persecutus est ecclesiam multos perfidè occidendo; iste tempore schismatis imperij Romani persecutus est sedi Apostolicæ obedientes, sacerdotes de suis sedibus eijciendo, quosdam mutilando, & bona ecclesiarum diripiendo. Hæc acta sunt in temporibus Innocentij Papæ. Anno præterito canonicus quidam Aquensis retulit mihi de eodem VVilhelmo visionem satis terribilem; Post mortem, inquit, suam cuidam inclusæ, cui benefecerat, visibiliter apparens, vultu lurido, ac macilento ait; Ego sum miser VVilhelmus quandoque comes Iuliacensis. quem dum illa interrogasset de statu suo, respondit; Totus ardeo: & cùm leuasset vestem vilissimam, qua indutus videbatur, mox flamma erupit, sicque cum eiulatu disparuit. Huic adhuc viuenti Deus, qui misericors est, vt eum à peccatis reuocaret, aliquid gloriæ suæ ostendit. In die quadam natalis sui, in canone prioris missæ, voces suauissimas, cum melodia dulcissima, quasi in cœlo eum audire permisit: qui mox interrogans dominum Engilbertum, tunc maioris ecclesiæ in Colonia Præpositum, nunc Archiepiscopum, si voces easdem audiret, & ille se audiuisse negaret, amplius mirabatur. In canone verò secundæ missæ, nec non & tertiæ, easdem voces, quæ diuersæ

erant

erant ætatis, audiuit. Cùm hæc recitata fuissent domino Hermanno Abbati loci Sanctæ Mariæ, comitem adijt, ex ore eius, quæ dicta sunt, audiens: inuocauitque idem comes testem Deum, nihil se mẽtiri, hæc addens cum iuramento; Quia si adhuc semel mihi talia concederentur audire, omnibus meis paratus essem abrenunciare. Modicum tamen cœlestis hæc consolatio illi profuit, peccatis eius maximis impedientibus. Puteus in quem missus est comes iste, ad memoriam mihi reuocat pœnam cuiusdam mali sacerdotis.

CAPVT VI.

ERat in quadam villa sacerdos quidam miserrimus, luxuriæ & comessationibus vacans, animasque sibi commissas omninò negligens: qui cùm mortuus fuisset, parochiani sub eo defuncti; saxis comprehensis, in locis infernalibus illum iactare cœperunt, & dicere; Tibi commissi fuimus, tu nos neglexisti, & cùm peccaremus, nec verbo, neque exemplo reuocasti nos, tu occasio nostræ damnationis fuisti: quem cùm agitarent, lapides post eum mittendo, ille in puteum cadens, nusquam comparuit. Hæc cuidam religioso de illo sunt ostensa.

CAPVT VII.

De monte Vulcano.

TEmpore quodam Sueuis quibusdam peregrinationis gratia profectis Ierosolymam, cùm in reditu nauigarent iuxta montem Vulcanum, cuius perpetua sunt incendia, voces huiusmodi de illo resonuerunt; Bene veniat, bene veniat amicus noster Schultetus de Kolmere, frigus est, ignem ei copiosum præparate. Illi personam cognoscentes, diem & horam notauerunt, & cùm ad propria redijssent, eundem Schulterum, die & hora

hora eadem, defunctum repereunt. Tunc accersentes eius vxorem, quid audierint indicauerunt. Quibus illa respondit: Si sic res se habent, dignum est vt illi succurram: moxque omnibus relictis, loca circuiuit sanctorum, eleëmosynis & orationibus pro anima illius Deo supplicando.

CAPVT VIII.

ALio tempore quidam Flamingi, cùm mare transirent, de eodem monte Vulcano vocem huiusmodi audierunt; Bonus amicus noster Siwardus hic venit, suscipite illum; qui cum multo stridore missus est in Vulcanum: nam & ipse schultetus fuerat in Leggenich. Illi notantes tempus, & nomen personæ, reuersi villam iam dictam intrauerunt, & cum de schulteto requirerent, eum eadem die & hora, qua vocem audierunt in mari, obijsse repererunt: nam & ipse homo pessimus erat, sicut & superior.

CAPVT IX.

SImile est quod sequitur. Cùm tempore quodã Conradus sacerdos de Rinkassel, cum alijs prouinciæ nostræ peregrinis mare transiret, ante sæpè dictum Vulcanum, vox talis in eo audita est; Hic venit Bruno de Flittirt, suscipite illum. Quæ vox cùm ab omnibus fuisset audita, ait prædictus sacerdos confratribus; Testes estis vos omnes huius vocis, & statim notauit in tabula eis præsentibus diem & horam dicens; Reuera dominus Bruno mortuus est. Cùm verò redirent Ierosolymam, obuios habuerunt quosdam peregrinos prouinciæ suæ, quos cùm interrogassent de statu p̃dicti Brunonis, acceperunt ab eis, quod mortuus esset; de tempore autem scisitantes, diem eundem inuenerunt, quo vocem prædictam in Vulcano audierunt.

Conra-

Conradus verò, non multò post factus est monachus in Bergis.

CAPVT X.

IDem Bruno nominis sui filium reliquit, quem plenius suis vitijs, quàm possessionibus hęreditauit: erat enim, sicut & pater, auarus valdè, pauperum exactor, & supra modum luxuriosus. Ipse est Bruno de Flittere, pincerna comitis de Monte; vix tres menses elapsi sunt quod mortuus est. In cuius obitu obsessa quædam à dæmone liberata, cùm die quinta denuò vexaretur, dixerunt quidam ad diabolum; Dic nobis vbi fuisti, vel quare reuersus es? Respondit ille; Verè maximum postea habuimus festum, ad obitum Brunonis congregati fuimus ad instar pulueris terræ, cuius animam cum gaudio deducentes ad inferos, locauimus eam in sede debita, poculum infernale ei propinantes.

CAPVT XI.

EOdem tempore mortuus est in eadem prouincia alius miles Euerhardus nomine, & ipse vir criminosus sicut superior. Media nocte diabolus corpus eius erigens in feretro, cunctis qui aderant terrorem incussit; timentes amici eius ludificationem dæmonum, corpus ligantes, ante Missam illud sepelierunt.

CAPVT XII.

De monte Giber.

EOdem tempore, quo Hericus Imperator subiugauit Sibi Siciliam, in ecclesia * Palernensi quidam erat Decanus, natione, vt puto, Theuthonicus: hic cùm die quadam suum, qui optimus erat, perdidisset palefredum, seruum suum ad diuersa loca misit ad inuestigandum illum: cui homo

* *Panormitana.*

senex

senex occurrens, ait; Quò vadis, aut quid quæris? Dicente illo; Equum domini mei quæro; subiunxit homo; Ego noui vbi sit. Et vbi est, inquit; Respondit, In monte Giber; ibi eum habet dominus meus rex Arcturus: Idem mons flammas euomit sicut Vulcanus. Stupente seruo ad verba illius, subiunxit: Dic domino tuo vt ad dies quatuordecim illuc veniat, ad curiam eius solennem; quod si dicere omiseris, grauiter punieris. Reuersus seruus, quæ audiuit domino suo exposuit, cum timore tamen. Decanus ad curiam Arcturi se inuitatum audiens, & irridens, infirmatus, die præfixo mortuus est. Hæc Godeschalcus canonicus Bonnensis nobis retulit, dicens se eodem tempore ibidem fuisse. APOLLONIVS: Mirabilia sunt quæ recitas. CAESARIVS: aliqua tibi adhuc de eodem monte dicturus sum.

CAPVT XIII.

CIrca hoc triennium, homines quidam ambulantes iuxta eundem montem Gyber, vocem validam in hæc verba audierunt; Præparate focum. Modico autem facto interuallo, idem clamatum est; cumq; tertiò clamaret, præpara focum magnum, respondit nescio quis; Cui præparabo? Et ille; Dilectus amicus noster hic venit, dux Zeringiæ, qui plurimum nobis seruiuit. Illi notantes diem & horam, per literas audita regi Frederico mandauerunt, interrogantes, si aliquis in eius imperio mortuus fuisset dux Zeringiæ: & compertum est, eadem die & hora, Bertolphum ducem Zeringiæ fuisse defunctum. Erat autem idem dux tyrannus, immanis, tam nobilium, quàm ignobilium exhæreditator, & fidei Catholicæ desertor. Qui cùm non haberet prolem, instigãte vitio auaritiæ, plurima congregauerat pecuniam: Cùm

autem

autem moriturus esset, rogauit sibi familiares, vt omnes suos thesauros conflarent in massam: Requisitus de hoc, respondit; Ego noui quod cognati mei de morte mea gaudentes, sibi diuident thesauros meos: si autem in massam fuerint redacti, inuicem se occident. Vides quanta inuidia; Hæc mihi à duobus Abbatibus relata sunt, ex quibus vnus fuit de ducatu Zeringiæ, alter asseruit sibi eadem narrata à quodam Abbate, qui literas supra dictas audiuit, cùm legerentur coram rege Frederico. APOLLONIVS: Quid sentiendum est de his montibus, Vulcano scilicet, Athena, & monte Gyber? Cùm animæ in eos mittantur, estne ibi purgatorium, siue infernus? CAESARIVS: Os dicunt esse inferni, quia nullus electorum, sed reprobi tantum in eos mittuntur, sicut legitur in dialogo de Theoderico rege Gothorum. Infernus, putatur esse in corde terræ, ne mali lumen cæli videant. Referam tibi nunc aliqua exempla de pœnis prædonum.

Gregor. li. 4. dial. c. 30.

CAPVT XIIII.

De prædonum supplicijs.

CIuis quidam Andernacensis, Erkinbertus nomine, pater Ioannis monachi nostri, cùm die quadam ante lucem iret ad quoddam placitum, quidam ei occurrit in dextrario nigerrimo, de cuius naribus fumus & flamma procedebat: nunc viam tritam tenebat, nunc exorbitans in cãpum discurrebat. Hæc vidẽs Erkinbertus, primùm valdè territus est, & quia declinare non poterat, se ipsum confortans, cruce se signauit contra diabolum, dexteram armans gladio contra hominem; ignorabat enim quid esset. Cui cùm propinquasset, cognouit eum quendam fuisse militem nominatũ, nuper defunctum Fredericum nomine, de villa Kelle oriundum. Videbatur enim circumamictus pellibus ouinis, molem terræ gestans in humeris.

Ad

Ad quem Erkinbertus; Estis vos dominus Fredericus? Respondente illo; Ego sum. subiecit: Vnde venitis, quidúe significant ista quæ video? Ego, inquit, in maximis pœnis sum, pelles istas cuidam viduæ tuli, quas nunc ardentes sentio: similiter partem cuiusdam agri mihi iniustè vendicaui, cuius pondere modò premor: si filij mei ista restituerint, multum pœnam meam alleuiabunt. Sicque ab oculis eius euanuit: q. cùm recitasset die altera verba patris filijs, maluerunt illum æternaliter in pœnis manere, quàm dimissa restituere. APOLLONIVS: Similia te recordor dixisse in distinct. 2. cap. 7. de Helia de Ryningen. CAESARIVS: Ecce aliud exemplum.

CAPVT XV.

IN Treuerensi episcopatu, in quo & superior visio facta est, alter quidam miles erat Henricus nomine, cognomento Nodus. Nam & ipse malitiosus valdè erat, rapinas, adulteria, incestus, periuria, hisq; similia, virtutes iudicans. Hic cùm mortuus fuisset in prouincia Meneuelt, in pellicio nouo, quo vti solebat viuus, multis apparuit, domum filiæ maximè frequentans: non crucis signo, non gladio poterat fugari, gladio sæpe cædebatur, sed non poterat vulnerari, talem ex se sonum emittens, ac si mollis lectus percutereturur. Cuius amici cum super hoc consulerent dominum Episcopum Treuerensem Ioannem, dedit consilium, vt aqua clauo dominico superfusa domus, & filia, nec non & ipse, si adesset, aspergerentur: quod cùm factum fuisset, de cætero non comparuit. Eandem filiam genuerat de ancilla sua, cùm tamen haberet legitimam, quam cùm fuisset adulta, miser corrupit; non est diu ex quo ista contigerunt. APOLLONIVS: Quid sentiendum est de his, qui in bellis

siue

ſiue torneamẽtis moriuntur? CAESARIVS: Si iuſta ſunt bella, vt defenſio patriæ, nihil eis oberit, qui defendendo ſe moriuntur. Quantum autem delectentur dæmones in mortibus illorum, qui innocentes impetunt, ſubſequens declarat exemplum.

CAPVT XVI.

De ijs qui ſectantur haſtiludia.

SEquenti nocte, quando exercitus ducis Louanij à Leodienſibus occiſus eſt, ſeruus quidam comitis Loſenſis iuxta Montenacke, locum ſcilicet occiſionis tranſiens, circa noctis principium, maximum ibi vidit torneamentum dæmoniorum. Neque immundis ſpiritibus æſtimo tantam fuiſſe exultationem, ſi non magnam illic cœpiſſent prædam. De his verò, qui in torneamentis cadunt, nulla quæſtio eſt, quin vadant ad inferos, ſi non fuerint adiuti beneficio contritionis.

CAPVT XVII.

SAcerdos quidam de Hiſpania anno præſenti prope caſtrum comitis Loſenſis, dum in crepuſculo noctis tranſiret de villa in villam, vidit in campo vicino torneamentum maximum mortuorum valide clamantium; Domine VValtere de Milene, domine VValtere de Milene: erat idem VValterus in militia nominatus, nuperque defunctus. Intelligens ſacerdos illos eſſe, qui militum nundinas execrabiles repræſentabant, ſubſiſtens, circulum circa ſe fecit: cumque viſio ceſſaret, & ipſe procederet, iterum illos videns, fecit vt prius, ſic vſque ad lucem laborans. Hæ duæ viſiones mihi relatæ ſunt à VVigero monacho Vilariẽſi. Referam tibi nunc exemplum de pœna vſurariorum.

CAP.

CAPVT XVIII.

De Vſurariorũ pœnis.

MIles quidam moriens, bonis de vſura conquiſitis, filiũ ſuum hæreditauit; nocte quadam ad oſtium fortiter pulſans, cùm puer occurreret, & quid ibi pulſaret interrogaret, reſpondit; Intromitte me, ego ſum dominus huius poſſeſſionis, nomen ſuum exprimens. Puer per foramen ſepis proſpiciens, eumque cognoſcens, reſpondit; Certè dominus meus mortuus eſt, non vos intromittam. cumque mortuus pulſando perſeueraret, nec proficeret, nouiſſimè dixit; Defer piſces iſtos, quibus ego veſcor, filio meo, ecce ad portam illos ſuſpendo. Manè exeuntes, repererunt in quodam ligamine multitudinem bufonum, atque ſerpentum. Reuera iſte eſt cibus infernalis, qui igne ſulfureo decoquitur. APOLLONIVS: Quid ſentis de his, qui malè viuunt, & tamen eleemoſynas multas faciunt? CAESARIVS: Nihil eis prodeſt ad vitam æternam.

CAPVT XIX.

NOn multi anni ſunt elapſi, quod quidam ditiſſimus miniſterialis ducis Baioariæ defunctus eſt: Nocte quadam caſtrum, in quo vxor eius dormiebat, ſic concuſſum eſt, vt terræmotus fuiſſe videretur. Et ecce, oſtio cameræ, in qua illa iacebat, aperto, quodam gigante nigerrimo * cum capillis impellente, maritus eius ingreſſus eſt: quem cùm vidiſſet & nouiſſet, ad ſe illum vocans, ſuper ſedile lecti ſui reſidere fecit. Nihil verò territa, eò quod frigus eſſet, & illa ſola camiſia indura fuiſſet, partem operimenti ſui ſcapulis eius ſuperpoſuit: quem cum de ſtatu ſuo interrogaſſet, triſtis reſpondit; Pœnis æternis deputatus ſum. Ad quod verbum illa territa nimis, reſpõdit; Quid eſt

al. cum ſcapulis.

quod dicitis? Nonne eleëmosynas magnas fecistis? ostium vestrum peregrinis omnibus patuit: Non prosunt vobis beneficia ista? Respondit ille; Nihil mihi prosunt ad vitam æternam, eò quod ex vana gloria, non ex charitate à me facta sunt. Quem cùm de alijs interrogare vellet, iterum respondit; Concessum est mihi tibi apparere, sed non licet morari: ecce ductor meus diabolus, foris stat expectans me: si enim omnia folia arborum verterentur in linguas, tormenta mea exprimere non possent. Post hæc euocatus & impulsus, in eius abscessu, totum castrum, vt prius, concutitur, voces eiulatus eius diutius audiũtur. Visio hæc valdè celebris fuit & est in Baioaria, sicut testis erat Gerhardus monachus noster, quandoque canonicus Ratisponensis, qui nobis illam recitauit. Ecce in his omnibus quæ dicta sunt, impleta est scriptura, quæ dicit; Potentes potenter tormenta patientur. APOLLONIVS: Hæc & huiusmodi exempla potentibus debent prædicari. CAESARIVS: Quia ipsi sacerdotes ex magna parte malè, & incontinenter viuunt, potentes non pungunt, sed vngunt. Quàm graue sit peccatum luxuria sacerdotum, subsequens probat exemplum.

Sapien. 6.

CAPVT XX.

De incontinentia ecclesiasticorum.

COncubina cuiusdã sacerdotis, cùm esset moritura, sicut à quodam religioso didici, cum multa instantia calceos sibi nouos, & bene *taccumatos fieri petiuit, dicens; Sepelite me in eis, valde enim erunt mihi necessarij. Quod cùm factum fuisset, nocte sequenti, longè ante lucem, luna splendente, miles quidam cum seruo suo per viam equitans, fœmineos eiulatus audiuit; mirantibus illis quidnam hoc esset; Ecce mulier rapidissimo cursu ad eos properans clamauit; Adiuuate me,

**al taccinatos.*

me, adiuuate me. Mox miles de equo descendens, & gladio circulum sibi circumducens, fœminam bene notam infra illum recepit: sola enim camisia & calceis prædictis induta erant. Et ecce, ex remoto vox quasi venatoris terribiliter buccinantis, nec non & latratus canum venaticorum præcedentium, audiuntur. Quibus auditis, illa dum nimis tremeret, miles cognitis ab ea causis, equum seruo committens, tricas capillorum eius brachio suo sinistro circumligauit, dextera gladium tenens extentum. Approximante infernali illo venatore, ait mulier militi; Sine me currere, sine me currere, ecce appropinquat. Illo fortius illam retinente, misera diuersis conatibus militem pulsans, tandem ruptis capillis effugit: quã diabolus insecutus, cœpit, equo suo eam injiciens, ita vt caput cum brachijs penderet ex vno latere, & crura ex altero: post paululum, militi sic obuians, captam prædam deportauit. Qui manê ad villam rediens, quid viderit exposuit, capillos ostendit, & cùm minus referenti crederent, aperto sepulchro, fœminam capillos suos perdidisse repererunt. Hæc contigerũt in Episcopatu Moguntinensi. APOLLONIVS: Si Deus sic punit peccatum fornicationis in concubinis, puto quod multo durius illud puniat in sacerdotibus, qui illas peccare faciũt. CAESARIVS: Verum dicis. Præterea peccatum multum aggrauant ordo & scientia: in eodem genere peccati, pl⁹ monachus, quam secularis. Idem intelligas in sexu fœmineo.

CAPVT XXI.

SAnctimonialis quædam de quodam monasterio nobis vicino, quod nominare nolo, cùm tempore quodã concepisset, ne proderetur eius

ſtuprum,partum intra ſe necauit: poſtea infirmata grauiſſimè,ob nimiam verecũdiam, confeſſis omnibus peccatis alijs, ſtuprũ & parricidium tacuit, ſicque expirauit. Pro cuius anima cùm quædam eius cognata plurimum laboraret, defuncta ei in oratione viſibiliter apparens, infantem igneum in manibus geſtauit, dicens; Infantem hunc concepi & parturiui,animatum interfeci,vnde illum indeſinenter in tormentis circumfero, & eſt mihi ignis ardens & deuorans: quod ſi de hoc maximo peccato moriens confeſſionem feciſſem, gratiam inueniſſem.Ex quo colligitur,quod peccata quę hic detecta non fuerint per confeſſionem, in futuro per pœnalem detegantur confuſionem. APOLLONIVS: Quando anima egreditur de corpore, nouit ſtatim quid de ſe fit futurum? CAESARIVS: Hoc videtur probari ſcriptura dicente in perſona reproborum:Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Ex quo probatur quod electorum animæ, qui agilioris ſunt naturæ, mox ſunt ante Deum.Quod ſi aliquid in eis purgandum eſt, ſimili velocitate deducuntur in purgatorium, in quo ſaluationis certitudo eſt. APOLLONIVS: Huic diuerſæ viſiones contradicere videntur, in quibus legitur, quod opera bona, necnon & mala, in ſtatera poſita ponderentur. His etiam conſentire videtur quædam viſio in dialogo Sancti Gregorij,quam ipſe minimè diffinit, de quodam, qui in ponte poſitus, manibus ab angelis trahebatur ſurſum,propter opera miſericordiæ; coxis verò & cruribus deorſum; propter opus luxuriæ: quibus tamen victoria ceſſerit, dicit videntem ignoraſſe. CAESARIVS: Licèt autoritas ſcripturarũ præferenda ſit huiuſmodi viſionibus, referam tamen quod nuper audiui.

Iob. 21.

Gregor. li. 4. dialogo. cap. 36.

CAP.

CAPVT XXII.

ANte annos paucos Romæ quidam Cardinalis defunctus eſt,nomine Iordanus: de ordine quidem Ciſtercienſi aſſumptus fuerat, ſed vita ordini in eo minimè concordabat; erat enim auarus valde, ſicut à quodam Abbate audiui. Habebat autem notarium nomine Pandolphum: hunc cùm pro quodam negocio,neſcio quo, miſiſſet,interim expirauit.Eadem hora, cùm ille expleto negocio rediret,manè ante lucem,cateruam miſerabilem in agro contemplatus eſt: ſedebant homines in iumentis, in ore caudas habentes, verſis dorſis ad capita illorum: quos Iordanus, cuculla indutus,nudis pedibus ſequebatur, duobus dæmonibus ſe ducentibus. In quorum aſpectu dum notarius nimis horreret, clamauit Cardinalis; Pandolphe, Pandolphe: ſubſiſtente clerico, & dicente; Quis es,aut quid clamas?Reſpondit ille; Ego ſum Iordanus dominus tuus, & mortuus ſum. dicente illo,quò ducimini?Reſpondit,ante tribunal Chriſti.Et ille; Noſtis quid de vobis ſit futurum? Non noui, inquit, Deus ſcit; ſed cùm illuc venero,beatus Petrus de cardinalia mea, pro me redditurus eſt rationem,ſanctus verò Benedictus, de cuculla: quòd ſi illam mihi obtinere poterit, ſaluabor; ſin autem,damnabor.Sicque oculis eius ſubtractus eſt. APOLLONIVS: Non mihi placet in illo ducatu præſentia dæmonum, & abſentia ſanctorum angelorum. CAESARIVS: Hæc dicta ſunt de pœnis reproborum. APOL. Licèt huiuſmodi viſiones ſæpe ſint veræ, magis tamen ei credere, qui reuertens ab inferis viſa recitaret. CAES. Hoc fieri poſſe Iob cõ tradicit; Sicut, inqt, conſumitur nubes, & pertrãſit; ſic qui deſcẽderit ad inferos, non aſcẽdet; nec reuertetur vltra in domũ ſuam, neq; cognoſcet eum amplius locꝰ. eius. Referã tibi tamen q̃ ante bienniũ audiui.

Iob. 7.

CAPVT XXIII.

THeodericus Traiectensis Episcopus de castro Nureberg oriūdus, seruū quendam habebat, Euervvach nomine, prouidū satis, qui in diuersis locis bona illius dispensauit: erat in cōmisso fidelis, in administratione vtilis, diligens ac circūspectus, propter q̄ à domino suo amabatur. Vnde quidam ex officialibus ei detrahentes, ex inuidia accusabant illum apud Episcopum, dicētes; Domine nō fideliter, vt æstimatis, Euervvachus bona vestra dispensat, cōsulimus vt cū eo cōputetis. Quod cum factum fuisset, tam rationabiliter cōputauit, vt omnem Episcopo tolleret suspitionem: habebat enim omnia notata in chartula. Scisciantibus accusatoribus de computatione, cum Episcopus respondisset; Optimè computauit, dixerunt illi; Nequaquam, sed computet nobis audientibus, & conuincetur maximum vobis damnū intulisse. Quod cum ei intimatum fuisset ab Episcopo, ille timens æmulorum insidias, maximè quia chartulam perdiderat, ait intra se; Si aliquid modò in computatione titubauero, necesse erit me vel in corpore torqueri, vel carceris squalore vsque ad mortem cruciari. Immissione igitur diaboli, cuius instinctu ab inuidis indebitè vexabatur, campum solus intrauit, ipsumque diabolum aduocans, sic affatur dicens; Domine si mihi succurretis in tanta necessitate posito, homagium tibi faciam, & in omnibus parebo. Cui diabolus respondit; Si abrenunciaueris altissimo, matriq; illius, te suscipiam, & de omnibus periculis, cū multa tuorum confusione æmulorū, à me liberaberis. Quid plura? Abrenūciat miser Christo, homagium facit diabolo, prospere succedit cōputatio. Ab illo tēpore cœpit diaboli virtutes

tutes magnificare, CHRISTVM blasphemare, adeò vt diceret; qui seruiunt Deo, miseri sunt & egent, qui autem sperant in diabolo, prosperis successibus gaudent. Et, sicut mihi retulit Bernhardus monachus noster, qui eum tunc temporis nouit, ita totus deditus erat artibus magicis, vt si aliquē nosset scholarem eiusdem disciplinæ, nummis eū redimeret, vt aliquid ab illo discere posset. Qui cùm vndecim annis in hac blasphemia perseuerasset, accidit vt magister Oliuerus Scholasticus Coloniensis, in episcopatu Traiectensi crucem prædicaret: cuius prædicationi ille in tantum restitit, vt die quadam commotus Oliuerus, diceret ei in audientia totius populi; Tace infelix: vas enim diaboli es, & diabolus loquitur per os tuum; cùm tamen statum eius ignoraret. Euervvachus nullum arbitrans gratius obsequium se posse præstare domino suo, quàm vt inimicum eius occideret, tribus diebus ad diuersas stationes secutus est magistrum, longo ad hoc cultello præparato, transfodere illum proponens, si fortè sine turbis inueniretur. Et ecce, tertia die subita infirmitate præoccupatus, post paucos dies impœnitens decessit, & defunctus est, & ab eo, cui se reddiderat, ad loca pœnarum inferni deductus est. Primo loco, sicut ipse resurgens à mortuis confessus est Ioanni Scholastico Xantensi, à quo ego, quę dicturus sum, audiui, missus est in ignem tam intolerabilis ardoris, vt diceret, si ex omnibus mūdi lignis vnus ignis esset confectus, mallem in eo vsque ad diem iudicij ardere, quàm per spacium vnius horæ, illum sustinere. Ex quo extractus, iactatus est in locum tam frigidissimum, vt optaret redire in ignem. Deinde deductus est in tenebras palpabiles, tanti horroris, vt diceret intra se; Si seruiuisses centum annis Deo, bene te remunerasset dummodo liceret tibi

redire ad frigus. In hunc modum sex reliquas pœnas, quas scriptura enumerat pertransiuit. Quo in extrema pœna posito, Dominus opera eius priora considerans, & vt passa, vel visa, viuentibus recitaret, misertus illius, angelum suũ misit ad eum, qui diceret; Ecce talem mercedem recipiunt, qui seruiunt diabolo, subiunxitque; Si tibi liceret ad vitã redire, velles pro peccatis tuis satisfacere Deo? Ad quod verbum ille suspirans, respondit; Domine, si hoc esset possibile, nullam abnuerem satisfactionem. Tunc angelus; Domino placet, vt ad corpus redeas, & quia in cruce peccasti, per crucem satisfacias. Mox se in feretro erigens, omnes, exceptis duobus iuuenibus, qui constantiores erant, in fugam conuertit: quibus & ait; Ne timeatis, quia ego sum: statimque sacerdotem accersens, peccata sua confessus est, crucem suscepit, & cum domino Ottone Episcopo, prædicti Theoderici successore, transfretauit. In via, singulis diebus in pane & aqua ieiunauit, iuxta equum suum, in quo vestis eiꝰ, & arma portabantur, nudis pedibus cucurrit; & cùm petris secantibus, sanguis perfluens viam cruentaret, satis à cõfratribus arguebatur: quibus respondit; Maiora horum sustinui. Qui cùm penè omnia sua in Christi seruitio expẽdisset, cum prædicto Episcopo, & magistro Ioanne rediens, mare transiuit, de quo cùm nauta naulum requireret, nec haberet, ait; Ego vobis seruiam quoadusque volueritis: ad petitionem tamen prædictorum virorum dimissus est à nauclero. Qui cùm reuersus fuisset ad vxorem suam, sacro igne tactus est, cui ardenti, quadam nocte in somnis dictum est, quia si ad ecclesiam sancti Nicolai accederet, statim conualesceret: vbi dum orans quatuordecim orationes dixisset, nec conualuisset, desperatus ait; Sancte Nicolae, quid moraris? Mox vt quintamdecimam

decimam orationem incepit, perfectè integreq; conualuit, & est vsque hodie calor ignis in eius corpore, sine omni dolore. Quam Ecclesiam, quæ in villa sancti Nicolai sita est, de suo patrimonio reædificans, in habitu religioso cum vxore sua Deo, & sancto Nicolao in ea deseruit. APOLLONIVS: Vellem scire perfectè, vtrum iste reuocatus sit de inferno, siue de purgatorio. CAESARIVS: Satis inde disputatum est: quòd non fuerit in purgatorio, ex hoc probatur, quòd locus electorum sit, in quẽ nullus ingreditur, nisi in charitate decesserit. Si obijcitur illud; In inferno nulla est redemptio; potest dici, de illis intelligendum esse, qui non sunt reuersuri ad corpus, quibus nulla ad redemptionem prosunt beneficia. Vna est lex omnium contrariorum: si Deus quorundam animas, sicut legitur in dialogo, quandoque reuocat ad corpus de gaudijs paradisi, quare non, à simili, malorum animas de pœnis inferni? Sicut dictum est in distinctione prima capitulo tricesimoquarto, clericus quidam, custodiente se diabolo, corporaliter ad pœnas infernales est deductus, & incolumis reductꝰ. APOLLONIVS: Placet quod dicis. CAESARIVS: Nunc de pœnis purgatorij aliqua tibi proferam exempla, ab acrioribus ascendens ad mitiores, causas purgatorij vtiles satis subnectendo.

Greg. l. 8. moral. ca. 14. & l. 9. ca. 45. & 46.

CAPVT XXIIII.

De purgatorij pœnis animarum.

VSurarius quidam nostris temporibus apud Leodium defunctus est, & ab Episcopo de cœmiterio eiectus: vxor verò illius sedem Apostolicam adiens, cùm pro cœmiterio supplicaret, & Papa non annueret, in hunc modum pro eo allegauit; Audiui dñe, quia vir & mulier vnum sunt, & q̃ Apostolus dicat, Virum infidelem, posse saluа-

1. Cor. 7.

saluari per mulierem fidelem: vnde quicquid minus factum est à viro meo, ego quæ pars corporis eius sum, libentissimè supplebo: parata enim sum pro illo concludi, & Deo pro eius satisfacere peccatis. Supplicantibus verò pro ea Cardinalibus, ad mãdatum domini Papæ cœmiterio restituitur: iuxta cuius sepulchrum, illa domicilium fieri fecit, in quo se includens eleëmosynis, ieiunijs, orationibus, & vigilijs, die noctuque Deum pro illius anima placare studuit. Septẽ verò annis expletis, ille ei apparens in veste pulla, gratias egit, dicens; Reddat tibi Dominus, quia propter tuos labores erutus sum de profundo inferni, & de pœnis maximis: quod si adhuc alijs septem annis similia beneficia mihi impenderis, omninò liberabor. Quod cùm illa fecisset, iterum ei in veste alba, & facie iocunda apparens, ait; Gratias Deo, & tibi, quia hodie liberatus sum. APOLLONIVS: Quomodo dixit se liberatum de profundo inferni, cùm nulla in eo sit redemptio? CAESARIVS: Profundum inferni, acredinem vocauit purgatorij. Simile est illud, quod ecclesia orat pro defunctis; Domine Iesu Christe rex gloriæ, libera animas omnium fideliũ defunctorum, de manu inferni, & de profundo lacu, &c. Non orat pro damnatis, sed pro saluandis, & accipitur ibi manus inferni, profundum laci, siue os leonis, pro acredine purgatorij. Nequaquam prædictus vsurarius fuisset à pœnis liberatus, si nõ habuisset finalem contritionem. Quantum verò vitium auaritiæ Deus in suis electis in purgatorio puniat, sequens sermo declarat.

CAPVT XXV.

IN monasterio Claræuallis Prior quidam mortuus est nostris temporibus, vir admodum religiosus,

giosus, & amator disciplinæ præcipuus: hic post mortem visibiliter apparens ancillæ Dei Aczellinæ, forma & habitu statum suum satis ostẽdit: erat enim facies eius pallida, ac macilenta, cuculla tenuis, & attrita: quem cùm interrogasset, quomodo haberet, respondit; In magnis pœnis hactenus fui, sed gratia cuiusdam fratris, qui mihi plurimum astitit, in proxima solennitate Dominæ nostræ liberabor. Stupente illa ac dicente; Nos putauimus vos esse virum valdè sanctum: Respondit; Nihil aliud Deus in me punit, nisi quia nimis fui sollicitus ampliare possessiones monasterij, sub specie virtutis, vitio auaritiæ deceptus. Hæc dicta sint de pœna auaritiæ: audi aliquid de pœna luxuriæ.

CAPVT XXVI.

ANte hoc triennium, cùm dominus Henricus Abbas noster visitasset in Clarocampo, tempore quadragesimali, etiam sorores in Nazareth visitauit. Eadem nocte, dictis matutinis, cùm se modicum reclinasset, huiusmodi visionem vidit: Videbatur sibi esse in quodam loco parietibus clauso, in quo quidem grauissima suspiria, & gemitus audiuit, sed cùm diligentius circumspexisset, neminem ibidem videre potuit: cumque audita suspiria durarent, causam admirans, sic ait; Adiuro te per Dominum nostrum Iesum, vt quid tu sis, edicas mihi. Cuius cùm nullum audisset responsum, adiurationem iterauit. Tunc quasi aliquid accedere proprius sentiens, nil tamen videns, huiusmodi audiuit respõsum; Ego sum vna misera anima. Et ille; Satis miserè gemis, cùm tamen ignorem quæ sit causa miseriæ. Respondit illa; In acerbissimis sum pœnis. Ad quod Abbas; Quæ est causa pœnarum tuarum? Quia non seruaui castitatem

Luxuriosorum.

tem meam. Et ille; fuisti mas, an fœmina? Respondit; Fœmina. Et quod, inquit, tibi nomen? Dicente illa; Maria. Mox subiunxit; Poteris ne iuuari? Ad quod illa non respondit; sed ad preces cõuersa, sic ait; Rogo vos per omnipotentem Deum, vt dicatis mihi psalterium vnum, & insuper aliquot Missas. Cuius precibus cùm libẽs annuisset dominus Abbas, protinus subiecit, possem ne videre te? Et ecce, hoc sermone completo, vidit coram se stare pulchram iuuenculam tonsuratam, more claustraliũ, in subnigra tunica: quam cùm plura interrogare vellet, tam de statu eius, quàm de statu aliarum quarundam, excitatus est. Dicta verò prima, quid viderit, Abbati Claricampi, & quibusdam monachis eius, nec non & mihi, qui tunc præsens eram, retulit, nec erat qui visum intelligeret, vel interpretari posset. Recitata est visio sororibus de Nazareth, sed non est inuenta Maria. Sciens verò sæpè dictus Abbas, tam manifestam visionem sibi sine causa minimè ostensam, cùm venisset in Syon, quæ etiam est domus sanctimonialium ordinis nostri, sicut & Nazareth, post verba exhortationis, somnium retulit, Mariam suam inuestigans. Et ecce, vna sanctimonialium, matertera eiusdem Mariæ, hæc audiens, & admirans, secretius Abbati locuta est, dicens; Domine Maria hæc, filia sororis meæ fuit, sanctimonialis in quodam Claustro Frisiæ nigri ordinis, quod Bredehorn vocatur, & est ante octo annos defuncta: quæ cùm fuisset in quadam grangia monasterij, quidam clericus eam corrupit, & impregnauit. Cùm verò in partu periclitaretur, vocans patrem, & matrem, & duas sorores maritatas, nec non & filiam materteræ suæ de Syon, confessa est eis peccatum suum cum gemitu cordis, sicque expirauit. Illi verò de animæ eius salute desperantes, nihil ei beneficij impenderũt.

Audiens

Audiens hæc Dominus Abbas gratias egit Deo, qui non tradit bestijs animam confitentem sibi, & animã pauperis sui non est oblitus in finem, sciens in ea completum; In quacunque hora peccator ingemuerit, saluus erit. Cuius hortatu, parentes spe concepta, cœperunt ei beneficia impendere, sed & ipse Abbas, tam in monasterijs Frisiæ, quàm in religiosis domibus prouinciæ nostræ, Missas, & orationes, atque psalteria plurima ei obtinuit, exceptis his, quæ ipse ei specialiter impendit. *Psal. 73.*

CAPVT XXVII.

Miles quidam veniens ad sororem *Gertrudem inclusam de Volmensteyn, sicut ab eiusdem ore audiuit Daniel Abbas Sconauiæ, qui nobis audita recitauit, pro anima vxoris suæ nuper defunctę illi supplicauit. Cui oranti illa apparens, in pœnis magnis se esse conquesta est: quæ dũ causam requireret pœnarum, eò quod pro honesta, & bona muliere haberetur, respondit illa; Pro arte magica: timui enim ne vir meus cum alijs mulieribus peccaret, si me odiret, & ego illi causa essem adulteriorum: vnde quibusdam artibus, sicut edocta fueram, aliquid ad amorem meum illum inflammaui; & quia in causa non erat libido, sed pia intentio, bene potero iuuari. Hæc cùm relata fuissent militi, vxori valdè condolens, orationibus, ieiunijs, & eleemosynis illi succurrere studuit, animam eius, quibuscunque poterat, commẽdans. APOLLONIVS: Terribile est, quod Deus iudicio nostro tam minima, tã grauiter punit. CAESARIVS: De hoc referam exemplum. *Magiæ pœna. *al. Berirardam.*

CAPVT

CAPVT XXVIII.

Minuta puniri delicta.

MOnachus quidã ordinis nostri nuper cuidam post mortem apparens, requisitus de statu suo, sic respondit; Nunquam putabam Dominum fuisse tam districtum: nam minima, quę hic non fuerint per satisfactionem deleta, obseruat: deinde subiunxit & hoc; Deus, inquit, ignoscat prælatis nostris, quia magnis & multis sæpe nos subijciunt pœnis, valdè illorum præcepta ligant: quando enim indiscretè aliquid præcipiũt, & subditi hoc minus attendunt, vel paruipendunt, futuro iudicio reseruatur. APOLLONIVS: Quid dicis de monachis pertinacibus? CAESARIVS: Pertinacia vitium est pœna dignum, etiam si fuerit bona, contra præcepta prælatorum.

CAPVT XXIX.

Pertinacia.

IN regno Franciæ, domus est, quæ Pruli dicitur, ordinis Cisterciensis: in hac recenter contigit res satis mirabilis, sicut retulerunt nobis Abbates nostri anno præterito reuertentes de generali capitulo: nam quidam ab Abbate, in quo visio facta est, se audiuisse testati sunt; Adolescens quidam in eadem domo factus est nouitius, quem magister suus mox secutus est, qui cùm factus fuisset monachus, ita districtè se habuit, ita singularis fuit, vt ei Abbas timeret, & pro indiscreto feruore sæpius argueret. Ille verò salutaribus monitis nõ acquiescens, in pertinacia sua perseuerauit, sicque post aliquot annos defunctus est. Nocte quadam, cùm Abbas quarta feria ad laudes in stallo suo staret, & contra presbyterium respiceret, tres personas, quasi tres candelas ardentes, ad se venire contemplatus est; quibus proprius accedentibus, cog-

nouit

nouit omnes: medius fuit prædictus scholasticus, & ex vtroque eius latere duo Conuersi, omnes nuper defuncti. Tunc Abbas memor pertinacię scholastici, interrogauit eum dicens; Quomodo habes? respondente illo bene: mox subiunxit; Nunquid passus es pro inobedientia tua? Etiam, inquit, multa, & maxima tormenta, sed quia intentio mea bona, licet indiscreta fuerat, Dominus mei misertus est, nec sum damnatus. Et ait Abbas; Quid est quod iste Conuersus, digito eum demonstrans, altero clarior est, cùm ipse apostatauerit, & alter nunquã ex quo ad ordinem venit, grauiter excesserit? Respõdit monachus; quia iste post lapsum fortius surrexit, & altero multo feruẽtior fuit. Interim choro cantante versiculum, Pedes sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris conticessent, scholasticus signa suæ præsentiæ ibi relinquere volens, tabulam pedibus psallentium substratam tam fortiter calce percussit, vt frangeretur, sicque disparuit. Abbas verò in testimonium tam manifestæ visionis, tabulam fractam reparari, vel mutari nõ permisit. APOLLONIVS: Ista recitari deberent monachis, qui ex indiscreto feruore sibi, & alijs inutiles fiunt. CAESARIVS: propter eos Sanctus Benedictus in regula dicit, octauum gradum humilitatis esse, vt nihil agat monachus, nisi quod communis monasterij regula, vel maiorum cohortantur exempla. APOLLONIVS: Sicut quidam in rigore suo nimis sunt pertinaces, ita alij verbis, vel signis, nimis sunt leues. CAESARIVS: Et hi pœna digni sunt.

1. Reg. 2.

S. Benedi. ca. 7. Regulæ suæ.

CAPVT XXX.

Leuitas.

SAcrista quidam apud Vilarium meis temporibus defunctus est, nomine Ioãnes, hic quidem religiosus satis fuit, sed in verbis, atque signis,

leuem

leuem admodum se exhibuit. Die quadam post mortem eius, cùm dominus Vlricus, tunc Abbas, intraturus esset oratorium, & vnum pedem posuisset introrsum, clara luce predictus Ioannes illi apparens, ad pedes eius procidit, orationes postulás: quo viso Abbas territus, pedem retraxit, ostium post se claudens. Et iudicatum est à fratribus, causam purgatorij eius maximè fuisse leuitatem. APOLLONIVS: Quid si ipsi Abbates ordinem suum minus custodierint? CAESARIVS: Sicut subiecto probabitur exemplo, & ipsi pœnæ subiacebunt.

CAPVT XXXI.

Laborum fuga.

RECitauit mihi nuper Henricus maior cellerarius de Claustro, visionem notabilem satis; Contigit, inquit, vt die quadam haberem socium viæ monachum quendam ordinis nostri, cumque simul conferremus de ædificatorijs, dixit mihi; Ego vobis referam quid nuper contigit in domo nostra; Habebamus Abbatem virum in disciplina ordinis satis perfectum, excepto hoc solo, quòd nunquam penè cum fratribus exire voluit ad labores manuũ: hic cùm moriturus esset, & monachus quidam, quem familiarius præ cæteris diligebat, ei seruiret, ait ei idem monachus; Domine, rogo vos intuitu charitatis, vt infra hos triginta dies mihi apparendo, de statu vestro me certificetis. Respondit Abbas; Si mihi concessum fuerit, libenter faciam: sicque defunctus est. Monachus verò, quia multa fecerat ei bona, quotidianis lachrymis in oratione Deum pro illius excessibus ante aliquod altare placare studebat. Tricesima die, cũ iam monachus de Abbatis reditu desperasset, illi oranti apparens, ait; Ecce hîc sum sicut promisi tibi. Erat autem à cingulo, & sursum, tam corpore quàm

veste clarus valdè, crura verò eius vlcerosa, & ad instar carbonum nigerrima. Requisitus de statu suo, respondit; Tormenta quæ in cruribus sustinui, nulla lingua posset exprimere. Dicente monacho; Quæ fuit causa tantorum tormentorum? Ille subiunxit; Quia frequenter de labore mansi, nulla sæpissimè certa necessitate, vt est hospitum, siue audiendarum confessionum, me detinente. In residuo corpore nil pœnarum passus sum: roga igitur ex parte mea conuentum, vt aliquas orationes pro me Deo offerat, & spero me citius fore liberandũ. Vnde, inquit, sciam vos esse liberatum? Respondit ille; Ante hoc altare tibi apparebo. Dicta sunt hæc Priori, iniunguntur orationes, apparet iterum monacho, ab omnibus pœnis se ereptum gratulatur. APOLLONIVS: Miror vtrum plus mortuis valeãt orationes, vel eleëmosynæ. CAESARIVS: Audi de hoc solutionem cuiusdam mortui.

CAPVT XXXII.

An mortuis plus prosint orationes, quàm eleemosynæ.

QVidam post mortem amico suo apparẽs, cùm ab eo interrogaretur, vtrum sibi magis vellet impendi orationes, siue eleëmosynas. Respondit; Eleemosynas, eleemosynas; orationes enim tepidæ sunt. Hic deuotæ iustorum orationes *excluduntur, quæ penetrant cœlos. APOLLONIVS: Quid sentis de Missis? CAESARIVS: Nulla oratio, nulla eleemosyna, ad ereptionem animarum, Missæ potest comparari. In Missa Christus orat, cuius corpus & sanguis eleemosynæ sunt. Has eleemosynas pauper quædam anima sibi dari post mortem rogauit, sicut sequens docet exemplum;

**forte deest, non.*

Eccl. 35.

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT XXXIII.

Missæ sacrificium quantũ prosit defunctis.

Rom. 12.

ADolescens quidam nobilis ad Claramuallem veniens, receptus est in Cõuersum: qui non alta sapiens, sed humilibus consentiẽs, ad quandam grangiam missus, factus est ibi opilio ouium. Qui cùm die quadam oues sibi commissas in agro pasceret, apparuit ei quidam suus consobrinus in adolescentia sua defunctus, de cuius inopinato aduentu dum admiraretur, & diceret; Vnde tam citò aduenis, & quid quæris? Respondit ille; Mortuus sum, & pœnis maximis crucior. Et Cõuersus; Poteris iuuari necne? Respondit; Si potero habere tres Missas in ordine vestro, mox liberabor. Audiens hoc Conuersus, cum licentia magistri sui ad Claramuallem festinauit, & quid viderit, vel audierit Priori reuelãs, tres Missas, iam dicto impendi defuncto, eius gratia supplicauit: cui Prior gratanter annuens respondit; Ego vnam celebrabo, alias duobus sacerdotibus iniungam. Dictis verò Missis, mortuus iterum Conuerso apparens in prædicto agro, gratias egit, & dixit; Beneficio trium Missarum, quæ pro me dictę sunt, ab omnibus pęnis meis liberatus sum. Nec mirari debes, si tantum valet Dominici corporis immolatio, cũ quibusdam animabus ad liberationem prosit breuis verborum absolutio.

CAPVT XXXIIII.

Oratio breuis prodest.

DVM moreretur bonæ memoriæ Christianus monachus noster, cuius memini in distinctione quarta capitulo tricesimo, Abbas Geuardus domi non fuit: qui cum septima die capitulo præsideret, & cantor diceret secundum consuetudinem ordinis; Domine absoluite fratrem nostrum

strum defunctum; his verbis eum absoluit; Requiescat in pace. Eadem nocte, Christianus cuidam seniori presbytero, nomine Sifrido, tunc temporis nouitio, & nihil prorsus de hac absolutione scienti, apparens in somnis, ait; Hodie liberatus sum. Qui cùm visionem magistro suo Ludolpho recitasset, ille absolutionis eius recordatus, satis admiratus est verborum virtutem. APOLLONIVS: Miror si sancti, sub quorum regula religiosi viuunt, post mortem cæteris sanctis aliquid eis magis succurrant. CAESARIVS: Etiam, sicut in sequenti visione declaratur.

CAPVT XXXV.

Sancti sui ordinis religiosis succurrũt peculiariter.

NON est diu, quòd sanctimonialis quędam de monasterio Rindorp, quod iuxta Bonnam situm est, Elisabeth nomine, debitum carnis soluit: est autem idem monesterium de regula Sancti Benedicti Abbatis. Diligebat eadem Elisabeth specialiter Sanctum Ioannem Euangelistam, quicquid poterat honoris illi impendens. Habebat carnalem sororem in eodem monasterio, quæ Alheydis vocabatur, hæc cùm nocte quadam, dictis matutinis, in lecto suo sedens, officium defunctorum pro anima sororis decantaret, vocem quandam circa se audiuit. Et cùm requireret, quæ esset; respondit; Ego sum Elisabeth soror tua. Et illa; Quomodo habes soror, vel vnde venis? respondente illa; Malè quidem habui, sed modò bene sum; Alheydis subiunxit; Profuit tibi aliquid Sanctus Ioãnes, quem tam ardenter dilexisti? Respondit illa; Verè nihil, qui mihi astitit, sanctus pater noster Benedictus fuit; ipse enim genua sua pro me flexit ante Deum. APOLLONIVS: Cùm vix aliquis euadat purgatorium, valdè me terret, quod quidam dicunt, minimam pœnam in purgatorio, maiorem

esse omni pœna, quæ excogitari potest in hoc mũdo. CAESARIVS: Requisitus de hoc verbo à me quidam magnus theologus, respõdit; Falsissimum est, nisi intelligatur de eodem genere pœnæ, verbi gratia; Ignis ille, acutior est nostro, frigus frigore nostro, & sic de cæteris: quibus à certiori subsequẽtes visiones concordant.

CAPVT XXXVI.

De diuersis pœnis purgãdorum.

CIrca hoc triennium puella quædam paruula, nouem vt puto annorum, in monte Sancti Saluatoris, quæ domus ordinis nostri est, in aduentu ipsius Saluatoris mortua est: defuncta verò, clara die, conuentu stante in choro, ipsa chorum intrauit; intrans, ante altare satis profundè inclinauit, sic in locum suum, vbi stare solita erat, secedens. Quam iuxta se alia puella, penè eiusdem ætatis, stare videns, & mortuam sciens, tanto horrore concussa est, vt notaretur. Requisita verò à domina Benigna Abbatissa, à cuius ore audiui, quæ dicturus sum, cur ita in choro concuteretur, respondit; sic & sic soror Gertrudis in chorum venit, & cùm dictis vesperis commemoratio fieret domi næ nostræ, ad collectam se in terram, stãs iuxta me, prostrauit: finita verò collecta, se erigẽs, abijt: hæc fuit causa horroris mei. Abbatissa, timens illusiones diabolicas, ait puellæ; Soror Margaretha (hoc ei nomen erat) si denuò venerit ad te soror Gertrudis, dic ei; Benedicite: & si responderit tibi; Dominus; interroga vnde veniat, vel quid quærat. Sequenti die illa venit, & salutata, cùm respondisset, Dominus, puella subiunxit; Bona soror Gertrudis, vnde tali hora venis, vel quid apud nos quæris? Respondit illa; Ad satisfactionem huc veni, quia libenter tecum in choro susurraui, semiplenè verba proferens, idcirco in eodem loco iussa sum satisfacere, vbi me contigit peccare: & nisi tibi de eodem vicio caueas, eandem pœnam moriens sustinebis. Cùm quarta vice prædicto modo satisfecisset, ait consorori; Modò satisfactionem meam compleui, de cætero non me videbis: quod ita factum est: Nam ea aspiciente, tendebat versus cœmiterium, mirabili virtute murum eius transcendens. Ecce tale fuit purgatorium huius virginis. APOLLONIVS: Non est sanæ mentis, qui huiusmodi pœnam omni pœna huius mundi dixerit acutiorem. CAESARIVS: De hoc plenius in sequẽti cap. disputabitur: Margaretha verò ex cõminatione defunctæ sic territa est, vt infirmata, ad extrema deueniret: quæ rapta in excessum mentis, sic iacuit, vt omnibus defuncta videretur; post horam reuersa, quasdam ex sororibus in præsentia dominæ nostræ se vidisse, quasdam se illic non vidisse testata est: Dicebat etiam, quia eadem gloriosa virgo Maria, coronam in manu haberet, quam Steppo nis sacerdotis esse dicebat. Idem Steppo presbyter fuit valdè religiosus, & mirè charitatiuus in eodem monte Deo, prædictisque sororibus seruiens. Vt autem noueris non esse curandum, quacunque morte iustus moriatur, idem Steppo, cùm in acutis laboraret anno præterito, materia rapta in cerebrum, totus factus est phreneticus, ita vt multas blasphemias euomeret. Defuncto eo atque sepulto, Dominus merita eius volens ostendere, miracula ad eius tumbam dignatus est operari: infirmi, sicut audiui, super illam dormiunt, & sani surgunt. APOLLONIVS: Nunc edisseras, quæ residua sunt de purgatorio. CAESARIVS: Quibusdam sola carentia diuinæ visionis purgatorium est, sicut in hoc patet exemplo.

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT XXXVII.

ANte hos duodecim annos, monachus quidam VVilhelmus nomine apud nos defunctus est; puer quidem ad ordinem venit, & verè puer, quia purus & impollutus, genere nobilis erat, sed virtus mētis magis illum nobilitabat. Completo anno probationis, sequenti die cœpit infirmari, & post paucos dies, sancto fine decedēs, expleuit tempora multa. Qui statim post mortem, cuidam monacho apparens, cū de statu suo requireretur: respondit se esse in pœnis. De quo verbo, cum ille territus fleret, & diceret; Si tu es in pœnis, qui nūquā peccasti, quid fiet de me peccatore, meique similibus? Consolans eum defunctus ait; Noli flere, quia nullam aliam patior pœnam, nisi quod nondum vidi Deum: ipsam dilationem gloriæ, pœnam reputans, nec immeritò; Spes quæ differtur, affligit animam. Et adiecit; Ach quàm clarū erit quod statim veniet ante Deum. Rogate, inquit ex parte mea dominum Abbatem, vt in capitulo orationes iniungat pro me ad tempus, & vt ipse pro me dicat collectam, sicque liberabor. Dicente monacho; Vnde erit collecta illa? Respondit; De sancto Michaële. Manè cùm visio recitata fuisset domino Henrico Abbati nostro, ipse de eodem Archangelo statim missam celebrauit, in capitulo Psalmum, Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, dicendum per septem dies omnibus pro eo iniungens. Mira virtus orationum; Conrado, nunc Priore loci Sanctę Marię, stante in choro, cùm in vno versiculo illius psalmi Deus Deus meus, ad te de luce vigilo, leuiter dormitaret, sæpe dictum VVilhelmum sub pallio beatæ Dei genitricis stare conspexit, cū multa gratulatione dicē-

Prouer.13.

Psalm.41.

Psal.62.

tem;

tem; Modò omninò liberatus sum. Eodem tempore prædicto monacho secundò apparens testatus est tantum septem diebus se fuisse in purgatorio, id est, in carentia diuinæ visionis, multa illi de statu quarundam animarum reuelans. APOLLONIVS: Secundum hoc paradisus terrestris purgatorium est. CAESARIVS: Reuera, si in eo animæ sunt corporibus exutæ, & eis visio Dei negatur, idem locus deliciosus, eis est purgatorium: cui consentire videtur quod Sanctus Gregorius in dialogo dicit sub his verbis: Nam sunt quorundam iustorum animę, quæ à cœlesti regno quibusdam adhuc mansionibus differūtur. In quo dilationis dāno, quid aliud innuitur, nisi quod de pfecta iustitia aliquid min⁹ habuerunt? Sicut audiui à quodam magno theologo, quod quidam tā iusti sunt, vt post mortem puniri non mereantur, nec tamen statim Dei visione fruantur, propter puluerem venialium.

Gregor.li.4. dialog.ca.29.

CAPVT XXXVIII.

LOquamur nūc aliquid de purgatorio. APOLLONIVS: Vbi est purgatoriū? CAESARIVS: Quātum ex varijs colligitur visionibus, in diuersis locis huius mūdi. Paschasius, teste Gregorio, in calore termarum purgabatur. Monachus quidā sancti Eucharij, in rupe quadam iuxta Treuerim post mortem anno integro stetisse, & aëris inclementiam ibidem sustinuisse, narratur. Qui verò de purgatorio dubitat, Scotiam pergat, purgatorium sancti Patritij intret, & de purgatorij pœnis amplius non dubitabit. APOLLONIVS: Vellem aliquid certi nosse de eodem purgatorio, quid, vel quæ causa illius extiterit. CAESARIVS: Cùm sanctus Patritius gentem illam conuerteret, & de pœnis futuris dubitarent, precibus obtinuit à Deo

De purgatorio S. Patritij.

Gregor.li.4. dial. ca.40.

Videtur hic auctor confundere Scotiam & Hibernam.

locum illum. Est autem fossa humilis, muro vallata, & sunt ibi Regulares: non est peccator adeo magnus, cui alia satisfactio iniungatur, quàm vt vna nocte in eodem sit purgatorio. volentem intrare, præmissa confessione communicant, & inungunt, thurificant, & instruunt; Videbis, inquiũt, hac nocte, insultus dæmonũ, & pœnas horribiles, sed non poterunt te lædere, si nomen Iesu semper habueris in ore: quòd si dæmonibus blandientibus, siue terrentibus, consenseris, & Iesum inuocare neglexeris, peribis. Quem in vespera ponentes super fossam, locum claudunt, & manê reuertentes, si non comparuerit, vltra non expectatur. Multi ibi perierunt, multi etiam reuersi sunt, quorum visiones à prædictis fratribus conscriptæ sunt, & volentibus intrare ostenduntur.

CAPVT XXXIX.

NVper monachus quidam ordinis nostri, sicut didici ex relatione cuiusdam Abbatis, ex licentia proprij Abbatis purgatorium sancti Patricij intrare volens, dissuadentibus secundùm morem fratribus & Priore, super marginem fossæ positus est in vespera: mox locus versus est in baratrum, & ecce dæmones quasi de abysso bullientes, dixerunt monacho; Si vis intrare ad nos, depone crucem, (cucullam ad instar crucis formatam sic vocantes,) quibus respondit; Vestem meam nõ deponam, paratus sum intrare, paratus sum vobiscũ contendere, sed non sine veste professionis meæ. Cumque tota nocte in hunc modum cum eo verbis disceptarent, nec tamen tangerent, manê in eodem loco, vbi fuerat dimissus, repertus est. APOLLONIVS: Vnde habes autoritatem, quod post hanc vitam peccata remittantur? CAESARIVS: Dominus dicit in Euangelio; Qui dixerit verbum in Spiritum

Dimissio peccatorum post hanc vitam.

Matth. 12.

tum sanctum, non remittetur ei, neque in hac vita neque in futura. Ex quo colligitur, quod post mortem peccata venialia, necnon & mortalium pœna, quæ purgatorio essent punienda, meritis & precibus sanctorum suffragantibus, vel orationibus, eleemosynis, alijsque misericordiæ operibus ecclesiæ militantis intercedentibus, remittantur. Vnde Iudas Machabæus duodecim millia dragmas argenti misisse legitur Ierosolymam pro peccatis occisorum. Et hæc de purgatorio dixisse sufficiat. Hoc etiam scire debes, quod summè boni & martyres, talibus post mortem non indigent; summè malis, vt infidelibus nihil prosunt; mediocriter verò bonis, & mediocriter malis, prosunt quidem, sed differenter: illis, vt citius liberentur; istis, vt mitius puniantur, quorum tamen pœna interminabilis est. APOLLONIVS: Vellem nunc audire aliquid de gloria iustorum. CAESARIVS: Prius tria de pœnis reproborum præmittam exempla, locis suis neglecta, vt sic nigro colore subtracto, albus magis elucescat.

2. Matha. 12.

CAPVT XL.

TEmpore schismatis inter Ottonem & Philippum reges Romanorum, peregrinus quidam de trãsmarinis veniens partibus, sclauiniam suam pro vino, quod in illis partibus fortissimum est, exponens, in tãtum bibit, vt inebriatus à mente sua alienaretur, sic vt mortuum eum æstimarẽt. Eadem hora ductus est spiritus eius ad loca pœnarum, vbi super puteum igneo operculo tectum, residere conspexit ipsum principem tenebrarum. Interim inter cæteras animas adductus est Abbas Corueye, quem ille multum salutans, cum calice igneo poculum sulfureum ei ministrauit;

Reproborum, & primò ebriosorum, pœnæ.

strauit: qui cùm bibisset, amoto operculo, missus est in puteum. Peregrinus verò cum ante limina infernalia staret, & talia videndo tremeret, diabolus fortiter clamauit; Adducite etiam mihi dominum illum qui foris stat, qui serò vestem peregrinationis suæ pro vino exponendo inebriatus est. Quo audito, peregrinus ad angelum Domini, qui eum adduxerat, respiciens, promisit quia nunquam inebriaretur, dummodo illa hora de imminēti periculo liberaret eū: qui mox ad se reuersus, diem & horam notauit, rediensque in terram suam, eodem tempore prædictum Abbatem obijsse cognouit. Ego eundem Abbatem Coloniæ vidi, eratque homo valdè secularis, magis se conformans militi, quàm monacho. APOLLONIVS: Qui hic dediti sunt ebriati, puto, quod in inferno malè potentur. CAESARIVS: De hoc aliud tibi referam exemplum.

CAPVT XLI.

IN diœcesi Coloniensi, non procul à Colonia, miles quidam erat nomine Rudingerus, sic totus deditus vino, vt diuersarum villarum dedicationes, tantùm propter bona vina frequentaret. Hic cùm infirmatus moriturus esset, filia eū rogauit, vt infra triginta dies sibi appareret: quo respōdente; Hoc faciam si potero, expirauit. Post mortem verò, filiæ per visum apparens, ait; Ecce præsens sum sicut postulasti; portabat enim vas paruū & fictile, quod vulgo cruselinum dicitur, in manu sua, in quali in tabernis potare solebat. Dicente filia; Pater quid est in vase illo? Respondit; Potus meus ex pice & sulfure confectus, semper ex illo bibo, nec eum epotare valeo: sicque disparuit. Et statim intellexit puella, tam ex præcedenti vita, quàm ex pœna, modicam, vel nullam esse spem saluationis

uationis eius. Vinum quidem hic blandè ingreditur, sed nouissimè mordebit vt coluber. APOLLONIVS: Hoc tam in prædicto Abbate, quàm in Rudingero impletum considero. CAESARIVS: Sclauinia peregrini, qui eundem Abbatem in pœnis vidit, visionem satis mirabilem, ad memoriam mihi reducit. *Prouer. 23.*

CAPVT XLII.

ANte illud tempus, quo occisus est Conradus Episcopus Hildinshemēsis, peregrinus quidam in villa quadam moriens, sclauiniam suam sacerdoti legauit, animam suam illi commēdas: quam vestem sacerdos quidem suscepit, sed de anima modicum curauit, serui verò siue pueri, noctibus se illa tegebant. Non multò post, idem sacerdos in ordine nostro factus est nouitius. Nocte quadam in dormitorio iacens, & dormiens, per visionem raptus est ad loca pœnarum, in quibus maximus erat dæmonum concursus, & occursus; alij animas adducebant; alij adductas suscipiebant; alij susceptas tormentis debitis immittebant. Magnus illic erat clamor, & tumultus, gemitus, & plāctus. Interim prædictus Episcopus claustris infernalibus præsentatur, sed princeps tenebrarum, scilicet Lucifer, voce lugubri præsentantes sic affatur, dicens; Reducite, reducite illum; nō enim noster est, innocenter occisus est. Sacerdos talia videns, & pauens, post ostium se occultauit. Videns diabolus prædictam in angulo quodā sclauiniam, dixit; Cuius est vestis illa? Responderunt, sacerdotis illius, qui stat post ostium, quam cùm à quodam peregrino in eleēmosyna recepisset, nihil beneficij animæ illius impendit. Ad quod diabolus: Valdè occupati sumus, expediamus nos statim ab illo: tollensque vestem, quasi in fœtidum atque bulliens lixiuium intin-

intinxit, de qua cùm faciem & collum ſacerdotis percuſſiſſet, ille excitatus fortiter clamauit; Adiuuate, adiuuate. Quem cùm ſigno vocis compeſcerent: reſpondit; En morior, en incendor. Tunc ſurgentes, inuenerunt caput eius totum inuſtum, ſicque in infirmatorium deportauerunt ſemiuiuum: nullam enim fecerat de eadem negligentia confeſſionem. APOLLONIVS: Valdè terrere debet hæc viſio illos, qui multas habent eccleſias, & multas quotidie recipiunt eleemoſynas, & non deſeruiunt. CAESARIVS: Neque nos ſine timore eſſe debemus. His ergo quæ triſtitiæ ſunt omiſſis, veniamus ad præmia patriæ cæleſtis.

CAPVT XLIII.

De gaudijs cæleſtis patriæ.

IN monaſterio ſanctimonialium, quod Dytkirchen dicitur, quod in Bonnenſi ciuitate ſitum eſt, Abbatiſſa quædam fuit, nomine Irmendrudis. Erat enim virgo corpore, amatrix, imò in domo eadem reparatrix, diſciplinæ, & totius normæ iuſtitiæ: cùm verò moritura eſſet, paſſionem Domini coram ſe legi faciebat, & cùm ventum fuiſſet ad locum illum; In manus tuas commendo ſpiritum meum, ex multa pietate cordis, hæc verba, quę ei vltima fuerunt, dixit; O amantiſſime virorum: ſtatimque agonizans, cum CHRISTO, & in manus CHRISTI ſpiritum emiſit. Quæ cùm poſt mortem beatæ Aczellinæ apparuiſſet, & illa de ſtatu eius ſciſcitaretur: reſpondit; Statim in ipſa hora, quando anima mea egreſſa eſt de corpore, fuit ante Deum. Et illa; Quare ſoror non apparuiſti mihi per hos triginta dies? Reſpondit Abbatiſſa; Ego fui in gloria, & tu circa reliquias ſanctarum virginũ vndecim millium eras occupata, nec te volui impedire. Huius ſepultura cuidam ſorori, diu antequam Abbatiſſa efficeretur, præoſtenſa eſt. De

Lucæ 23.

alia ſiquidem domo, propter religioſitatem, ab Epiſcopo Philippo aſſumpta fuerat, eratque ſoror Cæſarij monachi noſtri, quondam Abbatis Prumienſis.

CAPVT XLIIII.

HAec Aczellina, habebat quandam ſpiritualẽ ſororem in congregatione vnicè dilectam: quæ cùm moritura eſſet, rogata eſt à beata Aczellina, vt ſibi poſt mortem appareret, quod & fecit. Nam cum die quadam ſtaret in oratione Aczellina, ſoror defuncta apparens ei in ſphęra ignea, ſciſcitanti de ſuo ſtatu, verſiculo Dauidico reſpondit, dicens; Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri &c. nihilque aliud loquens, oculis eius ſubtracta eſt. APOLLONIVS: Satis breuiter, ſatisque plenè, tam ſuum præmium, quàm ſupernæ ciuitatis gloriam oſtendit. CAESARIVS: Cùm mortuus eſſet beatæ memoriæ Dauid monachus Clauſtrenſis, cuius vita ſignis & virtutibus valde extitit illuſtris, data eſt prædictæ Aczellinæ vna ex tunicis eius, quam cùm propter viri ſancti amorẽ veneraretur valdè, ille quadam die ei apparens dixit: Bona ſoror, tunica mea non eſt tibi neceſſaria, ſed quidam peccator conuerſus eſt in Clauſtro, Gerardus nomine, cognomento VVasbart, illi des eam. quod & fecit. Sciens hoc frater eius carnalis Fredericus monachus noſter, partem ſibi dari petiuit ex eadem tunica, quam ille per medium ſcindens, partem ſibi retinuit, reliquam fratri tranſmiſit, per quam plurimæ ſanitates apud nos perfectæ ſunt. Cum quanta celeritate iuſtorum animæ cœlos penetrent, adhuc alio tibi pandam exemplo.

Pſalm. 47.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto Biblioteca

CAPVT XLV.

MOnachus quidam ordinis nostri, alteri cui dam monacho, sibi familiari, post mortem apparens, in gloria multa, cùm de statu suo requireretur, respondit; Nunquam sagitta de arcu emissa, tam citò volare potuit ad locum destinatũ, quàm citò anima mea de corpore egressa, fuit ante Deum; nec mirum, quadraginta enim annis Christo in ordine seruierat, ad instar sagittæ multos salubriter vulnerans exemplo rectæ conuersationis, pennis subleuatus contemplationis. In sagitta tria sunt, lignum, pennæ, ferrum: in ligno, propter fructum, exprimitur boni operis plenitudo: per pennas, gemina, id est, Dei & proximi dilectio: in ferro, quod acutum est, extrema compunctio. Nota quod sagitta non rectè ducitur, nisi sit pennata, neque peruenire potest ad locum destinatum: sed anima, etiamsi fuerit innumeris operibus bonis, id est, de genere bonorum, bene decorata, & ferro acutissimi doloris, timore peccatorum affecta, nunquam tamen sine alis charitatis, ad locum perueniet æternæ quietis. De hoc loco Dauid dicit in Psalmo: Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? APOLLONIVS: Sæpè in specie columbæ iustorum animæ leguntur cœlos penetrasse. CAESARIVS: Verum dicis: nam & vnum exemplum recentiori tempore gestum, de hoc tibi referam.

CAPVT XLVI.

IN ciuitate Bonnensi quædam inclusa erat habitans, religiosa satis atque deuota: hęc cùm nocte quadam rimulis cellæ suæ splendorem immiti cerneret, & diẽ esse putaret, territa propter horas nondum dictas, surrexit, fenestram versus cœmiterium aperuit: & ecce, iuxta caput sepulchri cuiusdam scholaris recenter illic sepulti, miri decoris fœminam stare conspexit: gloria corporis eius eandem lucem creauerat; stabat & columba niuea super tumulum, quam illa rapiens, misit in sinum suum. Inclusa verò, licèt iam intelligeret quę esset, tamen cum reuerentia, quænam foret requisiuit. Cui illa; Ego sum mater Christi, & animam scholaris huius, qui verè martyr est, tollere veni. Reuera scholares, si innocenter viuunt, & libenter discunt, martyres sunt: quod si postea artes doctas in charitate, maximè in Dei seruitio, exercuerint, magnam ex hoc mercedem consequentur. de hoc audias exemplum.

CAPVT XLVII.

IN Arnisberg monasterio ordinis Præmonstratensis, sicut audiui à quodam sacerdote eiusdem congregationis, scriptor quidam erat Richardus nomine, Anglicus natione; Hic plurimos libros in eodem cœnobio manu propria conscripserat, mercedem sui laboris præstolans in cœlis. Hic cùm fuisset defunctus, & in loco notabili sepultus, post viginti annos, tumba eius aperta, manus eius dextra tam integra, & tam viuida est reperta, ac si recenter de corpore animato fuisset præcisa, reliqua caro in puluerem redacta fuit. In testimonium tanti miraculi, manus eadem, vsque hodie in monasterio reseruatur. Bene erat manus huius scriptoris pennata, id est, opus eius charitate informatum. APOLLONIVS: Satis Deus ostendit in instrumento, quanta fuerit merces laboris in cœlo. CAESARIVS: audi aliud.

CAPVT XLVIII.

MAgister Petrus Cantor Parisiensis verbo, *voto, & exemplo plures ædificauerat. * al. vita.

*al. fontenella.

Hic in * Pontenella domo ordinis nostri factus est nouitius, & infra annum probationis defunctus est, & in capitulo sepultus: cumque postea, necessitate ædificiorum, corpus eius esset transferendũ, aperto sepulchro, tam magnus, & tam suauissimus ex illo odor efferbuit, vt nares omnium illius fragrãtia reficerentur. Odor ille, signum erat eximiæ eius doctrinæ, cuius mercedem receperat in cœlo. Quantum verò gratiæ, quantumque gloriæ, doctores, siue prædicatores, post hanc vitam mereantur, subsequens sermo declarat.

CAPVT XLIX.

SAcerdoti cuidam ordinis Præmonstratensis in hac, quæ modò fuit, expeditione, præceptum erat contra Saracenos crucem prædicare: cumque in ipsa prædicatione corporali molestia tactus hominem deponeret; cuidam socio suo post mortem apparuit: quem cùm ille interrogasset, quomodo haberet, vel si aliquid molestiæ moriens pertulisset. respondit; Videbatur mihi pœna mea satis longa, cumque morerer, non nisi dæmones circa me vidi, qui animam egredientem cœperũt abducere; ex quibus vnus dixit; Nunquam bene seruasti professionem tam, neque obedientiam Abbati tuo promissam. Et subiunxit statim alter; Nũquam prædicasti syncerè Dominum tuum, id est, gratis, & intellexi statim accusante conscientia, quia vterque verum dixisset: cumque in hunc modum diuersi diuersa contra me proponerent, & ego iam positus fuissem in desperatione, eò quod non esset qui pro me respõderet, maximè cùm circumspiciens, neque beatam Dei genitricem, neq; aliquem angelorum, siue aliorum sanctorum vidissem, ecce Christus adueniens manu tenuit me, dicens; Sequere me, quia tu prædicasti me. Mox turba

turba omnis spirituum illorum immũdorum disparuit ad instar fumi, & ego Christum secutus sum ad gloriam, nullam enim aliam pœnam, excepto illo terrore, passus sum. His etiam qui libenter orant, referam exemplum satis incentiuum.

CAPVT L.

CIVIS quidam Coloniensis habebat illam consuetudinem, vt quotiens solus esset, semper oraret; eundo ad ecclesiam, siue redeundo, vel in curia sua deambulando, angelicam maximè ruminabat salutationem. Qui cùm mortuus esset, cuidam nepti suæ in habitu splendido apparebat, in quo, maximè tamen in caligis, & in calceis, scriptum erat per totum versiculus; Aue Maria gratia plena etc. quia, vt dixi, eundem versiculum deambulando frequentauerat, cruribus eius, & pedibus, crebrius inscriptus apparebat. Ex his quæ dicta sunt colligitur, quod sicut Deus secundũ qualitatem & modum punit peccatum, ita remunerat & meritum, maximè in illis membris ostendens signum gloriæ, per quæ illa meretur. APOLLONIVS: Vnde est quod humana natura tantum abhorret mortem, cùm tanta sit ei à Deo gloria præparata? CAESARIVS: Ipse rex gloriæ Iesus Christus Deus & homo, in tantum secundum sensualitatem mortem abhorruit, vt timore illius sanguinem sudaret. Anima naturaliter appetit esse in corpore, nec potest ab illo separari; sine magna acerbitate. Lucæ 22.

CAPVT LI.

ANte hoc quadriennium, cùm Prior quidam de ordine regularium in quadam corte monasterij sui hospites collegisset, & iam men-

ſa eſſet præparata,ipſe tanto ſopore cœpit affici,vt niſi ocyus dormiret, moreretur. Qui cum in lecto ſe reclinaſſet,mox quidam eius Conuerſus, qui alteri grangiæ præerat,dormitãti adfuit dicens; Domine cum licentia veſtra vado:Et ille, Quò vadis. Reſpondit Conuerſus, Ad Deum vado, quia mortuus ſum in hac hora.Et Prior; Cùm multi perfecti viri tranſeant per purgatorium, quid eſt, quod tu tam abſolutè dicis te ſtatim eſſe iturum ad Deum? Ad quod ille reſpondit;Habebam conſuetudinem, vt quotiens tranſirem coram crucifixò, hanc dicerem orationem;Domine per illam amaritudinem, quam ſuſtinuiſti propter me in cruce, maximè quando anima tua egreſſa eſt de corpore tuo, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo: & exaudiuit orationem meam Dominus, meique miſertus eſt. Et dixit Prior;Quomodo fuit tibi morienti? Reſpondit;Videbatur mihi in agonia,quod totus mundus eſſet lapis vnus,& premeret pectus meum. APOLLONIVS: Verba huius Conuerſi illis concordant,qui dicunt nullam pœnam in hoc mundo amariorem ſeparatione corporis & animæ. CAESARIVS:Sicuti alibi dixi, de incertis non audeo iudicare: ſcio enim quod viri perfecti propter vitam futuram quandoque valdè ardenter deſiderant mortem.

CAPVT LII.

TRes iuuenes de ciuitate Bonnenſi conuerſionis gratia ad nouum caſtrum, domum ordinis noſtri venientes, omnes ibidem recepti ſunt:ex quibus vnus, Theodericus, alter Gunther-rus,tertius vocabatur Sigerus. Primo mortuo,Gũtherus reminiſcens ſuæ peregrinationis, & ſuperna beatitndinis, ad quam ſuum comitem iam vocatum crediderat, quotidie ad illius tumulum fleuit. Quem die quadam vox de ſepulchro his verbis

bis allocuta eſt;Conſolare frater, conſolare, quia citius venies ad me. Cuius vultum cum Abbas triſtem cerneret, & triſtitię cauſam ab eo requireret, & ille dicere renueret, vix ab eo, quæ dicta ſunt, extorquere potuit.Paucis diebus elapſis, precibus, vt puto,Theoderici adiutus,& ipſe vocatus eſt, illi coniunctus in cœlo, cui poſt multas lachrymas,vt dictum eſt, aſſociari deſiderauit in mundo. Hæc à Sigero Bonnæ recitata ſunt.APOLLONIVS:Puto quod merces iuſtorũ multa ſit in cœlo. CAESAR. Hoc tibi oſtendam in ſequenti capitulo.

CAPVT LIII.

COnuerſus quidam ordinis nigri ante paucos annos defunctus eſt;die quadam, duobus monachis cœnobij ſui in conclaui ſedentibus, ille oſtio latenter aperto ingreſſus eſt ad eos. Quo viſo, cùm terrerentur, ſcientes eum mortuum, ait ille;Cognoſcitisne me?Reſpondentibus illis, Bene te cognoſcimus,tu es talis frater noſter. Cœperunt eum interrogare de ſtatu quarundam animarum: quos ille de ſingulis expediuit, dicens quaſdam eſſe malè,quaſdam valde malè, quaſdam etiã bene,quaſdam valdè bene. Quem cũ etiã interrogaſſent de griſeis monachis. Reſpondit; Præmium illorum maximum eſt,& lucent ſicut ſol in regno cœlorum.Hæc mihi relata ſunt à quodam Abbate nigri ordinis.APOLLON.Huic viſioni cõcordat, quod dictũ eſt ſuperius in diſtinct.7.cap.60.vbi ordo noſter ſub mantello beatæ dei genitricis cõgregatus eſt. CAES. Verum dicis. APOLLON. Quod iuſtis repromiſſum eſt à Domino; Fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorum, neſcio vtrum intelligendum ſit de corpore, vel de anima. CAES. Corpora electorum poſt reſurrectionem lucebũt, vt credimus, ſicut ſol, non ſicut modò lucet, ſed

Matth. 13.

sicut luxit ante lapsum, hoc est, septẽpliciter tantũ
Isaiæ 30. vt modò, teste Isaia; Et erit, ait, lux lunæ, vt lux solis, & lux solis septẽpliciter, vt lux septẽ dierũ: anima verò multò plus lucebit quã corpus. APOLLONIVS: Claritatem corporum vellem mihi aliquo
Matt. 17. exemplo probari. CAESARIVS: Vt enim taceã de transfiguratione Dominici corporis, referam tibi exemplum, quod nuper audiui.

CAPVT LIIII.

MAgister quidam Parisiensis infirmatus, cùm de glorificatione corporum cogitaret, & hæsitans in corde suo diceret, quomodo poterit esse, vt corpora ista fictilia, & putrida, lucere possint in futuro sicut sol, ad pedes suos, quos de operimento erexerat, respexit. Et ecce, tantus splendor de illis exiuit, vt oculi eius reuerberati, eos intueri nequirent: moxque ad se reuersus, gratias egit Christo, cuius virtute, antequam moreretur, ad fidem resurrectionis reductus est. APOLLONIVS: Quomodo poterũt oculi tantum fulgorem sustinere? CAESARIVS: Vt dicit Augustinus;
Augu. l. 22. de ciuitate Dei. cap. 29. Longè erunt tunc alterius potentiæ, quàm modò nam & ipsi glorificabuntur.

CAPVT LV.

DVm sanctæ recordationis dominus Dauid monachus Claustrensis adhuc esset in corpore, sæpè sedẽs in labore, in ipsum globum solarem irreuerberatis oculis, ad instar aquilæ, respexit. Huius rei testes sunt seniores nostri, qui ea, quæ dicta sunt, sæpius viderunt. Si enim Deus tantam virtutem tribuit oculis infirmis, quid hoc miraris de oculis glorificatis? APOLLONIVS: Dic quæso, quæ erit gloria corporum, vel quæ gloria animarum? CAESARIVS: Vtriusque hominis gloria nobis inexplicabilis est.

CAPVT

CAPVT LVI.

IN nouissimo die, vt dicit Apostolus, omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur: soli De dotibus
electi immutabuntur, per glorificationem v- beatorum.
triusq; hominis. Gloria corporis cõsistit in quatuor 1. Cor. 15.
dotibus, id est, in subtilitate, claritate, immortali- Corporum.
tate, agilitate. Quatuor erũt dotes corporis, vt omnis eius natura glorificetur: corpus constat ex quatuor complexionibus, id est, sanguine, cholera, melancholia, flegmate, quæ cum quatuor elementis concordant; sanguis concordat cum aëre, cholera cum igne, melãcholia cum terra, flegma cum aqua. Est adhuc alia horum cum ætatibus, & temporibus cõcordantia, quæ huic loco nõ est necessaria. Quicquid enim corpus humanum habet de aëre, transibit in subtilitatem; quod de igne, in claritatẽ; quod de terra, in immortalitatem; quod de aqua, in agilitatẽ. De his quatuor dotibus scriptũ est; Fulgebunt
iusti, & tanquã scintillæ, in arundineto discurrent. Sapien. 3.
Fulgebũt, ecce claritas; & tanq̃ scintillę, ecce subtilitas; nihil subtilius scintilla; in arundineto discurrent, ecce agilitas, discursus agilitatẽ exprimit. Per hoc quod sequitur; Et regnabunt in æternum, ex- Animarum.
primitur immortalitas, vel impassibilitas. Dotes verò animæ sunt, agnitio, dilectio, fruitio: anima beata Deum agnoscet, agnitum diliget, fruetur dilecto. Post resurrectionem generalem, septenarius iste, trinitati personarum iungetur, & felix tunc ille denarius, electis repromissus, perficietur.
Erit tamen in dispari claritate, par gaudium, vt ait Matt. 20.
Aug. quod non est intelligendũ de affectione cordium, sed de rebus, de quibus gaudetur, vnusquisq; Augu. l. 22.
ibi gaudebit de gloria alterius. Quod dotes debeãt de ciuit. Dei
inæquales esse, dicit Apostolus; Sicut, inquit, stel- cap. 30.
la à stella differt in claritate, ita erit & resurrectio mortuorum. APOLLONIVS: De

Universidad de Deusto Biblioteca

die iudicij vellem nunc aliquid certificari. CAES. De die illo, nemo scit, quia dies Domini sicut fur in nocte, id est, inopinatè, & improuisè, ita veniet. APOLLON. Vbi erit iudiciũ? CAESAR. Super vallem Iosaphat in aëre. APOLLON. Quot erũt ordines in iudicio? CAESAR. Quatuor, quidã, vt summè boni, iudicabunt & saluabuntur; summè mali, sine iudicio damnabuntur; mediocriter boni iudicabuntur, & saluabuntur, mediocriter mali iudicabuntur, & damnabuntur. APOLLON. In qua forma apparebit Christus? CAESAR. In forma serui omnibus apparebit, sed glorificata. APOL. Exhibebit omnibus eundem vultum? CAESAR. Non, bonis apparebit mitis, malis terribilis: hoc tibi ostendam per exemplum.

Matt. 20.
1. Thes. 5.

CAPVT LVII.

CIrca hoc biennium, sacerdos quidam mortu' est in Briseke villa diœcesis Coloniensis, de ordine templariorũ, nomine Einolphus, vir satis religiosus. Quæ de illo dicturus sum, ipse mihi ore suo, non semel, sed sæpius recitauit. Cùm adhuc puer esset in domo materteræ suæ, infirmatus, sacram communionem suscepit: & cum se inungi peteret, quibusdam dissuadentibus, dilatum est, sicq; sine eodem sacramento expirauit. Adfuit & angelus Domini, qui dixit; Malè actũ est cum puero isto, eò quod sine sacra inunctione obierit, & inunxit eum, iam tamen anima egrediente. Egressam verò, diuino vultui præsentauit, quẽ vultum, puer quasi per velamen contemplabatur, eique seuerus valdè videbatur. Et ecce, mox diabolus adfuit, qui cum puerum accusare vellet, nec causam inueniret, ait ad Deum; Domine, puer iste obulum germano suo furabatur, nec vnquam inde egit pœnitentiam: iustus es, & iustè iudicare debes, non dimittes reatum, quia non restituit, ablatum.

latum. Cui Dominus Respondit; Velles vt pro tantillo puerum hunc damnarem? mea iustitia, non est absque misericordia. Supplicantibus pro anima vigintiquatuor senioribus, qui in circuitu sedis erãt, culpa remittitur, moxq; ad præceptum Dei deducta in puteum igneum proiecta est, in quo tantam pœnam pertulit, vt postea verbis explicare nequiret. Post horã ab angelo, à quo missa fuerat, extracta, iudici præsentata est: cuius faciem tunc amoto velamine perspicuè vidit, tãtam familiaritatẽ, iocunditatem, atque dulcedinem, puero exhibens, vt eam deosculari potuisset, si voluisset. Et cùm ante culpam in humana forma Christũ vidisset, post purgatorium, in diuinitate eundem meruit contẽplari. Iuxta quem vidit gloriosam eius genitricem in solio splendido residentem, & in circuitu eorum multitudinẽ Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, aliorumq; iustorum. Diabolus verò timens animam perdere, ait ad Deum; Bonũ est vt reducatur ad corpus, vt amplius adhuc tibi seruiat. Cui Dominus respondit; Hoc non dicis propter eius salutem, sed propter tuam nequitiã: speras enim quod per corpus peccãdo, cedere possit in partem tuam. Data tamen sententia, anima corpori restituitur. Mirantibus cunctis, qui aderant, quia per signa, quæ in puero viderunt, verbis eius credere compulsi sunt. Puer verò tum amore, tum timore pœnę patriam suam deserens, conuersionis gratia ad quandam domum ordinis nostri venit, cuius desiderium, cùm Conuersus, homo nequam ac superbus, qui hospitio præerat, cognouisset, eo audiente sic ait; Videte, quando tales garciones monachi fuerint effecti, statim volunt esse domini nostri. In cuius verbis, adeò puer scandalisatus est, vt à proposito resiliret, & ad ordinem tem-

Apoc. 4.

plariorum se trãsferret. APOLLONIVS: Multæ visiones de consummatione seculi quotidie recitantur, nescio si eis fides sit adhibenda. CAESARIVS: Quia de aduentu Antichristi, & consummatione seculi, multi sunt decepti, quæ de eis audiui, scribere nolui. Forte, imo non fortè, propter orationes sanctorum, iudicij tempus differtur, sicut ex sequenti visione colligitur.

CAPVT LVIII.

IN Clarauallé sacerdos quidam est, VVilhelmus nomine, cuius mentionem feci in distinctione octaua, capitulo quadragesimonono: huic diuinitùs multa reuelantur. Anno siquidem præsenti, cùm in oratione staret, factus in excessu mentis, raptus est ad tribunal Christi: ad cuius dexteram, angelum cum tuba stare conspexit, quem Christus clara voce, cunctis cœlestis patriæ exercitibus audientibus, sic allocutus est; Buccina. Quod cum factum fuisset, tam valida erat vox eiusdem tubæ, vt totus mundus quasi folium de arbore tremere videretur. Cui cùm secundò diceret; Buccina adhuc semel, Mater misericordiæ Virgo Maria, sciens mundum, si denuò buccinaret consummari, cæteris sanctis tacentibus, surgens ad pedes filij procidit, & vt sententiam differret, mundo parceret, cũ instantia multa supplicauit: cui Christus respondit; Mater, mũdus in tam maligno iam positus est, & sic quotidie me suis peccatis irritat, vt vel sentẽtiam suspendere, vel homini parcere meritò non debeam. Non solùm laici, sed etiam clerici, & monachi, vias suas prorsus corruperunt, & me de die in diem offendunt. Tunc illa; Parce dilecte fili mi, etsi nõ propter illos, saltem propter amicos meos, personas ordinis Cistercienſis, vt se præparent. Abbates nostri hoc anno de capitulo generali reuertentes, nobis ista retulerunt. APOLLONIVS: Quan-

Quantum ex hac visione colligo, valdè malis prodest iustorum cohabitatio. CAESARIVS: Si decem iusti fuissent in Sodomis, Dominus multitudini pepercisset. APOLLONIVS: Visio hæc concordat miraculo capituli secundi septimæ distinctionis, vbi imago Dei genitricis sudasse dicitur, timore imminentis iudicij. CAESARIVS: Diem iudicij esse in ianuis, terræ motus per loca, & alia signa, de quibus supra dictum est, declarant. Sed valdè consolatur quod Saluator, his fieri incipientibus, iustos admonet, dicens; Leuate capita vestra, id est, exhilarate corda, quia appropinquat redẽptio vestra. *Genes. 18.* *Lucæ 21.*

CAPVT LIX.

De gaudio beatorum.

FEstinemus ergo ingredi in ciuitatem illam, in qua nulli sunt terræmotus, nulli gemitus vel suspiria, sed Dei laus assidua; in qua nulla pericula, sed securitas firma; in qua non est mortalitas, sed vita æterna; in qua rancor nullus, discordia nulla, sed pax plena; in qua nullus esurit, nullus sitit, quia satietas illic perfectissima. Quatuor hæc bona in tribus versiculis propheta comprehendit dicens; Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, lauda corde, lauda ore. Quare? Quoniam confortauit seras portarum tuarum: ecce securitas. Benedixit filijs tuis in te: ecce immortalitas. In dextera illius, longitudo dierum. Qui posuit fines tuos pacem: ecce pax & concordia. Et adipe frumenti satiat te: ecce satietas. De gaudio ciuium huius beatæ ciuitatis in alio loco idem dicit Psalmista; Sicut lætantium omnium habitatio est in te. Comprehendit breuiter, quod longis sermonibus explicari non poterat. Non enim erit lætitia qualis hic agitur, vbi de filiorum susceptione lætamur, vel de munere diuitiarũ, vel bonorum *Psal. 147.* *Prouer. 3.* *Psal. 86.*

bonorum gratulamur. Quod igitur explicari non potuit, sumpta qualicunq; similitudine, dixit vt potuit: Sicut lætantium, inquit, id est, verè lætantium, vt sit expressio veritatis, & non nota similitudinis, vt ibi. Tanquam vnigeniti à patre, id est, verè vnigeniti. Istorum lętantium septiformis est actio: viuunt vita infinibili, sapiunt arcana Dei, amant Deum & proximum, laudant quod oculus non vidit, quia sunt inuisibilia, & quod auris nõ audiuit, quia sunt in pace quietissima, nec in cor hominis ascendit, quia sunt incomprehensibilia. Gaudent gaudio ineffabili, volucres sunt & securi. Beati sũt illi, qui illuc, ducente Domino perueniunt, vbi omnis cogitatio vincitur, & omnia desideria superãtur, vbi talis felicitas accipitur, quæ nulla contrarietate perdatur. APOLLONIVS: Miseri sunt, qui ad tantam lætitiam non suspirant. CAESARIVS: Quia dialogo nostro finis imponendus est, simul Christum, qui omnis consummationis finis est, deprecemur, vt ea quæ tua interrogatione, siue mea responsione, confecta sunt, legentibus, necnon & audientibus, ad meritum proficiant, vt sic ædificatio proximorum nostrorum fructus fiat laborum. Quod nobis præstare dignetur ipse, de quo loquimur, Dominus noster Iesus Christus mundi redẽptor, electorum confrater, rex angelorum, &, vt breuiter concludam, vita, merces, & lætitia omniũ sanctorum, cui cum patre & spiritu sancto sit laus, honor & imperium per infinita secula seculorum. Amen.

Ioan. 1.

1. Corint. 2.

FINIS LIBRI XII.

Universidad de Deusto Biblioteca

INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVAE PASSIM IN HIS DVODECIM Cæsarij libris inueniuntur.

A.

Abbatis *officium* 225. *ordinatio* 524. & *seq.*
Abrahami Patriarchæ invocatio vtilis 263.
Absoloni abbatis in Sprenkirsbach virtutes 294.
Abstinentia sit discreta 287. & *seq.* v. Ieiunium *miræ abstinentiæ exemplum* 741.
Acedia *quid* 232. *duplex est* 207. *diabolo grata* 239. *in diuinis rebus, graue peccatum* 242. *ex feruore indiscreto orta* 249. *monacho maximè fugienda* 243. *eius filiæ* 232. 243. & *seqq. nominis interpretatio* 232.
Adami peccatum temerè iudicantes 280.
Adami sacerdotis & monachi in Lucka *miraculosa scabei curatio* 496. *visio* 625
Adolphus Coloniensis archiepiscopus 119 406 616. 328.
Adolphi Osnoburgensis episcopi conuersio 34.
Aduocatorum malorum pœna 86 830.
Aegyptus allegoricè, quid 204.
Aer Christum in Eucharistia agnoscens 678. *in eo prodigia* 738 & *seq.*
Aethnamons, inferni os 858.
S. Agathæ *apparitio* 237. *monasterium, Cisterciensis ordinis* 362.
S. *Agnetis apparitio* 492.
Agnus Paschalis Eucharistiæ figura 718.
Alardi ex milite monachi sancta mors 811. & *seq.*
Albericus Cistercij abbas secundus 8.
Albienses hæretici 348 584 764. *combusti* 351. *oppugnãtur ibid.* corũ *in sacerdotẽ crudelitas* 494 *dogma* 349. *hæresis Parrhisijs orta* 353. *impietas* 349 *miracula* 676
Aldenselense collegium 648.
Aleydis comitissa de Froimberch, fundatrix loci S. Mariæ 332.
Aleydis prima Abbatissa cœnobij Monasteriensis 689.
Alkazer Sarracenorũ castrũ obsessum 618.
Alleluia cantati virtus 258.
Allijs tentatum 293.

Alme-

Almenicus hæreticus 357.
Alna cœnobium 16. 176. 257. 841.
Ambitiosis Deus resistit 433.
Ambula villa 372. 392.
S. Athanasiæ, S. Vrsulæ sodalis reliquiæ inuētæ 637. & seq.
Andernachum exustum 374.
S. Andreæ Apostoli apparitio 610. ecclesiæ turris Coloniæ exusta 750. in mari miraculum 611.
Angeli vnde dicti 593. in forma auium visi 479. in forma hominis 564. Christi oculi sunt 592. hominum custodes 57. 593. 599. animas ad cœlum, vel purgatorium deferunt 45. 58. 806. ijs inseruiunt 17. 57. & seq. 420 sibi commissorū animas Deo repræsentant 596. 898 & seq. cotū apparitiones 231. 593. & seqq 795. certamen cum dæmonibus, de vsurarij anima 1. 2 ministerium homini vtile 593. ordines & officium 593 eos esse ostendi tur 320.
Angelicæ salutationis virtus 140. 149. 381. 499. 504 537. eam dæmon dicere nequit, & quare 140. Christus dicit 565.
Anglorum cum Francis bellū 764.
Anima corpus naturaliter appetit 893 ad corpus reditura, spiritus videre nequit 479. fidelis Dei sponsa est 773 eius forma 45. 244. 479 ei in morte dæmones maximè insidiantur 851 in illam, dæmon illabi nequit 341.
Animæ beatæ dotes 890. 897.
Animæ sub forma columbæ cælum penetrantes 58. 450. 890. an statim à morte, quid de ipsis futurum, sciant 864 earum transmigrationes ex vna creatura in aliam, Albienses crediderūt 350 eas ex inferno ad corpus redire posse 868.
S. Annæ apparitio 28.
S. Anno Coloniensis archiepiscopus 116. miraculis clarus 621.
Annonæ abundantia 742.
Apes corpori dominico basilicam construunt 673.
Apostasia quid 224. eius punitio 24. & seq. ea tentatorū exēpla 209. 259. & seq.
Apostoli os Christi sunt 592. cur sic dicti 609. duodecim cur electi ibid. se contemnētes puniunt 615. eorum Ecclesia Coloniæ à quibus constructa 616 eos sibi in patronos per candelas eligendi mos 610.
Aquæ in sanguinem conuersæ 774. in ijs miracula 161. 460. 611. 676 763 & seq.
Aquæ benedictæ vsus 149. 644 737 826.
Aquisgrani Imp. coronari 748 776.

Arbitrium liberū quid sit 595.
Are castrum 36. 366.
Argentina 157.
Arnsberg monasterium Cisterciensium 491.
Arnisberg Præmōstratense monasterium 891.
Arnoldi, de S. Seuerino monachi virtutes 520. meditationes vitæ Christi 521. & 522.
Arnold. Cisterciēsis abbas, Narbonensis episc. 593 in Albienses crucem prædicat 350
Arnoldus hæreticus, Coloniæ exustus 347.
Asini SS. Eucharistiam venerantes 309.
Aszelina sanctimonialis 424. 871. 388. prophetiæ spiritu clara 263. eius liber visionum 424.
Atrebatum ciuitas 154.
Auaritia quid 260. in quibus consistit 261. à philargyria quomodo differt ibi religiosis sæpe falsò attribuitur 262 sacerdoti maximè fugienda 186. & seq. eius filiæ 261. mala ibid. pœnæ in hac vita exempla 262. & seq 828 & seq pœnæ in purgatorio 869 & seqq remedia 267. 316 ei repugnantium remuneratorum exempla 265.
ex Auena SS. Eucharistiā non confici 721.
Aue Dei genitrix, sequētia 537
Aue præclara maris stella antiphona, grata B. Virgini 503.
D. Augustini sententia, de delectatione in cantu 215.
de Auibus miracula 770. & seqq.

B.

Baccheim villa 292. 826.
Baldemari militis rapina punita 529.
Baldeuinus Flādriæ comes 101. Constantinopolim expugnat 465.
Baptismi in corpore sanando virtus 761. & seq. in adultis, sine contritione, nihil operatur 117.
S. Bartholomæi Apostoli dens sanguinē miraculosè emitatit 614.
Beatorū gaudiū 338 630 800. et seqq 846. 888 et seqq 901.
Beatricis sanctimonialis virtutes 507.
V. Bedæ de confessione sententia 164.
Bedian villa diœcesis Monasteriensis 758.
Behemoth dæmon, luxuriæ præest 505.
Belle villa 710. 778.
Benedicite dictio dæmonem fugat 384. 385.
Benedictio regularis non parui facienda 772. eius forma in ordine Cisterciensi 473. virtus 732.
S. Benedictus Cisterciēsis ordinis institutor 9 sui ordinis peculiariter iuuat 823 879.

pro quodã ad Deũ intercedit 469. eius de sororis anima visio 58.450.630.
Bergen villa diœcesis Coloniẽsis 778.
S. Bernardus 8. 15. 20. 27. 185. 205. Claræuallis primus abbas 9. eius humilitas 213. miracula 27. 74. 100. 143. prophetiæ Spiritus 20. 27. 30.
Bernardus de Lippa Liuoniæ episcopus 695. 756.
Bernardus dux Saxoniæ 748.
Bertolphi Palatini de VVitillimbach seueritas & mors 440.
Bertolphi sacerdotis in Holcheyn conuersio & mors 82. visio 81.
Bertolphus Thuringiæ dux 748.
Bertolphi Zeringiæ ducis, pœna 857.
Bertramus episcopus Metensis 348.
Bertrami monachi Cisterciensis visiones 510.
Bestiæ Christum in SS. Eucharistia agnoscunt & venerãtur 672.
Bethbuer monasterium 769.
Biders Albiensium ciuitas à Christianis capta 350.
Birbach villa 515.
Blasphemia quid 227. punita 83 & seq. 227. 833.
Bona vallis monasterium ordinis Cisterciensis 53.
S. Bonifacius, vbi martyrio adfectus 759.
Bonna ciuitas 148.
Bonnensis Ecclesia renouatur 618.
Bredehorn monialium in Frisia monasterium 872.
Briseke villa diœcesis Coloniẽsis 145. 898.
Brixiæ terræ motus 765.
Brumsbach monasterium 242.
S. Bruno Coloniensis archiepiscopus 116. captus 525. Ecclesiam D. Panthaleonis construxit 406.
Brunonis de Flittirt pœnæ 855. & seq.
Bruvvilre Abbatia S. Nicolao dedicata 419. 620. 624.
Bucka Saxoniæ Ecclesia 624.
Bude villa diœcesis Coloniensis 831.
De Bufonibus mira 291. 777. 825. 861.

C

Cæsarius Prumiensis abbas, post monachus Cisterciensis 76. 442. 889.
Calcei cuiusdam monachi miracula operantur 524. pro reliquijs in altari conseruãtur ibid.
Cameracum ciuitas 156.
Campanæ pulsantur intempesto aere 751.
Campus, ordinis Cisterciensis cœnobium 34. 251. 342.
ex Cantu inanis gloria quæsita 214. 330.

Carix-

Carixtus, monasterium Cisterciensium 510.
Caro inimica spiritui 595. eam crucifigere, quid 574. contra eius incentiua remediũ 593. 596. carnium desiderio iẽtati 288. & seq. benedictio, in festo Paschatis 743.
Carolus Vilarienfis abbas 50. 61. 150. 188. 431. 569. 616. 748.
Castitas Deo accepta 228. 631. 769. eius exempla 311. & seq.
S. Catharinæ apparitio 492. imago, se miraculosè vertit 633. reliquiæ oleum sudant 634.
Catharinæ Iudææ in Christiana fide constantia 112. & seq.
Celenies grangia Aluensis 177.
Cenodoxia ex bonis operibus oritur 107. in illis maximè cauenda 211. species superbiæ est 208. eius exempla 210. 214. & seq. 544. 862. ea, qui præcipuè tentantur 481. 594. ob eam gratia, & diuina consolatio sæpe subtrahitur 646. 798.
Cerastes serpens 313.
Cereus ante imaginem Deiparæ virginis ardens, non exuritur 533. consecratus, morienti in manus datur 625. cerei Paschalis benedictio 214. in festo Purificationis, per visionem accepti, miræ virtutes 487.
Charitas 482. communione augetur 690. inuidiæ remedium 231. 316. in omni bono opere, vt sit meritorium, necessaria 97. 548. 631. 890. à peccato excusat 409. & seq. perfecta quæ 90. de ea miracula 734. & seqq.
Choreas ducere illicitum 317.
Christantiæ, vnius ex S. Vrsulæ sodalibus, reliquiarum inuentio 634. & seq.
Christiani monachi Hemmenrodensis visiones 333. vita 477.
Christiani Bonnensis decani hospitalitas 400. dictum 435.
Christiani Bruvvilerensis monachi simplicitas 419.
Christianorũ impia vita infideles scandalizat 220. & seq. de Saracenis victoria 619. clades 761. cõtra eos expeditiones infideliũ 764.
Christinæ sanctimonialis montis S. Vvalburgis reuelationes 489. 558. 571. 596.
Christus petra, quam Moyses percussit 567. & seq. quomodo via, veritas, & vita 654. in pauperibus, à diuitibus afflictis patitur 581. & seq. Christi apparitiones 287. 482. 484. 489. 533. 567. 571. 582. & seq. incarnationis 255. 488. 534. nascentis 558. & seqq. infantis 563. triennis 564. patientis 225. 226. 566. 575. 700.

 hami-

Universidad de Deusto Biblioteca

humilitatis 51.565. Christi passio amoris diuini incentiuum 587. tentationum medicina 569. & seq. tribulationum antidotum 566 lachrymas producit 567. illius imaginum miracula 576.744 & seq. meditatio quàm vtilis 567 & seq. 572 Christi duæ naturæ 557. ex passione multæ consolationes 572. de resurrectione paucæ reuelationes 586 & seq. ad sepulchrum peregrinatio 220. vitæ meditationes vtilissimæ 50.521. & seq. Christo morienti dæmones adfuisse 851. Christum crucifigis indignè communicans 76 671.

Ciconiæ vbi hyeme morentur 772. eorum zelotypia quid mysticè 771 & seq.

Cineres benedictos deridens, punitur 768.

Cingulũ quoddã contra stimulum carnis vtile 648.

Cisterciensis ordo Deiparæ Virgini consecratus 8.518. 549. quantopere ab ea dilectus 427. 549. defensus 465. & seq 527. eius capitulum generale, à quibus institutum 9 laus 46 515. 571 895. monachi acum secum ferre tenentur 429. & seq. obseruatio, est pro omni peccato satisfactio 205 origo & propagatio 7. 8. ei priuilegia ab Innocentio papa concessa 465. & seq.

Cistercium abbatia, quo anno constructa 8. eius abbas toti ordini præest 9.472 771.

Clarauallis Cisterciensis ordinis Abbatia 9. 116 878. quo anno constructa 9 eius primus abbas ibi. visionum liber 47.529.

Clarus campus monasteriũ Cisterciense 813.819.871.

Claui Dominici miraculũ 859.

Claustrensis abbatia quo anno condita 9.

S. Cleomatæ, S. Vrsulæ sodalium, reliquiæ inuentæ 634. & seq.

Clericorum vita reprehẽditur 412.

Cluneacenses & Cisterciensei monachi eiusdẽ sunt regulæ 9.

Cœli gaudia v. Beatorũ cœlũ tertiũ in visione D. Pauli, quid significet 488. cœlorum virtutes mouebuntur (Luc. 1.) pulchrè explicatur 749.

Colonia Agrippina obsessa 120. 599 diœcesis vastatio 28. 119 441 Coloniæ hæretici combusti 346 incẽdium 616. terræ motus 766 porta Martis 159.

Colũbæ miraculosæ apparitiones 77. & seq. 450. 477. 590 807. in eius specie cur Spiritus S. appareat 589. cũ damno vicinorum, nõ sunt nutriendæ 771 & seq.

Cõmunio frequens quàm vtilis 597.699. & seqq. salus animæ & corporis 709. cõmunicantiũ dignè miraculosa exẽpla 693 et seqq indignè 76.77.718 & seqq.

Compostella Hispaniæ ciuitas S. Iacobi Apostoli reliquijs clara 445.778.

Concionantis ex vana gloria punitio 216.

Concionantem irridentis punitio 317.

Concubinarum pœna 440.863.

Concupiscentiæ quanta vis 281 283.293. & seq

Confessarij boni proprietates & officium 17.174.181.183. 186.188.196. & seqq 307.

Confessio quotuplex 132 animæ prodest 153 159. corpori 153 & seqq cõtra carnis stimulum 302. sine contritione nulla 44 dæmoni inimica 151. ei peccata præscita è memoria subirahit 136 141. à dæmone facta 169. à defuncto facta 167. non differenda 17.162. & seq generalis an faciẽda, & eius virtus 150 scripto confiteri an sufficiat 170.

Confessionis bonæ proprietates 136.164 & seq 170. 182 necessitas 90 virtus et efficacia 132. & seqq. 182. 364 471.757 824.

S. Confessores qui, & vnde dicti 622. & seq Christi vbera sunt 592. eorum apparitiones 623. & seq.

Conradus Cardinalis & Episcopus Portuensis 178 eius cõtra Albienses legatio 351.

Conradus Halberstadensis episcopus 77.

Conradi Heisterbachcensis cõuersi visiones 239.575.

Conradi Hildesheimensis Episcopi mors 887.

Cõradus Præpositus Xantensis & S Seuerini Coloniæ 773.

Consolatio spiritualis afflictione obtenta 645 facilè manifestãdo perditur 646. 798.

Constantinopolis capta & direpta 465.608 764.

Contemplatio quid 10.

Contritio quid 67. vnde dicta 68. vnde oritur ibid quotuplex 69. in quo consistit 126 sine dilectione, nulla 69 sine cõfessione nulla 90.132. peccati culpam & pœnam delet 67 91. & seq. in corde consistit 126. eius exempla 89 & seq. 103. fructus & effectus 73.90 109 contriti Deum videbunt 1.7.

Cõuersio quid 10 vnde dicta 11. eius caussæ 14 modus 52.

Conuersi sola Dei vocatione 14. & seq instinctu Dæmonis 20 & seq. leuitate mentis 22. monitione aliorum 26 & seqq oratione aliorũ 30. exemplis aliorum 30. & seq. infirmitate 36 paupertate 40 infamiæ nota 41. vitæ periculo 42. gebenna

uæmetu 42. & seq. 806. a more cœlestis patriæ 50.
Coronæ Domini spinis Dæmon torquetur 348.
Corporis gloriosi claritas 896. & seq. dotes 897.
Corueyæ abbas malus 885.
Coruorum multitudo sub morte monachi 25. 807,
Credere in Deum quid 140.
Crux vnde nomen habet 574. aurea sub calice in sacro miraculosè inuenta 516. nobis cum Christo quotidie ferenda 573. prædicatur cõtra Albiẽses hæreticos 350. cõtra Sarracenos 83. 285. 618. crucis imaginum miracula 242. 506. 570. 576. & seq. 744. & seq. eas contemnentes puniti 579. 745. ligni virtus & miracula 206. 579. 746. signum in aere apparet 572. 573. 758. & seq. signi efficacia 382. 385. 737. 747. 754. cruce signati Constantinopolim expugnant & deripiũt 465. 608.
Cuculi augurio deceptus 343.
Culpæ & pœnæ differẽtia 67. sublata culpa, remanere pœnam 95.
Cunonis, ciuis Tulpetẽsis, mors 545.
Cussull villa 528.
in Cypro insula terræ motus 765.

D.

Dæmon Angelicam salutationem cur dicere nequit 140. animarum interitu quantum delectetur 468. 470. confertur f. li & leoni 389. 451. confessionem odit 150. & seqq. 302. confitetur 169. Deum credit, sed non in Deum 140. hominis cadauer quasi viueret, circumferens 848. hominis hostis 595. hominem ad infernum ducit & reducit 48. 84. per aera ad diuersa loca transfert 146. 360. 392. 613. ab homine in forma naturali videri nequit 362. 364. orationem dominicam recitat 140. ad peccandum neminem cogit 389. peccata, per veram confessionem expiata non cognoscit 134. & seqq. 324. non confessa, & fictè confessa, cognoscit & reuelat 137. 1 1. & seq. Psalmorũ cantum odit 329. è puella ridiculè per militem eiectus 737. religiosis quàm infestus 328. & seq. 381. 382. formam assumit diuersarum creaturarum 328. 333. 380. 386. Angeli 151. 385. bufonis 333. coruorum & cornicũ 25. 807. 826. 835. milui 150. caudæ vituli 328. monachi 107. 295. 386. rustici 328. viri pulchri 138. 380. & seq. æthiopis 331. 828.
Dæmonis apparitio 43. 48. 93. 122. 138. 143. 146. & seqq. 295. & seq. 325. 328. & seq. 470. 477. 612. & seq. 849. contra infestationes & machinas remedia 151. & seq. 321. 385. 498. 543. 825. hominibus inseruientis & benefacientis exempla 371. 373. 737. præsentia, etiam non visi, homini horrorem adfert 390. & seq. superbia 169. visio, homini quantum noceat 499. virginis tentantem nequitia 138. 381. vox cur rauca 140.
Dæmones corporis humani formam assumentes, dorsum non habent 140. corpora torquent 92. 337. 340. è corporibus exorcismo & oratione eijciuntur 519. damnandorum animas Deo repræsentant post mortem 865. discordias inter amicos seminant 376. hominibus quibus modis noceant 342. eos aspectu lædunt 361. occidunt 360. 369. incubi 143. & seq. an liberos gignere possint 147. moriẽtibus maximè insidiantur 335. 543. & seq. 628. 806. & seqq 849. 892. mulierũ ex natu gaudent 334. per necromantias ostensi sunt 323. 325. an sint in obsessis, an extra 341. à religiosis visi 327. & seq. succubi 145. & seq.
Dæmonum cum Angelis de vsurarij anima certamen 122. cum Sanctis 752. malitia 321. 337. in monachum intursus 797.
Dæmones esse 320. & seq. Christo morienti adfuisse 851. damnatos esse 321. homini semper adesse 374. & seq. eidem infestos esse 321. 338. 376. non æqualiter malos 371. multos esse 321. 329. 335. 850.
Dæmoniacos verè esse 359. & seq.
Damiata ciuitas 461. à Christianis obsessa 580. 761. ciuium in crucifixi imaginẽ iniuria, diuinitus punita 352. 58.
Dammatorum pœnæ 42. & seqq. 81. 84. 846. & seqq. 867. eos à Iudicio extremo plures fore, quam dæmones 336.
Danielis, Claustrensis monachi, mors & visiones 509. 567.
Daniel Sconaniæ abbas 42. 400. 504. 679. 716. 873.
Danidis Claustrensis monachi miracula 788. 896.
Danidis libri erronei damnati 357.
Defuncti qui à viuentibus

iuuari possunt, qui non 885. quibus iuuentur 824. 870. preces nostras expetũt 872. 876. & seq. 882 reuiuiscentes 44. 478. 769. & seq. 801. 822. 868. nõ rident 45.
Defunctorum apparitiones 46. 72. 81. 829. 859. et seqq. 876. 859. & seqq. confessio sacramentalis 167 exequiæ ab Angelis celebratæ 795.
Defunctis Eleemosynæ prosunt 72. 855. S. Missæ officium 72 855. oratio & suffragia 72. 363. 649. 767. 790. 855. 870. 872. 877. & seqq. quod hæc defunctis prosint, insigne exemplum 707.
Decimas soluentes à Deo benedicuntur 739.
Desperationes exempla 80. 85. 155. 243. 245. 247. 248.
Deuotio quomodo acquiratur 521. 535 ignea est, et sursum tendit 689. & seq 877 exempla 35. 601. 689. 691
Deus Christi caput est 592 nõ est auctor peccati 82. est auctor pœnæ 438. & seq caussa miraculorum 728. eius misericordia, quanta 71. 75. 77. & seq 91. 810. 813 prædestinatio, an certa & infallibilis 37 39 regnum in quibus consistit 480 voluntati Sanctorum in cœlis voluntas vnita 605. Deum credere & in Deum quid 140
Deytkirchen, monialium monasterium Bonnæ 335. 604. 741. 888.
Diabolus v. Dæmon.
Dignitates quomodo quis licitè possit expetere 432.
Diluuium in Frisia 460. & seq. 760. in Saxonia ibid.
S. Dionysius Francorum Apostolus 427.
Disciplinæ zelus 741.
Discordiæ autor dæmon 376. & seq. eam fouetium mors & pœna 836.
Diuitiæ contemnendæ 41.
Docheim villa Frisiæ, locus martyrij S. Bonifacij 759.
Docti interdum grauius errãt 353.
Dollindorp domus Heisterbachcensium 575.
Dolosorum mors & pœna 831. & seq.
Dormientes mereri & demereri posse 307. & seq 475.
Dousburg oppidum imperiale 753.
Duellum 159.
Dulce villa 781.
Duplicitas vnde dicta 434. in hac vita diuinitus punita 434. & seqq 441.

E.

Eberbacensis abbatia 343. 362. 543 675 713. 731.
Ebrietatem fugiendam exempla 779. 885 & seq.
Ecclesiæ, vniuersalis, particularis, & earum prælati mysticè quid 749. prælati cur plerumque mali 427 oratio pro defunctis 870.
Ecclesiarum constructio Deo & sanctis grata 401. dedicatio annua 528.
Ecclipsis solis & lunæ 749.
Eleemosynæ defunctis, magis quã oratio prosunt 877. malè viuentibus non prosunt ad salutem 861. Deo fœnerantur, exempla 271. & seqq. vsurariorum, quid apud Deum valeant 123. carum fructus 628. exempla 402 & seq eas indignè recipientes, puniti 887. & seq.
Elementa quot 747. Christum in Eucharistia agnoscunt & venerantur 676. & seq.
Elias Propheta in paradyso terrestri visus 513.
Elisatia villa Treuirensis episcopatus 751.
Elizabethæ de Sconauia visio 503
Elselo villa diœcesis Leodiensis 729.
Emelricus Laudunensis episcopus 426.
Endenig villa 849.
Enffridus S. Andreæ Coloniæ Decanus 817 eius vita 402 & seq.
Engelberti cœci simplicitas 420 & seq. spiritus prophetiæ 422. miracula 424.
Engelbertus Coloniensis Archiepiscopus 113. 180. 434. 500 711. 853.
Enoch patriarcha in paradyso terrestri visus 513
Epiphaniæ festum 495. 563.
Episcopi cur plerumque mali 117. eorum auaritia 114. exactiones graues taxantur 87. officium quod 117. et seq onus et periculũ 116. 118 ordo, Abbatum ordine dignior 623 proprietates 432.
Episcopos Alemaniæ vix saluari, & quare 116.
Erkenbaldi de Burban iustitia zelus 696.
Eua peccatum temerè iudicãtes 281.
S. S. Eucharistia adoranda 702. 710. animæ & corporis salus 705. 708. & seq. corporis cibus 705 fortes in certamine nos reddit 707. & seq. ad infirmos defertur 626. cur instituta 656. sacerdoti in S. Missæ officio ter à columba miraculosè ablata 77. sacramentum cur appelletur 656. sacramẽtum maximum est 654 dũ eleuanda & deferenda, nola pulsanda 710 sub clausura asseruanda 711.
S. S. Eucharistiæ dulcedo 689. & seq effectus 100. 702. & seqq. forma 656. fructus & vtilitas ibid. materia quæ 667. species frangitur, nõ Christi corpus 676. irrãsus 656. & seq. quãdo

Universidad de Deusto Biblioteca

sit 686 sumptionis modus 667
SS. Eucharistiæ iniuria illata vindicatur 460. & seq. 674.
SS. Eucharistiam Christus ipse quibusdam miraculosè præbet 693. 695. & seq cõficiens qualis esse debeat 685 conficienti quæ & quot necessaria 686. conficientiũ dignè meritum 687. 690. indigne, peccatum 77. 712. 715 hæretici cur maximè persequantur 711 ex pane & aqua conficere tentãtes 347. sub duabus speciebus cur celebrat Ecclesia 687. sumentium dignè meritum 693. & seq indignè peccatum 713. 718. & seq. venerantes honorem consequuntur 710 blasphemantes puniuntur 711. ad eam pertinẽtia, munda sint & benè præparata 720.
circa SS. Eucharistiam miracula 78. 668. vsque ad finem libri.
in Eucharistia Christi præsentia sub specie panis 364. 489. 586. 626. 668. & seqq. 688. 715 & seq. Christi præsentiam aer agnoscit 678. aqua 676. Bestiæ 675. ignis 678. terra 677. Christi sanguis sub specie vini 679. & seqq quæ consideranda 655 & seq. fides sola operatur 648. 655. 688. sub vna specie tantum, quanium sub duabus sumitur 687.
S. Eucharij Treuerorũ episcopi inuocatio & apparitio 629.
Euergildus Conuersus Vilariensis 179.
Euerhardus S. Iacobi Coloniæ plebanus 405. 414. eius visio 19 vita & res gestæ 307 & seq.
Euervvach' Traiectẽsis episcopi seru' 866 magicis artibus deditus 867. defunctus, ad inferni pœnas deductus ibid. & seq. reuiuiscit 868.
Eufemia sanctimonialis, infestationibus dæmonum mirè vexata 381. & seq.
S. Eufrosina 55.
S. Eugenia 55.
Eustachius Hemnenrodensis abbas 487. 489 522.
Excommunicatio 88. 216. 461
Exemplæ bona quid valeant ad aliorum conuersionem 33 & seq.
Exequiæ defunctorum ab Angelis celebratæ 795. 797.

F.

Fames magna 271. 765.
Fatũ nõ statuendum 37 & seq.
Febris remedium, votum Iciunij trium Sabbatorum in honorem Deiparæ virginis 498.
Ferraria Longobardiæ ciuitas 445.
Ferrei circuli monachorum & sanctimonialium pœnitentia 817. & seq.

Ferro candenti reos examinãdi mos 156. & seq. 756.
Feruoris indiscreti exemplum 249.
Festa colenda 528.
Fides quid 683. in Eucharistia maximè operatur 648. 655. 688 fidei magnæ exemplum 763. de fide miraculum 763. in fide tentati 243. 245.
Firmitas Cisterciensis ordinis monasterium 8.
Floressia Præmonstratensis ordinis cœnobium. 92.
Florentius Abbas in Marienfeldt 689.
Flumina in sanguinem conuersa 774.
Folcode frode Cistertiensis ordinis monasterium in Thuringia 634.
Fornicatio punita 77. 751. 757. 862. & seq.
Francorum cum Anglis bellũ 764.
Fraternæ compassionis exemplum 735. & seq.
Fraudatorum mors & pœnæ 831.
Frechene Coloniensis diœcesis villa 826.
Friderici Imp. reliquiæ Gruningæ 607.
Frœnum S. Thomæ Cantuariensis, Episcopo falso addictum miracula operatur 622.
Frisia Monasteriensi Episcopo in spiritualibus subest 461. inundatione submersa 461. 714. 760.
Frisonum in Sarracenos expeditio 618.
Fulkensis comitis blasphemia punita diuinitus 833
Fulminis miracula 756. & seq.
Fumoringeus monasterium Cisterciense 719.
Fur confessione à suspendio liberatus 159.
Furstinberg castrum quando, & à quo constructum 500.

G.

Gallicæ linguæ apud Sarracenos vsus 221.
Gallorum cum Germanis bellum 764.
Gehenna V. Infernus.
Gerhardi Claræ vallis abbatis visio, & martyrium 629. & seq.
Gerhungus Bonnensis Scholasticus 755,
Geristheim villa 392.
Gertrudis inclusa 384. & seq. 873.
Geuardi S. Mariæ ad gradus Coloniæ canonici, ad religionem conuersio præuisa 19.
Geuardus Heisterbachensis abbas 28 524.
Gloria inanis V. Cenodoxia
S. Goaris oratorium 744.
Godefridus S. Andreæ Coloniæ Canonicus 11 eius visio 828. mors ibid.
Godefridi Vilariensis monachi virtutes, visiones & pœnitentia

pœnitentia 50.
Godehardi Hildesheimensis episcopi apparitio 628.
Gosvvinus abbas veteris mõtis 640. (gratio 147.
Gothorũ ex Asia in Europã mi Græciã Latinis vastatur 764.
Gratia Dei 596. quotuplex est, 585. afflictione obtenta 645 inani gloria amittitur 646. in hominis iustificatione necessaria 68. & seq. homini, nisi culpa præcedat, non subtrahitur 82. iustis cur subinde subtrahatur 206. & seq. 444. & seq.
Gratitudinis exemplum in lupo 776 & seq.
Gregorius, Græciæ regis filius, Porceti monasterij fundator, & primus Abbas 626.
Gruninga Frisiæ ciuitas 533. eius incendium 606 in ea brachium S. Ioannis Baptistæ ibid.
Gudinsberg castrum à quo, & quãdo cõstructũ 597 & seq.
Gula quid 278. diabolo grata 333. luxuriæ mater 90 286. 298 punita 290 & seq 294. & seq. 743 778 & seq cis filiæ 278 mala 279. tentatio, quàm importuna sit, exempla 279 & seqq. 294. & seq.
Guido Claræuallis abbas 114.
Gybermons 857.

H.

Hademnar villa 712.
Hæretici SS. Eucharistiæ sacramentũ cur maximè persequuntur 711. per candens ferrum examinati 156. combusti ib. & seq 346. & seq. 351. 3 6. nostri tẽporis, vnde hauserant sua dogmata 353. mẽbra diaboli 359. ministri diaboli 344. & seq. non credunt resurrectionem, neque infernum 358.
Hæreticorũ hypocrisis 344. impietas 349 & seq 354. miracula falsa 344. & seq. 676. vita fœda 358 libri combusti 357.
Harderardus Canonicus S. Gereonis Coloniæ 463.
Hart grangia 12. 328. 646.
Hastiludia illicita 860.
Hayurode villa 678.
Heisterbachensis monasterij origo 271 de eo visio 490. 642. in eo dens molaris S. Ioannis Baptistæ 608.
Hellendorp villa 759.
Hellevvicus prior montis S. VValburgis 721.
Helpenstein castrum 468.
Heltæ de Riningen in inferno pœnæ 84.
Helsvvindis abbatissæ de Porceto conuersio 62.
Hemersbach castrum 733.
Hemmenrodensis ordinis Cistercienses abbatiæ, origo 9.
Henricus Albanensis Episcopus crucem in Saracenos prædicat 285.
Henricus Cõtractus Claræuallis monachus 582. eius vita & res gestæ 26. & seq.
Henricus S. Cuniberti Canonicus 469.
Henricus Fig monachi apostasia & scurrilitas 297.
Henricus, Franciæ regis frater, fit monachus Cisterciẽsis 30.
Henrici Heisterbachensis Abbatis conuersio 23. & lectio 524.
Henrici Hemmenrodensis cõuersi visiones 12. 328. 590. 646 688.
Henricus Louanij dux 515. 582.
Henricus de Mosella ob contemptã matrẽ serpente graniter torquetur 435 & seq.
Hẽrici Nodi impia vita, mors & apparitio 859.
Henricus Palatinus, Ottonis Imp frater 412.
Henricus Prædicatorum Colonienſium Prior 452.
Henricus Ratio, Coloniæ ad gradus Mariæ canonicus 441. eius mors 442
Henricus Saxoniæ dux 126.
Henricus Seynensis comes 608 850 (762.
Henricus de Vlme 206 608.
Henrici de VVida factũ 281.
S. Heribertus Coloniensis Archiepiscopus Coloniæ SS. Apostolorum Ecclesiam construxit. 615.
Hermannus Bonnensis Decanus 525.
Hermanni Conuersi Hemmenrodensis acta 540.
Hermannus Abbas Heisterbachensis monasterij primus 9. 327. 643. fit abbas loci S. Mariæ 327. 802. eius visiones 328. 531. & seq. 642. 854.
Hermanni Hildesheimensis decani virtutes, & miracula 414 & seq.
Hermannus inclusus 292. 385.
Hermannus Lantgrauius 38. 47. 748
Hersetbusin monasterium 82.
Heyleka Coloniæ apud S. Andræam inclusa 407.
D. Hieronymi de monachatu sententia 12.
Hildegundis, monialis insulæ S. Nicolai doctæ, mors 601. & seq.
Hildegundis Nussiẽsis vita & res gestæ 55. suspensa per biduum, ab Angelo viua conseruatur 57. sexum virilem mẽtita fit monachus, 58. eius mors 60 epithaphiũ 61.
Hirundines vbi hyeme morẽtur 772.
Hollenbach villa 612.
Homicidarum mors 834. pœnæ 80.
Homicidium 154 223. & seq.
Homo Angelum propriũ custodem habet 595. qui dæmonem vidit, igne cõspecto cur extasim incurrat 361. liberè peccat 595 tres hostes habet 305. 595.
Hominis liberũ arbitriũ 595 vita, tẽtatio & militia est 205. vitæ terminus certus à Deo

à Deo constitutus 37. voluntas, cur tam prona ad peccatum 595.
Hominum morientium genera quot 786.
Homines damnandos in fine mundi plures fore, quam dæmones 336.
Honorius Papa 179. 348. 461. 721
Horæ Canonicæ Deo & Sanctis gratæ 482. 511. 648 & sequen. earum vsus 17. 540. 572.
Hospitalariorum ordo 618.
Hospitalitatis exempla 274. 400. 405. & seq. 485 502. 727. 839
Hostiæ à quibus coquendæ 721 circa illas miraculum 675.
Houene monasterium 383. 633. 673 741.
Hugonis Leodiensis Episcopi auaritia taxatur 113.
Hugo Lingonensis Episcopus, Apostolicæ sedis Legatus 8.
Humilitas Deo grata 51 73 219. & seq. gratior virginitate 481. diabolo odiosa 211. 296 328. eius exempla 211. 213. 310. 407. & seq. 480. & seq. 583. de ea miracula 740. 769.
Hunorum origo 147.
Hybernia per quem ad fidem conuersa 883.
Hyldeboldus comes de Lymbergh 680.
Hymnorum vsus 518.

I.

D. Iacobus Apostolus in prælio inuocatus, succurrit 619. suspensum, longo tempore viuum conseruat 611. & seq. ad eius sepulchrũ peregrinatio 364. 439. 445. 611. 729. 733 778.
Ieiunium indiscretum 288. Sabbathinum in honorem Deiparæ virginis 47. triũ Sabbathorum votum, febris remedium 498. in vigilijs solennitatum eiusdem D. virginis 517.
Ierosolyma à Sarracenis capta 764. in ea Christianorum vita impia 222.
Ierosolymam peregrinationes sacræ 55 220. 729 815. 854.
Ierosolymitana Christianorum expeditio 47. 763 774. 814. 854. 892.
Iesse monasterium 231. 462. 533.
SS. Iesu nominis interpretatio 497 inuocatio quantæ virtutis 884.
Ignis Christum in Eucharistia agnoscit & veneratur 678. huius mundi, gehennæ igni contrarius 361. eius miracula 155. 344. & seq 753. & seqq. in igne cur spiritus S. appareat 589.
Imaginum cultus vtilis & Deo gratus 95. 530 & seq. 534 miracula 95. 495 506. 754 & seq. 576. & seqq. 627. 718. 744. & seq. vsus in ecclesia 519. & seq. 745. eis cereos accendi 533. eas contemnentes puniti 579. & seqq. ex deuotione pingere, meritorium 578.
Imprecationis malæ effectus 338. & seq. 359. & seq.
Inclinationes Deo & sanctis gratæ & nobis vtiles 209. 295 536. 605. vbi & quando faciendæ 296.
Incubi dæmones 143. & seq.
Infamiæ nota conuersi 41.
Inferni pœnæ 42. & seq 81. 84 846. & seqq. 867. 887. an quis ex inferno redire possit 865. 869. ad infernum ducti & reducti 48 84. 325. & seq. 885.
Pro infirmis orandum 87.
Innocentius III. Papa 88. 120. 175. 352. 442. 465 749. 853.
Inobedientia punita 735 875.
Inuidia quid 229 ex Angelo diabolum fecit 230. eius filiæ & mala 229. & seq. exemplum 230 remedium 231
Ioannes Aquensis decanus 414 627 734. 754.
S. Ioannes Baptista an D. Ioanne Euangelista melior, cõtentio 602. & seq. in suis reliquijs contumelia effectus 605. & seq. viuens cur nulla miracula fecit 607. eius apparitiones 600. 602 brachium Gruningæ est, & vnde eo deuenit 606. miracula operatur 607. dens molaris in Heisterbachensi monasterio, & quomodo eo deuenerit 608 laus & res gestæ 603 eum contemnens punitur 606.
Ioannes Cameracensis episcopus 526.
Ioannis Capocij in Innocentium Papam dicendi libertas 120.
S. Ioannes Eleemosinarius 270.
S. Ioannis Euangelistæ apparitio 603. laudes & res gestæ ibid.
SS. Ioannis & Pauli martyrum, reliquiæ 6. 9.
Ioannes Treuerensis Archiepiscopus 17. 25 819.
Ioannes Xantensis Scholasticus 83. 495.
Iordani Cardinalis mors & apparitio 865.
Ira quid 223. ignis est 228 in hac vita punita 227. post mortem punita 228 eius filiæ 223 remedium 86. 229.
Irmendrudis abbatissæ obitus, 888.
Irmingardis Magistra insulæ S. Nicolai 601.
Isenbardi Claustrensis monachi virtutes & mors 790. & seq. gloria in cœlo 791. & seq.
Isenburg castrum 392.
Islere ciuitas 760.
Iudæi fœtent 113. in parasceue feria sexta infirmi sunt 108. miraculosè ore hiãte obmutescunt 109.

Iudæorum aliquot cõuersiones ad fidẽ 110. 112. 115. cæmiterium prope Coloniam 347 de morte quidnam sit, opinio 839 & seq sacra, bufone in altari apparente, cõfusa 779
de Iudæa filiam pro Messia pariente historia 110. & seq.
S. Iudas Apostolus se contemnentem punit 615.
Iudicium extremum 897. & seq vbi futurum 898 ad illud alium citans 808. & seq. eius signa 760.
Iudicis seueri exemplum 899.
Iuliani Apostatæ mors 605.
Iustificatio hominis quotuplex 68.
Iustitiæ zeli exemplum 412. de ea miraculũ 738. & seq.
Iustorũ animæ statim à morte in gloria 787 888. & seqq. merces in cælo 890. & seqq. 895 & seqq.

K.

Karpen villa 775 777.
Kassele villa 227.
Kelle villa 858.
Komele villa 672.
Kummede monasterium virginũ Cistercienſis ordinis 444.

L.

Labores manuum sine virtute ad salutem non prodesse 480
Lachrymarum gratia quomodo acquiratur 104. & seq. 206. 567. 568 virtus & efficacia 103 in ijs nõ consistit cõritio 126. lachrymãtium exempla 35. 50. 104 & seq. 206. 567. 570.
Lacus monasterium 277.
Lancvvade monasterium virginum 148.
Lapis à Dæmone receptus idiotæ scientiam præstat 43.
Latinorum in Græcos expeditio 764.
Latronis cuiusdam mira conuersio 546. & seq.
Latronum mors & pœna 835.
Leiglinge villa 625.
in Leprosi forma Christus apparet 583. & seqq.
Letaniæ vsus 796 812.
ex Leuitate religionem suscipientium exempla 22.
Liberalitatis exemplum 269.
Liberũ arbitrium 595. Dei gratiæ cooperatur 68 & seq.
Libido vnde nascatur 98.
Libri de Theologia vulgari lingua cõscripti, dãnati 357.
Liffardi Coloniensis visio 209 humilitas 769.
Lingua cohibenda 228. & seq. sacerdoti præcisa, miraculosè redditur 495. eius commoda & incommoda 229. eam vendens in causis, punitur 442. 830.
Linza villa 15.
Lisere villa 770.
Longona fluuius 463.
Longobardiæ de furto lex 447 in ea multi hæretici 358.
Lossensis comes 477 706.
Lotharius Romanorum rex 10
Leuaniẽsis Dux 112. eius exercitus

citus à Leodiẽsib. cæsus 860.
Lubbelare villa 694.
Lucheym villa diœcesis Coloniensis 837. (gatus 339.
Lucifer quomodo in inferno li-
Lucius Papa 357.
Lucka cœnobium 483. 542. 573
Ludoici Landgrauij de prædestinatione error 29. filij 47 tyrãnis 38. mors 847. in inferno pœna 40 48 & seq. 847.
Ludeicus Lessensis comes 706
Lupoldus Austriæ dux 350.
Lupoldi VVormaciensis episcopi impietas 87.
de Lupis mirãda 531. 775. & seq
Luteremonasteriũ monialiũ diœcesis Treuirensis 451. 602.
S. Luthildis virg apparitio 633
Luxuria quid 297. eius filiæ ibid mala 298. & seq 311. 313. origo 298 remedium ibid 302. & seq 593 tentationem vincentium exempla 299. & seqq. ad finem libri 504. & seqq 570. 593.
Luxuriosi 91. 108 113 837. eorũ mors & pœna in inferno 838 pœna in purgatorio 871. & seq.

M.

Magia in purgatorio pœna 873.
S. Malachiæ Hiberniæ episcopi vita à quo cõscripta 185.
Malburg castrum 808.
Manichæorũ hæresis quæ 249.
Mãna Eucharistiæ figura 698. & seq.
Manus monachi, qui multa scripserat, viginti annis sepulti, integra & viuida reperta 891.
Maris tempestas 520. confessione sedatur 161.
Marcadelli mira simplicitas 445 pietas. ibid mors 447. miracula ibid.
S. Margaretæ apparitio 632.
Margaretæ, Louaniensis virginis, mors 448.
S. Maria virgo ægris medicina est 497. Angelica salutatione inuocata 469. 495. 498. & seq. 504. 526. 537 804 816. apostatas à fide, Christo reconciliat 471. consolatrix iustorum 472. & seq miserorum & afflictorum 462 & seq. cultores suos cõfortat 535. ad honores temporales promouet 524. eorum bona & res conseruat 465 & seqq Deipara est 497 534. diligentes se, diligit & honorat 510. & seq. fœminas visitat 485. hymnis, sequentijs & similibus delectatur 502. & seq. 537 per imaginem locuta 95. 491 induratos ad confessionẽ perducit 470. monachorum sudores tergit 288. & seq. morientibus assistit 519 & seqq. mundi conseruatrix 460. osculatur militiẽ 505. monachum 539. pro peccatoribus intercedit 95 469. 503. pusillan. me. confortat 508.

508. sacerdoti linguam præcisam restituit 495. spernentes se puuit 527. & seq.
S. Mariæ virginis apparitio 32.51.234. per totũ libr. septimũ 361. 794. beneficia in genus humanum 153.459 festum Assumptionis 489. 510. 576. Natiuitatis 528. 618. Purificationis cum cereis per mentis excessum à religiosa femina in cælo celebrari visum 487. humilitas 531. laus 458. & sequen. imaginum contemptus, punitur 530. cultus Deo acceptus 531. miracula 460.498 & seq. 506. 533. inuocatio vtilis 95. & seq. 381. 463. & seq 469 473.476.491. & seq. 515.543 misericordia 95. nominis dulcedo 537 interpretatio 470. officium 18. Sabbathi ieiunium in eius honorem 547.
B. Mariæ virgini Christus nihil negare potest 95 Cisterciensis ordo quam acceptus 527.549.
B. Mariam virginem blasphemans punitur 529 vere corpore assumptam esse 511. diabolo homagiũ facientes etiam abrenunciare debent 94.866.
Mariẽfeldt monaster. 698.704
Mariensladt, siue loci S. Mariæ monasterium 42. eius fundatrix 332. 466.
S. Maria Magdalena in letanijs cur virginibus præponatur 632. eius apparitio 28.476. 478.632.
Marina sexum virilem mentita 54.
Marsilius, ad S. Sebastianum in Tuscia episcopus, Coloniæ inclusus 537.
S. Martinus Turonensis episcopus 169. eius animam cum cantu Angelico S. Seuerinus cœlos penetrare vidit 58. apparitio 628. è capite, cum altare beneditceret, globus igneus emicuit 691.
Martis porta Coloniæ 718.
Martyres qui, & vnde dicti 617. Christi barba sunt 592. fidelibus in periculis succurrunt 618. quidam simplicitate facti 447. & seq.
Martyrum apparitiones 618. ordo, num Confessorum ordine dignior 625. reliquiæ in infirmitatibus medentur 618. reliquias circumferẽtes euitẽt peccata 619.
Martyres caussa, non pœna facit 449. 617.
Martyrium omnium virtutum consummatio 631. eius diuersa genera 449. 617.
S. Maternus, quadraginta diebus sepultus, resuscitatus 630. eius anima vbi tunc erat ibid. inuocatio & apparitio 629.
S. Mauritij cœnobium Coloniæ 542.852.

Mau-

Mauritius Parisiensis episcopus 124 seipsum elegit 432. per Eucharistiam, moriturus, sensum recepit, 702.
Maxẽtij Imp. in inferno pœna 852. impia vita ibid.
S. Maximini Coloniæ cœnobij, inclusus 817.
Mediolani terræ motus 765.
Meditatio quid 10. genu flexionibus vtilior 522. oratione 50. eius fructus & vtilitas 569.
Meineri Claustrensis monachi virtutes & obitus 788.
Mẽtis puritas in visione ostenditur 644.
Mercatores diuites facti 184. & seq.
Mercurius martyr, cum Christo iam regnans Iulianum apostatam occidit 605.
Meritum in quibus consistit 482. 490. secundum opera nostra maius aut minus 490 in virtutibus animi magis, quàm in operibus exterioribus consistit 482.
Merlinus Britannorum prophetta ab incubo dæmone procreatus 147.
S. Michael Archangelus iustorum animas Deo repræsentat 597. de hominum salute maximè est sollicitus ibidem. morientibus assistit 850. paradysi præpositus 597. iti templa dedicata 598 eius capella Coloniæ. 718.
Miraculum quid 728.
Miracula à quibus fiunt 728. in quibus ibid. sunt signa sanctitatis 413. 607. 621. aeris 758. & seqq. aquæ 161 460.676.761. & seqq. sacri baptismatis 761. fulminis 750. ignis 753 & seqq. de auibus 770 de bufonibus 791. 777. 825 de charitate 733. & seq. 735. & seqq de cineribus benedictis 768. de columbis 77. 771 de decimis 739. de disciplinæ zelo 741. de fide 733. de fraterna compassione 735. in hominibus facta 729. & seqq de humilitate 739 de imaginibus 242.576 & seqq 633. 744. & seqq. 754. de ingratitudine 742. de inobedientia 734. de iustitia 738. de obedientia 740. de sanitatum gratia 495.732 in stellis 749. plura in proprijs locis quæras cur in quibusdam sanctis maiora, & plura, quam ab alijs fiant 621.
Miraculorum causa quæ 728.
Miralimomelinus rex de Marroch, Albiensibus contra Christianos succurrit 352. eius clades ibid.
Misericordiæ operum exempla 403. & seqq 521. 583. 818. v. porro Eleemosyna.
S. Missæ sacrificium 34.364 478 491.494. 515. 533. & seq. 541. 569. 668. 679. 686 690. 675. 812. 817. 839 pro

 defun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

defunctis 72. 767. 882. de Domina 462. & seqq. 518. 526. 675. prodest ægris 493. defunctis 877. & seq. per mentis excessum quædam fœmina Christum in cœlo celebrare vidit 487. sacerdotes, vt dignè celebrent, quales esse debeant 685. dignè celebrantium meritum 687. & seqq. indignè celebrantium exemplum & peccatum 76. & seqq 712. 715. & seqq. non ordinati celebrantes, puniti 717. in Christi natiuitate à sacerdote ter celebratur 77. D. Virginis circa Missam obsequia 491. in illa silentiũ requiritur 689.

Molismus cœnobium 7. Deiparæ Virgini cõsecratũ 8. ex eo Cisterciensis ordo originem duxit 7 & seq.

Monachi apostasia tẽtati 22. 804. apostatãtes, & ad secu lũ redeũtes, puniti 24. bene dicti à Deo 480. à Deipara Virgine 473. & seq. carniũ desiderio tẽtati 288 & seq. quomodo cũ Christo crucifixi sũt 573. quib. clauis cruci affixi 574. dæmonib. odiosi 381. 809. 850 & seq sint hospitales 274. 277. humiles 218 & seq. nõ sint leues 876. inclusi sint 817. quæ modica videntur non debent negligere 429. & seq nouitij, ad seculum redire possunt 25. proprij nihil habent 519 719. regulam custodiant 875. secularibus ne sint scãdalo 220. procurantes dignitates, quomodo fiãt simoniaci 431. sint simplices 396 somnolenti in choro, taxantur 239. & seqq.

Monachorũ auaritia punita 263. iniustè reprehensa 527. cur quæ, & duplex crucifixio 574. disciplinæ 34. 51. 193. feruor indiscretus inutilis 874. & seq. inobedientia punita 734. 815 laborum fuga, in purgatorio punita 876. meritum, secundum deuotionis feruorem, maius aut minus 490 nouitiorum tẽtationes 252, & seqq. officiũ, ieiunijs & orationibus vacare 367. peccata deflere 105. 267. psalmodia 240. vitæ austeritas 817. votum 22. 26. 36 70. 99.

Monachis auaritia maximè fugiẽda 261. 267 delicatis cibus non quærendus 286. cibum vilem, quid sapidum efficiat 284 obedientia maximè necessaria 15. 27. 734. 801. 874. & seq. Sancti sui ordinis peculiariter succurrunt 879. (573

Monachos quid martyres facit

Monasteria fundare ex bonis alienis an licitum 270. eorũ multitudo exoptanda 271 ex eis pauperes alũtur 271

Monasterium VVestphaliæ ci-

uitas 496. 698. eius episcopus in spiritualibus Frisiæ præest 462.

Monastica vita alter baptismus est 12. peregrinationi sacræ præfertur 15 & seq. tentatio & militia est 205. eius laus 12. 15. & seq. 257. eam arripientes adolescentes sæpè recidiui 12. & seq. bona intentione, & resilientes 13. mala intẽtione, & perseuerantes 11 timore inferni 42 & seq. leuitate 22. Spiritus Sancti instinctu 19. (890.

Moniales inclusæ, 817. 819.

Montenackum 860.

Montis veteris monasterium 467. 639.

Morientibus dæmones insidiantur 543. 806 & seqq. 824. 835. 849. iustorũ præsentium orationes, quantum prosint 100. 451. 808. 851. quid maximè prodest 824.

Merimundus Cisterciensis ordinis Abbatia 9.

Mors quid 786. 840. Iudæis, quid 786. apparet 840. vnde dicta 786. semper expectanda 842 omni pœna amarior 803. 894 bona quæ 787. & seq. illorũ qui bene vixerunt 788. & seqq. qui aliquando malè vixerunt 817. et seq. mala quæ 788. illorum, qui malè vixerunt 25. 825. & seqq. qui bene vixerunt 839.

Mortis & morientium genera quot 786. hora, an bene viuendo, extenditur, an malè, præuenitur 39. subitaneæ exemplum 841.

Mortem cur humana natura tantum abhorret 893.

Mortui integraliter resurgent 127. reuiuiscentes 27. 44. 478. 796. & seq. 801. 812. 868. 899.

Mortuorum apparitiones 467 2 & seq. 81 117. cadauera inspecta, à superbia tentatione liberant 209. pœna & gloria 846. vinos vocantium exempla 810. & seq.

Mundus homini hostis 793.

Mulieres carnis libidinem vincentes 314. & seq. impudicæ 91. 134. & seq. 143. 171. & seq 174. 188. 300. 311. vsque ad finem libri istius 505. & seq. 755. pudicæ 59. 138 & seq sexum virilem mentitæ 55 & seq.

Mulierum aspectus monacho fugiendus 269. 303. & seq conuersatio non appetenda 300. impietatis exemplum 674. inconstantia 281. & seqq. ornatus, sagena dæmonis 334.

Muto loquela reddita 495.

N.

Namurcensis comitis insignis contritio, & defuncti miracula 101. & seq.

Nannetiregio 143.

Universidad de Deusto Biblioteca

Natalium defectum non obesse animæ saluti 237. & seqq.
Natan propheta 134.
de Natiuitate Christi visiones 558 & seq in natiuitate Christi tres missæ à Sacerdote celebrantur 77.
Naturæ duæ in Christo 557.
Nazareth mònasterium monialium 871.
Necromantia animæ mors 46. illicita est 327.
Necromantici 46 325. & seq. per eos dæmones ostensi 322. 325.
Nicolaus Archipoeta monachus factus, apostatauit 99.
D. Nicolaus 534. suspensum à morte liberat 624 miracula operatur 626. eius apparitio 623. & seqq. dens vbi sit 620. vera effigies depicta vbi, & qualis 626. & seq. inuocatio vtilis 625. 868. & seq. misericordia quãta 624 & seqq ei Bruwiler abbatia dedicata 419 620. 6 4.
S. Nicolai in insula monasterium 294. 304 601 608. 674
Nidecken castrum Iuliacensis comitis 851.
de Niuella quædam sanctimonialis mirum in modum à dæmone tentata 138. & seq.
Niuellæ S. Gertrudis monasterium 818.
Nobilis cuiusdam excoecati contritio 126.
Nobilium in suos subditos crebræ exactiones taxantur 86. vita breuis, & quare 38.
Noradini Saladini, Syriæ regis filij, in Christianos clementia 220. & seq.
Nouitijs ad seculum redire an liceat 22. & seq.
Nouum castrum monasterium Cistercienfium 894.
Nubes in Saxonia de cælo cadens omnia submergit 760.
Nueenkirchen villa 836.
Nuinburg in Saxonia abbatia 735.
Nussia ciuitas 55.

O.

Obedientia Deo magis accepta, quam victimæ 450 734, eius exempla 398. 450. 801. de ea miracula 740. & seq. 801.
Oberti Claustrensis monachi virtutes & obitus 368.
Occidentium seipsos exempla 449.
Ocium luxuriæ mater 298 & seq.
Oculi cohibendi 269 303 & seq. oculorum lachrymæ sunt signa contritionis 126. an oculis carens contritionem habere possit ibid.
Odo Burgundiæ Dux 8.
Oliuerus Coloniensis Scholasticus crucem contra Sarracenos prædicat 83. 138. 215. 746, 758. 766. 867.
Olla confracta oratione miraculosè facta integra 739. & seq.
Opera bona animæ antidota 39. sine charitate nihil ad salutem conducunt 97. 548. 631. 890. à Deo sunt 246. in statu peccati facta, bonis temporalibus remunerantur 516. bona & mala in statera ponderantur 864. quædam confitetur 190. per ea homo ad gratiam suscipiendam habilem se præstat 516 548.
Operum bonorum comes inanis gloria 213. tædium aliquando ex corporis infirmitate 234.
Oratio iustorum cogit Deum 95 106 Dominica à dæmone recitata 140. pro morientibus 100. 808 mortuos suscitat, morituris sanitatem obtinet 37. Sanctorum, pro nobis 806. pro defunctis 33 72. 648 767. 790. 855. 870. 872 876. eorum pœnã minuere potest, sed nõ augere gloriam 73. ijs an magis, quam eleemosyna prosit 877 orandum certis temporibus 646.
Orationis vis, effectus & fructus 30. & seqq. 72. & seq. 95. 100. 103. & seqq. 186. 196. 244. 451. 463. & seq. 514. 520. 526. 531. 571. 708. & seq. 740 763. & seq. 808 & seq 815. & seq 877. tædium, à Diabolo est 333. in oratione seruor indiscretus, Sanctis displicet 537. 647. orationes simplicium ridiculæ 443 & seqq.
Ordo Sacramentum 525. sine ordine Missam celebrantes quam grauiter peccent 81. 175. puniti. 82. 717. ijs postea ordines suscipere non licet 82.
Origenes in libro Periarchon hæreses scripsit. 349.
Originalis peccati pœna 234.
Originarij serui 517.
Osculum pacis in sacrificio Missæ 308.
Ostburg. Traiectensis diœcesis monasterium 815.
Ottirburg abbatia 53. 256. 259.
Otto Imperator 87. 120. 126 348 358 372 441. 525. 636 710. 744. 749. Aquisgrani coronatus 748. eius pater 126.
Otto de Stromberg. 743.
Otto Traiectensis Episcopus 868.
Otto Xantensis Præpositus 493.

P.

S. Pafnutius 548.
Palmarũ Dominica 404. 525.
Palmirsdorp villa 25.
Pandolphi, Cardinalis cuiusdã

Universidad de Deusto Biblioteca

motarij, de domino suo mira visio 865.
Panes eleemosynariorum in fornace crescunt 272. in fimum conuersi 742.
S. Panthaleonis Ecclesia Coloniæ 50. 183. à quo constructa 406.
Papa Episcoporum princeps 749. circa nouitium voto ligatum, vt ad mitiorem ordinem transeat, dispensat 26. Albienses eũ Antichristum volebant. 355.
In Papho terræ motus 765.
Paradysus terrestris 512. & seq. 630. eius præpositus S. Michael Archangelus 597. de eo, monachi cuiusdam mira visio 512. & seq. monialis visio 596. & seq.
Paralytica benedictione sanata 28. spiritu prophetiæ clara 485. eius visio de ordine Cistercienſi ibid.
Parasceue 391. 578. in ea Iudæi infirmi sunt 108.
Parcus Cistercienſis ordinis cœnobium 112.
Parentes honorandi 435. & seq. 695. eos negligentes, & non honorantes puniti 436. 695.
Parietem fodere (Ezech. 8) quid 191.
Parrhisij 30. 43. 88. 98. 717. ibi Albienses hæretici 353. & seqq. (696.
Parricidium ex zelo iustitiæ
Paschalis agnus veterii testamenti, SS. Eucharistiæ figura 718.
Paschalis cerei benedictio 214.
S. Paschasij purgatorium 883.
Paschatis festi celebratio vtilis 729.
Passio Christi diuini amoris incentiuum 587. liber vitæ ibid tentationum & tribulationum antidotum 566. 569 & seqq eius imagines. miracula operantur 576. meditatio lachrymas excitat 567. de ea visiones 225. 566.
S. Paterniani apparitio 625.
Patientia confessione acquisita 186. Dei, quãta 352. monacho quàm necessaria 574. eius exempla 235. 411.
S. Patriarchæ qui, & vnde dicti 599. & seq. Christi aures sunt 592.
S. Patricij purgatorium 885.
S. Patrocli Ecclesia Susatiæ 146. 312. 360 369.
Patronum è sanctis eligendi consuetudo 610. 615.
D. Pauli Apostoli lectio, passio Christi 588. luxuriæ tentatio 302. 305. 307. ad sepulchrum sacra peregrinatio 359. 778. raptus est in tertium cœlum 488.
Pauperum clamores Deus exaudit 38. in eos misericordia Deo accepta 264. 271. & seq. in temporalibus ditat 272. 276.
Peccare hominem per se posse, sed non sine gratia Dei à peccato resurgere 79. quomodo quis peccat, eodẽ non raro punitur 85. 438. ad peccandum Dæmon neminem cogit 389.
Peccatoris conuersio à Deo est 12. 14. sine contritione, nulla 10. in iustificatione quatuor, & quæ 68. & seq.
Peccatores cõfessarij meritis iustificati 186. confessione iustificantur 169. 364. confitentes, angelis gaudium, dæmonibus luctum præbent 471. à Deo cur tolerentur 76 pœnitentes, cur subinde pœnitentibus præferantur in gratiæ donis 481. illis illuminationis gratiam Deipara virgo obtinet 469. & seq
Peccatum quotuplex 79. gratiam Dei tollit & excludit 82 peccatori, subinde caussa virtutis et boni 11. et seq 79
Peccati auctor nõ est Deus 82. pœna à Deo est 438. & seq. in Peccato mortali hærere, quã damnosum & periculosum 82. 162.
Peccata capitalia septẽ 206. per verã confessionẽ expiata, à dæmone non cognoscũtur 134. 139. & seqq 364. inæqualia sunt 92 mercatorũ quæ 184 sine proposito emẽdationis non dimittuntur 182. 314.
Peccatorũ confessio, iustitiæ initium 132. dimissio post hãc vitam 884 & seq origo 234. remedia 316.
Pecunia furto acquisita cætera consumit 183 & seq. apud religiosum inuenta post post mortem, is nõ sepelitur in loco sacro 719. & seq.
Peloge Treuerensis diœcesis villa 502.
Peregrinationis sacræ 29. 83. 359 364. 376 378. 392. 421. 439 445. 544. & seq. 577. 611. 729. 733. 778. 815 854 eas suscipere volẽtes, dæmones retrahere conantur. 378.
Peregrinus Colonienſis Archiepiscopus, ecclesiã SS. Apostolorũ, Coloniæ ædificat 616. in Pergamo terræ motus 765.
Periarchon Origenis liber, hæreses continet 349.
Periuriũ graue peccatũ 185. auaritiæ filia 261. mercatoribus commune 184. punitur 262. & seq.
Personæ complices, in confessione non nominandæ 171. & seqq an eas cõfessarius in aliquo casu prodere possit 175.
Pertinacia superbiæ filia 208. in purgatorio punita 858. & seq.
Pessulanus mons 348. in eo Deipara virgo miracula operatur 497 & seq.
Petrus S. Andreæ Canonicus Prædicatorum cœnobij Coloniæ constructor 715.
Petrus Cardinalis de Saxonia 441.

S. Petrus Apostolorum princeps 598. 615 eius Ecclesiæ 524. 598. 715. ad sepulchrum peregrinatio 359. 778 vallis 9.29 643.
Petri Cantoris Parisiensis sententia de SS. Eucharistiæ sacramento 686. de D. Thoma Cãtuariensi 621. mors & gloria in cælis 473. & seq.
Petrus Claræuallis abbas 472. à Deipara Virgine benedicitur 473. eius simplicitas 425.
Petrus de Clodoualdo sacerdos Albiensium Parthisijs hæresiarcha 353. monachus factus 357.
Petri de Confluentia, Hemmenrodensis monachi, vita & res gestæ 569.
Philargyria quid 261. ab auaritia quomodo differat. ibid
Philippus Coloniensis Archiepiscopus 100 310. 643 889 eius, exoptantis monasteriorum multitudinẽ, dictũ 271.
Philippus Francorum rex 124. 218. 335. 425. 436. eius iocus in monachi calceos 219.
Philippus Imperator Aquisgrani coronatus 748. 776. Coloniensibus infestus 833. Coloniam obsidet 599. diœcesim vastat 28. eius cum Ottone de imperio contentio 87. 277. 348. 372. 397. 423. 441. 636. 710. 744. mors 441. 525. 749.
Philippi Namurcensis Comitis mira contritio, mors & miracula 101. & seq.
Philippus de Ottirburg, bonæ vallis abbas 256. 259. 296. eius conuersio 53.
Pictor imaginum crucifixi, propter hoc Deo gratus 578.
Philip. Roman. rex 219. 228.
Pigritia, V. Acedia
de Piscib miracula 773. & seq.
Piscina cœnobium 441.
Pœna à culpa, quomodo differt 67. culpa sublata, remanet 79. 90. 95. 137. æterna, per pœnitentiam in temporalem conuertitur 68. nõ facit martyrem 449. nulla, morte amarior 803. peccati, à Deo est 438. & seq. 760. temporalis, tollit æternam 81. ex ea culpa cognoscitur 717.
Pœnitentia quid 67. Angelis in cœlis gaudium 123. animæ antidotum 39. confessis iniungitur 109. 153. 166. 172. 174 183. 293. iniuncta non negligenda 137. toti Frisiæ solemnis iniuncta, & quare 462. sera in hac vita nulla est, modo sit vera 99. 156 quæ sit in fine vitæ, incerta est 96. & seq.
Pœnitẽtię exempla 91. 100. 124. virtus & effectus 81.
Pœnitudo quid, & quomodo differat à Pœnitentia 67.
Pomi esu tentati 280. 285.

Pon-

Pontenella monasterium Cisterciensium 892.
Pontiniacum Cisterciensis ordinis cœnobium 8.
Porcetum cœnobium 62. 419. 615. à quo conditum 626. & seq.
Porcorum in forma dæmones circa somnolentum monachum apparent 329.
Porta monasterium Cisterciensium 811.
Præcipitatio luxuriæ filia 297
Prædestinatio Dei an certa 37 & seq. eius liber in paradyso terrestri à monacho visus 513. de ea, mira cuiusdam paralyticæ visio 488.
Prædicandi facultatem quidã in somnis per visionem miraculosè accipit 730.
Prædicatorum Coloniæ cœnobium quis condidit 715.
Prædones diuinitus miraculosè puniti 520. eorum mors 833 supplicia & pœnæ in inferno 84. 858.
Prælati subditorum suorum rationem habeant 17 267. & seq eorum præcepta, etiam indiscreta, subditos coram Deo ligant 874. ijs irasci quam graue 224.
Prælaturam quomodo quis licitè possit desiderare 432.
Præmonstratenses olim non habebant abbates 266.
Principia duo crediderũt Manichæi 349.
Principium vita breuis, & quare 38. (seq.
Prodigalitatis exẽplum 92. et
Proditio auaritiæ filiæ 261.
Prophetæ qui, & vnde dicti 600. Christi nares sunt 592. cur rarius appareant 600.
Prophetiæ spiritu clari 26 118. & seq. 179. 422. 524. 541. 703. & seq. 812. 816. (719.
Proprietas in monacho punita
Pruli Cisterciensis ordinis cœnobium 874.
Prumiæ abbatia 145.
Psalmorum lectio & cantus 18 43 46. 122. 137. 329. 391. 473. 484. 511. 518. 535. 560. 790. 796.
Pudicitia omnium virtutum ornamentum 368.
Pulchra vallis Albiensium ciuitas à Christianis capta 351
Pumanne Cisterciensis ordinis cœnobium 539.
Purgatorium 44. 90. 168. 186. 237. 548 801. 846. vbi sit 883. locus electorũ 869. ad diem iudicij duraturum 846. S. Patricij 885. eius pœnæ 44. 73 870. 873 899. qui in eo sunt, quibus iuuentur 73. 870. & seqq. quod saluabuntur, certi sunt 864
Pusillanimes à Deipara Virgine confortãtur 507 & seq.
Pusillanimitas acediæ filia 232 249 eius exẽpla 247. et seqq

Q.

Quadragesimæ ieiunium 241. 307, in ea carnibus vescens punitur 743.

 quido

Universidad de Deusto Biblioteca

Quido villa Franciæ 485.564. 722.
Quinarius numerus apostaticus 321.

R.

Rabie inobedientia monachi punita 734.
Rachel mysticè quid 560.
Rancor acediæ filia 232.
Ratio malum nunquam approbat 595. contra carnis fomitem nobis data 596.
Ratisbona 817.
Regulares in Hibernia 884.
Regũ libri cur post Pentecostẽ in Ecclesia leguntur 205.
Rei duello se purgãtes 707. & seq. candenti ferro 756.
Reinecke comitatus 706.
Reinerus Innocentij III. confessarius 465.
S. Reinoldi capella Coloniæ 716.
Reinoldus Coloniensis archiepiscopus 268.346.
Relaxhusen cœnobium 249.
Religiosi sint humiles in habitu & externis gestibus 218. ad sæculum redeuntes puniti 24. secularibus ne sint scandalo 219. & seq. simoniaci quomodo fiãt 431. proprietarij puniti 719. corum auaritia punita 263. crucifixio duplex 574. vita tentatio est 205. ijs auaritia sæpe falso tribuitur 262 dæmõ quàm infestus sit 381.
Reliquiæ reperiuntur 618. 634. & seq. theca argentea deaurata, preciosis gemmis ornata, includuntur 607. venerandæ 636.
Reliquiarum cultus 52.102. 236.407 524.605.888. Sanctis acceptus 636 639 miracula 606. & seqq. 615.
Reliquias circumferentes euitent peccata 619. ad quæstum circumferentes peccãt 620. falsas, ex ignorantia pro veris venerantes nõ peccant, sed merentur 621. & seq.
Remage oppidum exustũ 374.
D. Remigij Remensis episcopi apparitio 379. templum Bãnæ 144 153.
Responsoria 561.
Resurrectio mortuorum 127. 897. eã Manichæi & Albienses negant 349.358.
Reuelatio quid 559.
Reuerentiæ Deo & sanctis gratæ, nobis vtiles 209.295 & seq. 536 & seq 605. vbi, & quando faciendæ 296.
Richardus Angliæ Rex 1.9. eius expeditio Ierosolymitana 763. pietas in construẽdis monasterijs 764.
Richardi Angli viginti annũ sepulti, manus integra, & viuida reperta 891.
Richmundis virginis SS. Eucharistiam sumentis denotio 692. visiones 563. & seq 566.691. & seq.
Ridentes in morte 542.
Rindorp monasteriũ 671 899.

Rinecke castrum 145.
Robertus Molismi abbas Cisterciensis ordinis institutor 7 & seq. primus Cistercij abbas 9.
Rode cœnobium 391. 827.
Rodinkirchen villa Coloniæ vicina 248.
Romam Babylonem Albienses hæretici volebant 355.
Romanum imperium Soli confertur 748.
Rudingeri militis ebriosi, in inferno pœna 886.
Rudingeri monachi apostasia 805 felix obitus 806.
Rudolphus Coloniensis scholasticus 53. 231. 682. eius de purgatorio sententia 45.
Rudolphi Leodiensis episcopi simonia 412.
Rudolphus Præpositus contendit de archiepiscopatu Treuerensi 55.
Rudolphus de Namuntico Albiensium hæreses quomodo Parrhisijs manifestauit 354 & seq.
Rustici duo, qui viuentes discordias fouerant, in vno sepulchro sepulti, mortui, inter se contendunt 836.
Rutenorum gens deleta 765.

S.

Sabbathinũ ieiuniũ in honorẽ Deiparæ virginis 498.547
Sacerdos indignè celebrans, carbones masticare visus 712
Sacerdotis incontinẽtia & superbia fulmine punita 751. & seq.
Sacerdoti SS. Eucharistia in Missa ter à columba ablata, & restituta 77. Eucharistiam vt dignè conficiat, quæ necessaria 686. lingua abscissa, miraculosè à Deipara virgine reddita 495. peccata confitenda esse 133. 141. scientia ac prudentia necessaria 188.
Sacerdotes casti sint 685. denoti 689. & seqq docti sint & scientes 685. Eucharistiam vt dignè conficiant quales esse debeant ibid. ligandi & soluendi potestatem habent 623. luxuriosi 76 & seq 134. 187 & seq. 669.671 mali 76. & seqq. 712. & seq. Testamenti veteris, accessuri altare, lauabant faciem, os, manus &c. quid mysticè denotet 685. vitæ bonæ exemplo præluceant ibid.
Sacerdotum auaritia taxatur 186. & seq Eucharistiã indignè conficientium peccatum 77.712.715 incontinentia reprehenditur 187. 862. & seq. sine ordine celebrantiũ peccatũ & punitio 717 reorũ degradatio 356
Sacrilegium 460. & seq punitum 350 & seq. 460 528. et seq 579 & seq. 711.745. & seq.
Saladinus Syriæ rex capit Ierusalẽ 764. terrã Sanctã 220. eius clementia & humani-

manitas in Christianos 223. filius 220. victoria de Christianis 222.
Salomonis monachi apostasia 804 pœnitentia, & felix obitus 805.
S. Saluatoris mõs 338.614 880
Salue Regina Antiphona, Deiparæ virgini quam accepta 502.
Sancti apparentes oculis clausis etiam videre possunt 162 contemnentes se, puniunt 604. & seq. 615. apud Deũ sunt 793.801.879,899 diligentes se diligunt, honorãt & iuuant 602. & seq. 611. & seqq. 624. nostræ deuotioni se vltro ingerunt 610 pro nobis orant 95 793 806 879. sui ordinis religiosis peculiariter succurrũt 879. reliquias suas ab hominibus honorari volunt 636. 639. eas per visiones manifestãt 618 634. & seq.
Sanctorum aliqui cur post mortẽ miraculis clarescant 621. apparitio 484 490 511 549. certamen cũ dæmonibus 752 gloria in cœlo inæqualis 875. inuocatio vtilis 263. 611. 616. 619 625. & seqq. 770. 868. & seq. voluntas, diuinæ voluntati vnita 605.
Sanctis templa dedicata 598. 604. 616 625.
Sanctitas in quibus consistit 416. 607. 611.
Sanctimoniales consecrantur 632.
Saraceni Achonem vrbem capiunt 220. Ierusalẽ 764. Templarios inuadentes, ab Angelis capti & occisi 599 Damiatæ ob iniuriam imagini crucifixi illatam, diuinitus puniti 580. eorum clades ibidem in Christianos expeditio 764. de Christianis victoriæ 222. 580 738. 761 764. illis arma vendentes excommunicati 216 Christianorum impia vita scandalo est 220. & seq. in eos Christianorũ expeditio 28. 764. crucis prædicatio 27. 83. 285.
in Sardanay icon Deiparæ virginis in carnem versa miracula operatur 507. & seq.
Satisfactio confessionis pars 68. 90. 109. & seq 135. 153. 169. 186. 193. 293. 880. & seq nõ negligenda 137.
Scandalum 17 87. religiosis maximè vitandum 271.
Schisma in Papatu 102. 537 in Romano Imperio 87. 120 277. 348. 441. 636 710. 744 748. 752 885. in Traiectensi episcopatu 494. in Treuerensi 55.
Scholares martyres sunt 891.
S. Scholasticæ animam D. Benedictus in specie columbæ cœlos penetrare vidit 58. 450.
Sconauia abbatia 563. vnde dicta 58.

Scurrilitas gulæ filia 278.
Senecæ de Acedia sententia 232.
Senonensis Galliæ Archiepiscopatus 356.
Sensus cohibendi 304.
Sephadinus Turcarum imperator 373.
ad Sepulchrum Christi peregrinatio 220. 577.
Sepultura Ecclesiastica aliquibus negata 75. 719. 870.
de Serpentibus mira 239 436. 780. & seq.
S. Seuerinus Coloniensis Archiepiscopus S. Martini animã cum angelico cantu cœlos penetrantem vidit 58 eius festum celebratur 309. templum Coloniæ 537 773.
Seuerus Vlixis bonnensis episcopus 618.
Seynensis Comes 468.
Sicilia ab Henrico Imperatore subiugata 856.
Silentium 229. 522. in Missæ sacrificio requiritur 689. monachis indictũ 572 574.
Siliquæ quid 240.
Simonia 412. 427. & seq. 431.
Simon de Alna spiritu prophetiæ clarus 176. & seqq.
Simon Fomacensis abbas 180.
Simonis monachi prophetia 118. & seq.
Simon de Forti monte comes 351.
Simplicitas accepta Deo 417. & seqq. hominibus 424 & seq eius commendatio 396. efficacia 397. & seq. exẽpla 399. 416. & seq. 420. & seqq. 443. & seq. 451. 477.
Sion monasterium monialium 819.
in Sole signa & prodigia 644. 747 & seq.
Somnia non semper vana 167 eorum variæ causæ 559.
Somnolentia in choro & diuinis à diabolo est 233. & seqq 331.
S. Sophiæ templum Constantinopoli 236. 608.
Sotersbusen Frisiæ villa 759.
Specula mulierum (Exod. 38.) quid mysticè 685.
Spelta an materia SS. Eucharistiæ 721.
Spinæ sacræ coronæ Christi 340.
Spiritus sanctus Deus est 588. Patri & Filio consubstantialis 557. 588. ab ijsdem procedit 588. eius apparitiones sub specie columbæ 12. 77. & seq. 590. & seq sub forma ignis 78. dona septem 644.
Spiritum Sanctum se fingens hæreticus, comburitur 357
Sprẽkirsbach abbatia 294. eius situs ibid.
Stamheym villa 840.
in Stellis signa 18 749. & seq.
Steinueldense monasteriũ 137 266 7 7.
Stephanus Anglus Cistercij tertius abbas 8.

Stephanus Cantuariensis archiepiscopus 353.
D. Stephani Protomartyris apparitio 487.
Stimenus monasterium 634.
Stromberg mons 9. 271. 642. & seq.
Stuba monasterium 340.
Stultiloquiũ punitur 339 530.
Succubi dæmones 145. & seq.
Superbia quid, & vnde dicta 208. quotuplex ibid. 575. dæmoni quàm accepta 107. 334. vitiorum omnium mater 206. 575. eius filiæ 208 remedium 209. & seq. 316. ea tentati 208. & seqq.
Susatia ciuitas 146.
Sygebergh monasterium 339.
Syon monasterium monialiũ 872.

T.

Templariorum ordo 618. 898.
Templorum dedicatio 60. 528
Tentatio quid, & vnde 204 & seq humilitatis custos 305
Terræ motus 765. & seq.
S. Thaidis pœnitentia & lachrymæ 68.
SS. Thebæorum martyrũ reliquiæ Bõnæ inuẽtæ 618 miracula operantur ibid.
Theobaldi Campaniæ comitis humilitas & misericordiæ opera 583.
Theobaldus Eberbacensis abbas 343. 401.
Theobaldi Heisterbachcensis monachi humilitas 211.
Theobaldus vel Theodoricus Monasteriẽsis Episcopus 462
Theodericus Coloniensis Episcopus 526. ob graues exactiones depositus ibid. 598. eius erga Deiparã Virginem deuotio 526.
Theoderici de Erinportze Coloniensis, duplicitas diuinitus punita 441.
Theodericus Gothorũ rex 858.
Theodericus Liuoniæ episcopus 571. 632.
Theoderi de Rulant forte facinus 738. mors ibid 815.
Theodericus Traiectensis Episcopus 866.
Theodericus in VVida comes, monachus 708. 768.
S. Theomatæ, S. Vrsulæ sodalis reliquiæ inuentæ 634. et seq
S. Theophilus Alexandrinus Episcopus 401. 472.
ad S. Thomæ Apostoli sepulchrũ sacra peregrinatio 613.
D. Thomas Cantuariensis episcop' martyr 462. 621 auiculam se inuocantem, à morte liberat 770. frænum sibi falsò addictum, miracula operatur 622.
S. Thomæ, monasteriũ, in diœcesi Treuerensi 62.
Thorinbais villa Brabãtiæ 693
Thyemo miles tesserarum ludo deditus à diabolo raptus 368 & seq.
Timoris seruilis effectus 89.
Toletum ciuitas 325.

Tolosa

Tolosa ciuitas à Catholicis obsessa 351. Albienſium in ea impietas & sacrilegiũ 352.
Touitrium miracula 227. 459. 502. 730. & seqq.
Torneamenta 93. 515. & seq. 736. ea exercere mortale peccatum 516.
Traiectũ inferius, ciuitas 220 611. 745. 837.
S. Tranquillinus 762.
Transsubstantiatio in SS. Eucharistia 77. 656. & seqq. 679. & seq. 715.
Trappa Cistercienſis ordinis cœnobium 470.
Trecẽsis episcopatus Galliæ 356
Treueris D. Petri Apostoli Ecclesia 524. controuersia inter duos electos 55.
Tricastrum villa Franciæ 378
Tridentinum ciuitas 546.
SS. Trinitas 339. 341. 385. 557. eius apparitio 592.
Tristitia quid 242. eius remedium 316. ex ea desperatio nascitur 242. eius exempla ibid. & seqq.
Trys villa 468.
Tuinum castrum 258.
Tulpetum oppidum 544.
Tyranni 38. eorum in inferno pœnæ 847. & seq.

V.

Vaccæ Bethauen (Oseæ 10.) sacerdotum concubinæ 187.
Vaccæ furẽti insidentis prædonis in inferno pœna 84. & seq.
S. Valerij Treuerorum episcopi apparitio 629.
Vallis S. Petri 9 643.
Vdæ inclusæ visio 690.
Vdæ de Thorinbais deuotio erga Eucharistiam 693.
Veldensis castri situs 530.
Venetijs terræ motus 765.
Verecundia omnium virtutũ ornamentum 368.
Vermes Christum in Eucharistia agnoscunt & venerantur 673. 675.
Vermibus puniti 777. & seq.
Verona Lombardiæ ciuitas 57 357.
in Vetitũ hominẽ semper nitẽ exẽpla 280. & seqq. 293.
Vestes cuiusdam monachi sanãtates operantur 732.
Vigiliæ sanctorũ 196. 214. 510 517. 520. 560. 750. 809.
Vigilandum esse 841. & seq.
Vilarium cœnobium 264. 447 632. 690.
S. Vincentius martyr in prælio inuocatus succurrit 619.
Vini desiderio tentati 296. & seq.
Violentia auaritiæ filia 261.
S. Virgines & continẽtes Christi venter sunt 592. earum apparitiones 632. & seqq. inuocatio vtilis 633.
Virgines Angelis conferuntur 631.
Virginitas Deo accepta 228. 481. 632 eius laus 631.
Virtus quid, & vnde dicta 316.

Universidad de Deusto Biblioteca

316. in infirmitate perficitur 308 vitiorum remediũ 208.316 sine ea, opera externa mortua 482.
Visitatio monachorum quid et cur instituta 9.
Visio quotuplex 556 642 corporalis quæ 556. intellectualis quæ & quotuplex 557 quæ in somnis, an quæ in excessu mentis fit, sit excellentior 486 559. & seq. in somnis, non semper vana 256 & seq 634 & seqq spiritualis quæ 556 an dignior corporali 560.
Visus cohibendus 303. & seq. 315.
Vita hæreticorum quam fœda 358 hominis, militia est, & tentatio 205 313.
Vitiorum origo 234. remedia quæ 315. & seq.
Vlricus de Lucri sacerdos, Albiensium Parrhysijs hæresiarcha 353.
Vlricus Coloniensis, monachus Vilariensis 179 690.
Vlrici Steinueldensis Præpositi res gestæ 266. & seq.
Vnctio extrema 85 98. 163. 212.414. 469 471.545.627 795.
Volmarus certat de Treuerensi Ecclesia 55.
Volminsteine castri situs 384.
Voluntas hominis cur tam prona ad peccandum 595.
Votum 18.29 36 70.99.263 392. 547. 612. seruandum esse 22.26 379.
S. Vrsulæ sodalium reliquiæ inuentæ 634. & seq.
Vrbanus II. papa 8.
Vrsus vnde dictus 297. vrsi formam diabolus assumens ibid. 386. & seq.
Vsura quam graue peccatum 86.827. punita 1. 6.
Vsurariorũ conuersiones 121. & seqq eleemosynæ Deo non acceptæ 123. mors horrenda 8 5 & seq. pœnæ & supplicia in inferno 826. in purgatorio 869 & seq. corpora defunctæ non sepeliuntur in loco sacro 348.
S. Vualburgis mons 28.61.423 489 563.691.721. 766.820.
Vualdosiana hæresis 348.
VValramus comes de Lutzellenburg 325 528.
VValterus de Birbach Hemmenrodensis monachus 177 258 334 498.738, eius vita & res gestæ 515 & seqq. obitus 523.
VValterus Cabilonensis episcopus 8.
VValterus Vilariensis abbas 104.114.178.494.
VVannenbach Treuerẽsis diœcesis villa 767
VVerimboldi S. Gereonis Coloniæ Canonici mira simplicitas 416 & seq.
VVernerus de Ponlant 608.
VVestape villa 579.
VVickindisburg castrum 670.
VVida comitatus 708. 768.

VVide

VVide VVestphaliæ ciuitas 709.
VVido Cardinalis, & Cistercienſis abbas 397. 710. eius Coloniæ constitutiones ibid.
VVilhelmus Aurifex Albiensium Parrhisijs propheta 353 eius prophetiæ 354. & seq.
S. VVilhelmus Bituricensis Episcopus 117.
VVilhelmus de Helpenstein 467. 519. eius mors 468. pœna in inferno ibid 529.
VVilhelmi Iuliacensis comitis contra Albiensis expeditio 350. mors 851. supplicia in inferno 249. et seq vitæ cum Maxentij Imperatoris vita collatio 852. & seq.
VVilre monasterium Cisterciensium 522.
VVinendenburg monasterium 760.
VVinter villa 779.
Vulcanus mons 854. & seq. 858.
VVuninsdorp villa 680.
VVurme villa 827.
VVurzimburg 745.

FINIS INDICIS.

NNn LOCA

Universidad de Deusto Biblioteca

LOCA ALIQVOT SACRAE SCRIPTVRAE IN HISCE LIBRIS PASSIM EXPLICATA.

Genes.1. *Germinet terra herbam virentem* 497.

Genes.31. *Esto, ad tuos ire cupiebas, cur furatus es Deos meos* 261.

Genes.35 *Rachel ob difficultatem partus periclitari cepit* 559 *& seq.*

4.Reg 6. *Ecce currus & equites regum Syriæ* 595. *& seq.*

Iob 7. *Militia est vita hominis &c.* 205.

Iob 12. *Deridetur iusti simplicitas* 417.

Iob.31. *Quis mihi tribuat &c.* 587. *& seq.*

Psalm. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum* 68.

Psalm.31. *Dixi, Confitebor aduersum me &c.* 132.

Psalm. 35. *Dixit insipiens, vt delinquat in semetipso* 122.

Psal 54. *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos* 38.

Psalm.68. *Aduersum me loquebantur &c.* 253.

Psalm. 74, *Confitebimur tibi Deus, confitebimur* 170.

Psalm. 86. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te* 901.

Psalm.104. *Percussit Petram, & fluxerunt aquæ* 568.

Psalm.147. *Lauda Ierusalem Dominum &c* 901.

Prouer.31. *Mulierem fortem quis inueniet* 58

Cant.2. *Ostende mihi faciem tuam* 133.

Cant.3. *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem* 534.

Cant. 5. *Venter eius eburneus* 592.

Cant. 6. *Dilectus meus descendit in hortum suum* 497.

Sapien.3. *Fulgebunt iusti &c* 897.

Eccle. 11. *Qui obseruat ventum, non seminat* 250.

Eccle.38. *Altissimus de terra creauit medicinam* 497.

Isa.4. *Et erit fructus terræ sublimis* 565

Isa.38. *Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas* 37.

Ierem.48. *Maledictus homo qui prohibet gladium suum à sanguine* 69.

Filij

Ezech. 8. *Fili hominis fode parietem* 191.

Ezech.16. *Iniquitas Sodomæ panis saturitas* 286.

Osee. 9. *Omnes nequitiæ eorum à Galgal* 298.

Osee 10. *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ* 187.

Ioel. 1. *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ &c.* 207.

Ibid. *Computruerunt iumenta in stercore suo* 298.

Matth 6. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum* 107.

Matth.8. *Vade ostende te sacerdoti* 133.

Matth.10. *Qui non tollit crucem suam quotidie &c.* 573.

Matth. 13. *Omni habenti dabitur &c* 276.

Luc. 9. *Qui non tollit crucem suam quotidie* 15.

Luc.21. *Capillus de capite vestro non peribit* 127.

1.Cor. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc &c.* 655.

Gal. 5. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt &c.* 574.

Apocal.5. *Vidi librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem* 588.

Apocal.22. *Qui audit, dicat, veni* 30.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca